Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Tarnow

Johannis Tarnovii S.S. Theologiae Doctoris & in Academia Rostochiensi Professoris In Psalmos Passionales Commentarius : In quo textus Analysi perspicua illustratur, ex fonte Hebraeo explicatur, locis S.S. parallelis confirmatur, a pravis expositionibus vindicatur: Usus vero in Locis Communibus ex ipsa Scriptura natis & probatis indicatur

Rostochii: Lipsiae: Wilde: Officina Ritzschiana, [um 1645]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746337035

Druck Freier Zugang



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746337035/phys_0001
DFG

D. T. O. M. A.

JOHANNIS TARNOVII

S. S. Theologiæ Doctoris & in Academia Rostochiensi Professoris

IN PSALMOS PASSIONALES COMMENTARIUS:

In qvo textus

Analysi perspicuâ illustratur,
ex fonte Hebræo explicatur,
locis S. S. parallelis confirmatur,
à pravis expositionibus vindicatur:

Usus verò in Locis Communibus ex ipsa Scripturâ natis & probatis indicatur.

Adjecta est Explicatio capitis LIII. Esaiæ

Cum Indice.

1. Petri 3. vers. 18.

Καὶ Χριστὸς ἅπαξ περὶ ἁμαρτιῶν ἔπαθε, δίκαιος ὑπὲρ ἀδίκων, ἵνα ἡμᾶς προσαγάγῃ τῷ θεῷ, θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι.

Excusa
LIPSIÆ,
Sumtu JOACHIMI WILDENS, Bibl. Rostoch. in
Officina RITZSCHIANA.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746337035/phys_0003
DFG

PRÆLUSTRI AC GENEROSISSIMO
DOMINO
Dn. JOHANNI Skytte/ Libero Baroni in Duderoff/
Domino de Grönsiöö & Strömfrum / Eqviti aurato, Regni
& Regis Sueciæ Consiliario Amplissimo, nec non Regiæ Academiæ Upsaliensis Cancellario Magnificentissimo,
Domino meo gratiosissimo
Salutem & pacem à Deo.

QVum omnia, Præluſtris & Generoſiſsime Domine Baro, ſuum habeant ſibi à Deo deſtinatum tempus, ut rectè cenſet Rex ſapientiſsimus, noſtrûm ſanè eſt, tempora omnia, juxta Apoſtoli cohortationem, rectè obſervare, &, qvod vulgò dicitur, pro tempore temperare, qvod utiq; in Apoſtoli linguâ profertur ἐμφατικώτερον, qvando jubemur τὸν καιρὸν ἐξαγοράζεσθαι, hoc eſt, velut precio omnem rei benè gerendæ occaſionem redimere, nec ſinere ullum tempus elabi opportunum aut commodum agendi ea, qvæ decet: qvò etiam illud utiliſsimum ejuſdem regis ἀξιομνημόνευτον ſpectat, tempore bono verſare in bono, tempore autẽ mali rectè utere, hoc ex adverſo illius facit Deus ipſe, eâ ratione

tione, ut non posit assequi homo quicquam eorum quæ sibi instant. Hæc optima Christianorum (quibus & hîc sua quædam πολιτεία est, licet verum in cœlo sit eorum πολίτευμα) circa pretiosissimum temporis ἀνάλωμα monita politica cùm aliàs, tùm hac certè tempestate piis in afflictissimâ Germaniâ sunt inculcanda, ne afflictionibus pressi malis cedamus, animumve despondeamus, sed palmæ instar contra ipsum onus à Deo, bono certè nostro, impositum assurgamus, & precibus sedulò incumbentes in cœli palatia nos penetremus, animosq; contra calamitates firmis ex scripturâ sacrâ haustis solatiis, verâq; inde ortâ patientiâ obduremus: quod si factum fuerit, & (quod spectat hac virgâ ille pater φιλόστοργος) tantis malis à vitiis ad virtutum culturam, & ad bona ardenter ac constanter petenda fuerimus excitati, id futurum esse credamus, ut si vel maximè mali monte & mole nos premi ex Dei voluntate contingat, tamen cum tentatione eventum ipse sit præstiturus eum, ut possimus perferre, quæ sunt ferenda. Hæc autem quum hoc tempore inprimis pro re nata iis quoq;, quos Deus in militiâ togatâ juventutis ejus, quæ se in scholis regiis ad sacrosanctum parat ministerium, ἡγουμόρους & ductores quosdam esse voluit, dicenda esse videbam, mihiq; etiam minimo inter illos locum quendam tribuere divinæ placuit clementiæ, id

officii

officii ratione commonefactus agere volui, ut præter lectiones publicas illa privatim meditarer, ac postea luci publicæ exponerem, qvæ ab hoc fine obtinendo non essent aliena. Dum igitur hoc specto, ut qvisq; in se primùm descendens mali fontem non extra se qværat, & de salutari sibi prospiciat remedio, in Threnos Jeremiæ, Psalmosq; pœnitentiales (qvorum illos publica Judæorum prophetæ, hos privata etiam psalmistis expresit ex Spiritûs Sancti instinctu calamitas) Commentariolum qvendam paravi, iisq; absolutis ad psalmos eos illustrandos animum adjeci, de passione Salvatoris qvi loqvuntur, siqvidem in illâ cùm iræ Dei exardescentis contra peccatum, tùm gratiæ ejusdem superabundantis speculum lucidissimũ fulgere animadvertebam, inter qvas ut illa meritò à flagitiis absterret, sic hæc in omnibus malis firmum solatium præbet. Qvùm enim scirem illud veterum, Christum non modò esse nobis donum, sed & exemplum datum, utrumq; inibi declarandũ esse existimavi, tum ut contra peccata eorumq; pœnas efficax consolatio, tum ut in vitâ egregia nobis suppetat institutio, atq; ad veram sapientiam per hoc compendium introductio, qvando ad Christum in patiendo & faciendo semper oculis respicimus irretortis. Qvin etiam hoc pacto contra scandalum, qvod mundo ex Christi Christianorumq; afflictione

oritur, demum muniemur, cùm causas & evenia castigationum illarum probè consideramus; qvæ optimè in hisce psalmis & cap. 53. Esaiæ explicantur.

Quæ horum scribendorum & edendorum mihi causa, breviter dixi; qvæ verò me ratio permoverit, ut hoc qvicqvid est T. G. Gratiosissime Domine, consecrandum censerem, paucis qvoq; edisseram, ne verborum inani futilitate publicam, qvam T. G. in regno Sueciæ per Dei gratiam florentissimo vel maximè pro virili procurat, utilitatem jure videar remorari. Principiò qvando cùm alii Serenissimi Regis Sueciæ ad nostram Academiam missi alumni, tùm inprimis Præstantissimus & Literatissimus Vir M. Birgerus Becander me utebantur familiariùs, non solùm T. G. in rebus agendis sedulitatem ac felicitatem, sed etiam in Deum pietatem & in bonas literas summam animi propensionem deprædicârunt sæpè, ut, cùm illâ mente esse te, Heros Præclarissime, intelligerem, non immeritò in eam devenirem cogitationem T. G. qvoqve non ultimam esse salutis sagittam Regiæ Majestati, ut olim Joasch promittente Elisæo, à Deo datam, qvum ad rectum & verum optimè collimare qveat, nec per Dei gratiam (cujus est res illa sacra) à scopo sinat à se profecta consilia aberrare. Accedebat, qvod certò comperiebam, cum Serenissimo Rege, aliisqve regni Sueciæ

ciæ proceribus te, Generosissime Domine Baro, esse pium qvendam Obadjam, qvi prophetas Domini liberaliter fovere & clementer tegere non dedigneris. Hanc famam latè sparsam non leviter firmabat, qvod ante paucos annos liberalissimo stipendio Virum Clarissimum Dn. M. Johannem Simonium p. m. à T. G. hinc avocari, & apud vos beneficiis multis, dum vita supererat, ornari, & necdum erga defunctum illam magnificam liberalitatem clausam fuisse certum scio, dum in ipsius viduam ac liberos relictos gratiosissimè donum insigne voluisti conferre, præterqvam qvòd in funus sumtus faceres satis amplos. Et qvia Rector & Concilium hujus Academiæ cum Consultissimo Excellentissimoq; Viro Dn. Christiano Ohmio J. U. D. eximio viduæ M. Simonii & ex posteriori matrimonio relictis liberis me tutorem esse voluit, omninò me decere arbitrabar, eorum nomine T. G. pro tam magnificâ beneficentiâ gratias habere, adjecto voto, ut Deus viduarum orphanorumq; pater T. G. omnia cumulatissimè velit compensare, speroq; & opto hanc meam προσφώνησιν vel eo nomine T. G. non omninò fore ingratam, ne & illis & nobis ingratis vivendum ac moriendum. Deniqve qvum T. G. pro sua pietate sæpè soleat illud vexillum crucis Christi oculis intentis perlustrare, sibiq; In Hoc Signo cum Constantino M. victo-

M. victoriam de omnibus adversis polliceri, in spem erigor, si qvando à gravioribus & publicis vacaverit T. G. negotiis, fore ut aliqvam horarum subcisivarum hisce sacris meditationibus tribuat, qvæ me spes ne fallat, humiliter T.G. oro, illamq; Deo omnipotenti, meq; totum illi fideliter commendo. Dabam Rostochii 15. Aprilis, anno, qvo voveo:

SVeCorUM regI VIVo Det prospera JoVa.

Prælustris Tuæ Generositatis
observantissimus & obsequentissimus

JOHANNES TARNOVIUS.

Enarra-

Enarratio
PSALMI OCTAVI.

Matthæi 21. vers. 16.

Ἐκ στόματος νηπίων καὶ θηλαζόντων κατηρτίσω αἶνον.

1. Corinth. 15, v. 27.

Πάντα ὑπέταξεν ὑποκάτω τοὺς πόδας αὐτοῦ.

Hebr. 2, v. 6.

Τί ἐστιν ἄνθρωπος, ὅτι μιμνήσκῃ αὐτοῦ: ἢ υἱὸς ἀνθρώπου, ὅτι ἐπισκέπτῃ αὐτόν;

vers. 7.

Ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους· δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφάνωσας αὐτὸν, καὶ κατέστησας αὐτὸν ἐπὶ τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου.

vers. 8.

Πάντα ὑπέταξας ὑποκάτω τῶν ποδῶν αὐτοῦ.

TItulus hujus Psalmi qvatuor docet, 1. cui decantandus sit traditus? 2. qvo instrumento musico? 3. qvo genere scriptionis sit compositus? & 4. deniq; à qvo authore? In textu hebræo his continentur illa verbis: לַמְנַצֵּחַ עַל הַגִּתִּית מִזְמוֹר לְדָוִד, *Præfecto musicorum super ex Gath advecto* (puta instrumento musico vel cythara) *Psalmus Davidis*, scilicet decantandus est traditus. *In titulo sunt qvatuor.*

Qvod ad primum, tertium & qvartum ejus membrum spectat, dictum est suprà in titulis Psalmorum ter-

2. *Disceptatur de secundo. Falsa sententia.*

tii & qvarti: Restat, ut videamus secundum hujus tituli membrum, hactenus nondum explicatum. Id Bellarminus esse vult עַל־הַגִּתִּית eò qvòd vulgata versio & LXX. interpretum (ex ipsius sententia) græca legant: *Pro torcularibus.* Sed cum in omnibus exemplaribus hebræis, ad qvæ in dubiis est recurrendū, constantissimè legatur aliter, vetus illa Bellarmini cantilena, hanc mutationem facilé potuisse accidere, nihil nos movet: Et videndum porrò est, qvæ inter tam varias interpretum conjecturas veritati qvàm maximè sit consentanea. Extant hæc verba in titulis Psalmi 8. 81. & 84. qvæ, qvi sequuntur lectionem in versione vulgata expressam, id innuere existimant, qvòd hi Psalmi tempore vindemiæ in honorem Dei sint decantati in festo tabernaculorum, ut sentit Bugenhagius; vel de torculari spirituali, id est, ministerio Evangelii in vinea Ecclesiæ Esa. 5. Matth. 20. & 21. accipiunt, uti etiam Gesnerus: vel qvod illi Psalmi sint aptissimi & velut torcularia ad exprimendum vinum divini amoris in cordibus hominum. Vel qvia canendi sunt cum lætitia, qvomodo lætari & canere solent tempore vindemiæ, qvi de torcularibus ingentem vini copiam exprimunt, qvæ est expositio Bellarmini. Arnobius non pro torculari, sed pro multis torcularibus fixus est titulus, qvæ torcularia voces sunt omnium prophetarum, qvæ nunc impleta sunt, qvando vitis vera clavorum ferramentis plantata est, & in ligno crucis posita, lancea percusso ejus latere, tantum vini in his torcularibus fudit, ut non in Judæa tantum, sed in universa terra nomen Domini mirabile clamaretur: vel deniq; alii de Edom seu Esavi posteris accipiunt, qvos sit Rex Messias

I. *Legendum esse* הַגִּתִּית

Explicatur variè.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

Messias calcaturus in ira sua, ut calcantur in torculari uvæ, respicientes ad cap. Esa. 63. 1. 2. uti exponunt qvidam hebræi.

Verùm hi omnes carent fundamento, cùm nec textum corruptum esse probent, nec vocem גַּתּוֹת nunc in eo reperiamus.

Eorum verò, qvi lectionem hebræam recipiunt, alii locutionem esse plenam volunt, & vel esse melodiæ genus, vel cantilenæ initium, ad qvam Psalmus decantetur. Alii ellipticum, & designari existimant vel stationem Gitthæam, cum David arcam Dei Kirjathjeharimis Sionem deportare cogitans deponendam eam apud Obed-Edomum Gitthæum curavisset, motus offensione Husæ, qvæ historia 2. Sam. 6. describitur. Atq; ita Gath Rimmon intelligunt, qvod oppidum à Manassitis & Danitis communiter fuit attributum Kehatitis Jos. 21, 24. 25. qvæ est explicatio Tremellii & Junii: Alii deniq; arbitrantur, esse nomen instrumenti, in urbe Palestinæ nobili Gath (cujus mentio fit Jos. 11, 22. & 13, 3. 1. Sam. 17, 4. & 21, 12. & 27, 3. Mich. 1, 16.) inventi, indeq; abducti, qvo decantarentur hic & reliqvi Psalmi duo hoc titulo notati, unde Chaldæus paraphrastes, ad Cytharam advectam ex Gath, sicut & Lutherus noster habet: Ein Psalm Davids für zu singen auff der Githith & Tremellius ac Junius in 1. editione bibliorum, *ad Gitthæa instrumenta*, qvasi sit enallage numeri: qvæ sententia omnium videtur maximè probabilis, cùm propter similem ellipsin nominis substantivi in titulis usitatam, qvalem in titulo septimi Psalmi vidimus: tùm propter similem constructionem. Qvando enim post vocem לַמְנַצֵּחַ in

II. Etiam variè exponunt.

1.

2.

3.

4.

Qvæ maximè probabilis sententia.

in titulo Psalmi præpositio לַ cum nomine gentili construitur seqvente nomine מְנַצֵּחַ aut æqvipollente, instrumentum notari musicum per inductionem non improbabiliter concludimus. Non desunt, qvi patent intelligi instrumenta musica, qvibus utebantur posteri Jeduthunis, tertiæ musicorum sacrorum classis, ex qvorum genere erat Hobed-Edom Gitthæus ac familia ejus 1. Chr. 16, 38. Dici Gitthæa, qvia penes hanc familiam Gitthæam asservabantur, & ab ea pro ministerio sacro suo tempore fratribus musicis subministrabantur, ut docet locorum collatio 1. Chron. 9, 28. & 26, 20.

Qvod verò his non notetur historia, inde licet colligere, qvod ea in titulis psalmorum pluribus verbis notari consuevit, ut etiam inductione titulorum patet Ps. 3. 7. 18. 34. 51. 52. 56. 63. &c.

Porrò iis, qvi dicunt esse genus melodiæ aut initium cantilenæ, utpotè affirmantibus, incumbit probatio, qvam hactenus videre non licuit. Sed hæc hactenus, in qvibus est boni Theologi qvædam ignorare.

De qvo Psalmus loqvatur.

Nunc porrò ad certiora & magis necessaria accedamus inqvirentes initiò, de qvo psalmus præsens loqvatur: exstant enim duæ præcipuè hac de re sententiæ. Neqs enim omnium expositiones adducam, ne nimis prolixus sim. Sunt enim nonnullæ satis contortæ, ut illa R. Josephi Albo lib. 4. עקרים cap. 10. scopus, inqvit, est probare specialem Dei erga genus humanum providentiam ex intelligenti anima, qvâ præstat ceteris omnibus rebus tam cœlestibus qvàm sublunaribus. Hoc primùm prolepticè proponit per comparationẽ admirativè positam, qvàm magnum est nomen tuum in tota terra, qvia dedisti tuum

Juxta alios & potissimum Calvinianos.

Juxta Rabbinum.

deco-

decorem ſuper ipſos cœlos, nempe qvod non corrumpantur v. 2. ſed multò magis, qvia dediſti homini intellectum, eò qvod etiam ipſi lactentes ac ſugentes naturâ habent notiones communes inſitas, v. 3. qvales ſunt, qvod bonos præmiis afficis, & malos pœnis. Secundò latiùs declarat. I. præſtantiam cœli ex inductione qvorundam corporum, Lunæ & ſtellarum, qvæ ſi comparantur cum homine, videntur longè meliora, qvia non ſunt mutationi nec corruptioni obnoxia, ut hic eſt verſ. 4. II. hominis dignitatem exponit (1.) ex materiæ ejus imperfectione & corporis infirmitate v. 5. (2.) ex ipſius formæ perfectione, qvæ paulò minor eſt angelis, qvâ coronaſti eum, collocans in capitis meditullio præſertim, videlicet cerebro v. 6. (3.) ex effectis, qvia per intellectum feciſti eum dominari rebus aliis. Per hunc enim excogitavit modum, qvo ſibi ſubjecit animantia v. 7. & 8. & in mari viam invenit v. 9. ut meritò admirer tuam benignitatem erga hominem, qvi intra vilem materiam corporis voluiſti immittere animam tam eximiam v. 10. Qvam explicationem duabus potiſſimùm de cauſis afferre volui, unâ, ut conferatur cum multorum aliorum, inprimis qvorundam Calvinianorum exilia & vilia de hoc pſalmo præſumentium ſententia: alterâ, ut tyrones φιλεβραῖοι ſi incidant in librum hebræum prænominatum, habeant qvoddam exercitium & faciliùs ſingula intelligant. Sed redeo ad illa noſtra, ubi dixi, duas præcipuè explicationes hodie proponi. Prior eſt eorum, qvi in eo laudari ſtatuunt magnificentiam Dei ab opere providentiæ ac creationis, inprimis, qvâ curat hominem, unde etiam à Chriſto Matth. 21, 16. non aliò adhiberi autu-

mant, qvàm ad naturalem infantium nutritionem, qvæ fugunt ubera matrum, unde fideles peculiarem Dei erga infantes, qvibus nondum in lucem editis, de cibo prospicit, & ut naturâ duce, eum capere possint, facit, agnoscunt misericordiam, eamq; celebrant.

Juxta Lutheranos, de Christo.

Posterior eorum, qvi statuunt celebrari Dei magnificentiam in Christo explicatam, sed ita ut ab hoc tanqvam capite gloriæ & magnificentiæ Christo-homini tributæ effectus in pios, tanqvam membra dimanet per Evangelii prædicationem in N. T. omnibus oblatam. Prior refellitur

Probatur illud

1. *Tribus testimoniis* N. T.

1. Testimoniis tribus N. T. certissimis, qvibus probatur, Spiritum S. in hoc psalmo de opere creationis vel gubernationis mundi primariò non agere: inter qvæ primum est ipsius Christi, qvi v. 3. hujus psalmi non ad creationem mundi vel mirandam ejusdem gubernationem probandam allegat, sed acclamationi faustæ Prophetæ Regi ac sacerdoti Ecclesiæ peculiariter ad opus redemtionis Hierosolymis complendum adventanti, templum purganti, ac infirmos sananti à pueris decantatæ Matt. 21, 16. accommodat, innuens, reliqva in hoc psalmo vaticinia sibi uni & soli competere.

(1.) *Matth. 21, 16.*

(2.) *1. Cor. 15, 27.*

Secundum Apostoli Pauli qvi 1. Cor. 15, 27. ex v. 7. hujus Psalmi probat, Christo etiam mortem subjectam esse, argumentando à toto ad partem hoc modo: Si Christo omnia sunt subjecta, etiam mors ei subjecta est, qvæ est ultimus hostis. Sed illud. E. & hoc. Assumptum probat ex Psal. 8, 7. qvod haud faceret, si de toto genere humano loqveretur Psalmus. Tertium Epistolæ Ebr. 2, 6. 7. 8. ubi ex v. 5. 6. 7. 8. hujus Psalmi probatur, Christo-homini totum subjectum esse mundum & præcipuè Ecclesiam:

(3.) *Hebr. 2, 6. 7. 8.*

cleſiam: ejus enim magnificentia ſatis declarata eſt aſſumtione in unitatem perſonæ τῦ λόγυ, inſigni & peculiari Dei patris erga eundem dilectione ac cura cùm in ſtatu exinanitionis; tùm exaltationis, ideoq; angelis ipſis, aliisq; Eccleſiæ Doctoribus hic Dominus longè eſt major, magisq; nos oportet iis attendere, qvæ ab ipſo dicta ſunt nobis, qvàm qvæ ab Angelis, vel ſanctis Dei hominibus Ebr. 2, 1. 2. Secundò, refutari facilè poteſt illa ſententia ex ipſo Pſalmo. I. qvia non agit de naturali gloria hominibus in creatione donata, ſed de ſupernaturali, imò ſupercœleſti & divina, uni homini verè communicata verſ. 2. ut ex comparatione v. 4. adhibita liqvet. II. qvia totam Chriſti hiſtoriam evidentiſſimè proponit v. 5. 6. 7. qvæ nulli alii homini (ψιλῷ) nudo propriè accommodari poteſt, ut ex proximè citato loco apparet. III. Qvia non dicit, qvàm magnificum factum eſt olim nomen tuum Adamo in creatione, ſed in præſenti, qvàm magnificum eſt, & qvidem in tota terra. IV. Qvia homini nudo in creatione non ſunt ſimpliciter omnia opera Dei ſubjecta, ut habet v. 7. ſed tantùm animalia Gen. 1, 28.

II. ex pſalmi argumento.

(1.)
2.
3.
4.

Poſterior ſententia iisdem comprobatur rationibus & teſtimoniis, qvibus prior eſt refutata, ideoq; nunc, ut argumentum Pſalmi ſubjiciamus, ordo poſtulat: id verò tale eſt:

Argumentum.

Argumentum.

Admiratur David, glorioſèq; prædicat ſupercœleſtem decorem Chriſto-homini à patre datum, qvem amplificat cùm à manifeſtatione in prædicatione Evangelii, cujus etiam præcones infantes fuerunt, ad confuſionem infide-

infidelium, salutem verò credentium: tum ab enumeratione donorum, qvæ in eum sunt congesta, qvorum effecta in pios redundant per verbum de Christo prædicatum, per qvod interior noster homo renovatur de die in diem.

Usus. Usus est, ut Christo θεανθρώπῳ fratri nostro, tam glorioso Regi ac Domino semper psallamus, ei in omnibus periculis confidamus, ejusq; verbum, qvod etiam per minimas res prædicatur, prompte suscipiamus, eiq; obsequamur, cùm per hoc possit etiam in media morte nos salvare, prout hunc usum psalmi locis citatis indicat Christus & Apostolus. Vide Franciscum Junium in parallelis sacris l. 1. parall. 39. l. 2. paral. 40. & l. 3. c. 2.

Ἀνάλυσις. Partes duæ. Psalmus est ἐπαινετικὸς, formæ κυκλοειδοῦς. Partes ejus sunt duæ: Propositio & confirmatio.

I. Propositio. Propositio est, nomen Dei per Christum majestate supercœlesti donatum, factum est magnificum v. 2. explicata, & v. 10. in conclusione repetita.

II. Confirmatio. Confirmatio argumenta continet desumpta à persona I. Dei conferentis divinam illam majestatem, qvi est Jehova & Dominus noster v. 2. II. Eorum, qvibus est revelata, videlicet, omnium hominum, qvi in toto terrarum orbe vivunt ibid. III. Eorum per qvos prædicatur, videlicet, coram mundo contemptorum infantium & lactentium v. 3. IV. Eorum, ad qvos compescendos manifestatur ibid. v. 3. V. Christi hominis accipientis eam majestaetm, qvæ proleptice ponitur, in fine v. 2. latiùs verò deinde declaratur dupliciter. I si sensum literalem proprium respicimus, per comparationem corporum cœlestium, velut Lunæ & stellarum, qvibus cum Deus cœlestem

ſtem conceſſerit decorem, hoc homine miſero, cui datus eſt decor ſupercœleſtis, videntur digniora. Si verò, qvod magis aliis probatur, etiam hîc ſenſum conſideramus literalem figuratũ, declaratur I. comparatione gloriæ cœleſtis, collatæ & conferendæ vivis Eccleſiæ membris Chriſto ſuo capiti firmiter adhærentibus, per Spiritûs S. miniſterium, qvia his cœleſtem confert decorem; illi ſupercœleſtem dedit: his finita, creata, magna; illi infinita, increata, divina conceſſit dona: his per verbi efficaciam, illi per unionis gratiam v. 4.

II. Per ſe: probat enim qvod Chriſto homini coram mundo abjecto', collatus ſit decor ſupercœleſtis (1.) aſſumtione in unitatem perſonæ τῦ λόγυ. (2.) cura ſingulari, qvâ Deus eum proſecutus eſt v. 5. tam in ſtatu exinanitionis, qvando eum dereliqviſſe parumper videbatur, qvàm exaltationis, qvando gloriam & honorem antea in primo conceptionis momento conceſſum abundè declaravit in reſuſcitatione ex mortuis glorioſa, aſcenſione in cœlos ac ſeſſione ad dextram Dei v. 6. & communicatione omnipotentiæ divinæ, qvâ eum conſtituit Dominum omnium v. 7. & qvidem animalium, tam qvæ in terra v. 8. qvàm qvæ in aëre & mari vivunt v. 9. ex qvibus qvæ majeſtas in prioribus continetur, Chriſto ſoli propriè competit: qvod verò in his duobus poſterioribus verſiculis habetur, dominiũ cum piis communicatur. Omnia tamẽ eum in finem tendunt, ut ſalvemur, & nomen Domini ſit magnificum, non tantùm in univerſa terra, ſed etiam olim in cœlo, cum reverâ Jehova erit Dominus noſter, & omnia in omnibus 1. Cor. 15, v. 28. in hujus pſalmi v. 10.

PARS PRIOR.

Vers. 2.) Propositio hujus psalmi duplici exornata est figura Rhetorica, ἐκφωνήσει & παρεσφωνήσει, qvam alii appellare malunt ἀποστροφὴν seu aversionem. In illam prorumpit, cum diu apud animum majestatem & gloriam Dei considerasset: *Jehova*, inqvit, Deus bone, qvàm longè superat tua majestas in se considerata, qvâ lumen habitat inaccessum 1. Tim. 6, 16. nostras ingenii vires! illa potissimum particula יְהוָה indicatur, cujus usus freqvens est in admirationibus Psal. 36, 8. & 92, 6. & 104, 24. & 114, 5. Hac verò significat, qvod Jehova iste tremendus majestate summâ se clementer revelaverit in doctrina Evangelii, qvæ docet, qvod in filio nos suos inimicos sibi reconciliaverit Rom. 16, 25. 26. & 5, 8. 10. 2. Cor. 5, 18. ut jam deinceps sit Deus ac Dominus noster Joh. 20, 17. 18. nobis propitius (id est, noster) ac placatus per filium, 1. Joh. 2, 2. Jehova *Domine noster, qvàm magnificum est nomen tuum.*

Nomen Dei. Per nomen Dei (qvod est subjectum in hac propositione) hoc loco nihil aliud intelligit, qvàm concionem Evangelii, qvia in hoc se manifestè revelavit, cùm qvoad essentiam, tùm qvoad voluntatem, unde eum possimus agnoscere, ut aliàs res omnes ex nomine suo. Aliàs verò in genere Nomen Dei dicitur vel Deus ipse, vel qvicqvid de Deo, tàm ex libro naturæ ac operibus: qvàm scripturæ, cùm legis, tùm Evangelii cognoscitur. Vide supra Psal. 5, 12. & 7, 18. & 113, 2. 3. & 148, 13. Prædicatum verò explicat modum, qvo revelatum est in N. T. Evangelium, videlicet valdè magnificè, puta per Filium Dei unigenitum plenum gratia & veritate Johan. 1, 14. & 16

& 16. qvi in temporis plenitudine naturam humanam ex Maria virgine assumpsit Matth. 1, 18. 21. Gal. 4, 4. & verbum Patris æternum factum est caro, Joh. 1, v. 14. ut sit Emanuel noster, una persona θεάνθρωπος Matth. 1, 13. in qvo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter Col. 2, 9. sed tamen cum hoc modo esset in forma Dei, seipsum exinanivit, formam servi accipiens Phil. 2, 6. 7. factus nobis per omnia similis, excepto peccato Ebr. 2, 17. & 4, 15. & cum Patri factus esset obediens usq; ad mortem crucis, Deus ipsum superexaltavit, & largitus est ei nomen, qvod super omne nomen est Phil. 2, 8. 9. dans ei omnem potestatem, qvæ est in cœlo & in terra Matth. 28, 18. ut ita sit reverâ magnum pietatis mysterium, qvod Deus manifestatus est in carne, prædicatus inter gentes, creditus in mundo, assumtus in gloria 1. Tim. 3, 16. Hæc de Christo concio, coram mundo stultitia, coram Deo summa sapientia 1. Cor. 1, 21. magnificè sparsa est per Christum, ejusq; Apostolos, homines coram mundo abjectos, ibid. v. 27. 28. qvæ admiranda Evangelii prædicatio est miraculorum omnium maximum miraculum, de qvo vide Augustin. lib. 22. de civit. Dei c. 5.

Loci Communes.

Præter doctrinam ex v. 1.) I. de musices instrumentalis pio usu, de qvo suprà in titulo Psal 4.

Rebus ab impiis sumptis rectè utamur.

II. De rebus, qvæ ab impiis nobis obveniunt, ad gloriam Dei referendis: qvemadmodum hîc ad sacrum usum instrumentum musicum à Philistæis inventum adhibitum fuisse, ad tabernaculi exstructionem spolia Ægyptiaca Exod. 35, 21. ad Levitarum sustentationem, & ta-

bernaculi exornationem spolia à Midianitis parta Num. 31, v. 28. 30. 50. argentum aurum, instrumentaq; ferrea & aurea, qvæ fuerant Hierichuntis civium, in thesaurum domus Dei, Jos. 6, 17. 18. 23. ab Israëlitis collata, & à Davide prædam ab hostibus reportatam domui Dei consecratam legimus 2. Sam. 8, 11. 1. Chron. 18, 11. & 26. sic nos etiamnum piè iis, qvæ à Philosophis Ethnicis ex luce naturæ sunt rectè inventa & tradita, ad ædificationem, & non ad conturbationem Ecclesiæ uti possumus: Vide Basil. M. in oratione πρὸς τοὺς νέους. Augustin. lib. 2. de doctrina Christiana. Sic Paulus citavit testimonia poëtarum gentilium, Arati Actor. 17, 28. Menandri 1. Cor. 5, 6. Gal. 5, 9. 1. Cor. 15, 33. Epimenidis Tit. 1, 12. vel, ut alii volunt, Callimachi & qvemadmodum Paulus navi idollatrarum Act. 28, 11. Sic nos etiam bonâ conscientiâ aris, qvæ superstitioni Pontificiorum inservierunt, uti possumus, cum omnia munda sint mundis Tit. 1, 15. Roman. 14, 20. Christus ipse templum Jerosolymitanum bis purgavit Joh. 2, 14. 15. Matth. 21, 12. non jubet dirui, sed abusus tolli. Paulus aram idololatricam non destruit, Actor. 17, 23. sed inde homines instruit.

Affectus. Exv. 2.) I. Refutantur Stoici, qvi omnibus affectibus hominem carere volunt, cùm tamen admiretur hic psalmista Dei magnificentiam, & nos opera Dei cum admiratione suspicere ac admirari jubemur Es. 29, 9. Hab. 1, 5. exemplo piorum Christi parentum Luc. 2, 33. cognatorum Zachariæ Luc. 1, 63. Mosis Act 7, 31. imò Christi ipsius, Matth. 8, 10. Marc. 6, 6. qvi etiam tristis fuit Matth. 26, vers. 38. Johan. 11, 33. timuit, Marc. 14, 33. iratus fuit Joh. 2, 17.

Etiam in Christo.

III. De

III. De magnificentia Dei maxima Esa. 28, v. 29. Jer. 32,19. qvi est magnificus in alto Jehova Psal. 93, 4. Cùm enim magnificentia sit virtus magnorum Regum ac Principum peculiaris, qvi magnis sumtibus ingentia ædificant palatia, maximum famulorum alunt numerum, suisq; dona conferunt ampliſſima: meritò hic titulus soli Deo competit verè, qvi exstruxit potenti suo verbo totum hunc mundum & qvicqvid est in eo Gen. 1,1. Ps. 148, v. 5. cui assistunt & ministrant millia millium sanctorum angelorum Dan. 7,10. eumq; laudant Esa. 6, 3. Ps. 103, 20. qviq; illis & nobis æternam confert beatitudinem, Matt. 18,10. Ebr. 1, 6. *Magnificentia Dei.*

IV. Hinc oritur didascalia, qvia ita magnificus est Deus, meritò ab omnibus celebratur 1. Chron. 16, 24. 25. Psal. 86,9.10. ac invocatur Nehem. 1,2. Psal. 79,11. *Celebranda.*

V. παρόησις, ne metuamus hostes nostros Deut. 7, 21. Nehem. 4,14. neq; ipsum diabolum 1. Joh. 4,4. Joh. 10, v. 29. *hostibus opponenda.*

VI. Ἐπανόρθωσις, ne qvis homo videatur sibi magnus, Esa. 40,15.16. Dan. 4,37. Luc. 16,15. *Simus humiles.*

Discimus, qvemadmodum in V. T. fuerat prædictum, fore ut Evangelium de Christo, in totum terrarum orbem spargeretur Es. 54, 13. Jer. 31, 33. 34. ita etiam suo tempore hoc esse completum Rom. 10,18. Ebr. 8,9. seqq 2. Cor. 3,6. Joh. 6,45. 1. Cor. 1,7. cum Christus suos discipulos in totum mundum emisit, ut prædicarent Evangelium omni creaturæ Marc. 16, 15. voluitq; idipsum annunciari, ut omnes ubiq; pœnitentiam agerent Actor. 17,30. adeò ut etiam Paulus scribat Col. 1,6.23. Evangelium esse in toto mundo, imò omni creaturæ rationali, qvæ est sub cœlo, prædicatum in N. T. qvod in veteri præcipuè Ju- *Evangelium in toto mundo prædicatum.*

dæis proponebatur Psal. 148,19. 20. Es. 49,3. Matth. 10,6. & 15,24. Act. 13,46.

Refutantur hinc Calviniani, qvi docent, Deum nolle omnes homines vocari ad societatem regni cœlestis.

PARS POSTERIOR.

Vers.3.) Confirmatio, qvæ est altera & potior hujus Psalmi pars, argumenta enumerat, qvibus probatur meritò Dei nomen magnificè prædicari, Evangelii q; propagationem cum admiratione esse suspiciendam. Desumuntur ea à persona, I. Dei patris, qvi non tantùm filium suum unigenitum dedit mundo Joh.3,16. sed & illi omnia, qvà homo Matth.11,27. ut ita ab hoc autore Evangelii prædicatio meritò dici possit magnifica, cùm is se in eo revelet, non tantùm qvod sit *Jehova* יהוה omnium rerum Dominus ratione creationis, qvibus, cùm ipse fuisset ab æterno, sit & futurus in æternum Apoc. 1,8. & 21,6. & 22, 13. in tempore dedit ut existerent, vide Psal.3,2. & 7,1. sed etiam *Dominus noster* ratione redemptionis, qvam præstitit per filium Luc. 1, 68 & justificationis, qvam per eundem efficit Rom. 8, 32. in Christo mundum reconcilians sibiipsi, non imputans eis peccata, cum posuit in Apostolis sermonem reconciliationis, 2. Cor. 5,18.19.

II. A persona eorum, qvibus in N.T. prædicatur illa Dei δόξα, qvà jam homines in filio prosequitur Luc. 2, 4. Matth. 3,17. Non enim ampliùs vera de Deo doctrina finibus Judææ includitur Matth. 10, 5. 6. sed in totum terrarum orbem diffusa *in tota hac terra*, qvanta illa est, revelata est Rom. 10, 18. Col. 1, 23. Meritò igitur etiam hac ratione Dei nomen magnificum est, qvod non exiguis

exiguis includitur terminis, sed in tota terra, sub toto cœlo, ab omnibus gentibus audiatur Actor. 1, 8. & 2, 5. Matth. 28, 19.

III. A personâ eorum, per qvos in omnes terræ partes disseminata est hæc de Christo concio. *Ex ore* & testimonio (ita enim hæc vox accipitur Num. 3, 16. Matth. 18, 16.) *infantium* (hebraicè עוֹלְלִים qvi sunt pueruli lactentibus majores, qvi qvidem jam incipiunt, sed tamen nondum norunt rectè fari; unde Græcis νήπιοι appellantur, suntq; qvi ab hac radice λαλεῖν, & Germanicum Lallen deducunt, qvod in medio relinqvo, qviq; nondum possunt firmiter incedere, sed pedibus manibusq; nitentes aliqvid puerorum more agunt: unde ab עוֹלֵל id est, fecit, operatus est, nomen habent, qvò facit, qvod apud Chaldæos עֲלַל significat ingressus est, Dan. 2, 16. & 5, 10. & 4, 4. Non tamen cum Piscatore eandem inflare velim tibiam, qvi prolixè & operosè probat, עוללים semper esse puerulos grandiusculos, qvi ratione uti incipiunt, ut scilicet neget fidem infantum, qvi vel sola voce seqventi potest refutari, & ipse à particulari argumentatur, imò etiam ex dubiis locis certi qvid cupit concludere. Unde enim probabit, Jer. 6, 11. Thren. 1, 5. Jer. 9, 21. tantùm intelligi grandiusculos parvulos? cum possint infantes in tantis calamitatibus projici, in captivitatem deportari. Ex conjugatis & cognatis non potest id demonstrari, ut patet inductione multarum aliarum Radicum) *& lactentium*, uberaq; matris adhuc sugentium (ubi rectè Piscator, laudes Dei prædicant non tantùm parvuli, verùm etiam, qvod magis mirum est, ipsi lactentes, qvi nec rationis nec sermonis usum habent) *fundasti robur*

Os id est testimonium.

עוֹלְלִים

robur, hoc est, interprete Evangelista, καταρτισω αἶνον, quod quidem ab illis, quæ sunt in textu hebræo עֹז יִסַּרְתָּ discrepare videtur: sed si quis rectiùs inspiciat, optimè convenit: in verbo enim hebræo יָסַר, quod propriè θεμέλιον καταβάλλειν significat, & de creatione rerum firmissimarum usurpatur Psal. 24, 2. & 89, 12. & hoc loco in Pihel occurrit significatione magis intensa, est metalepsis, & notat rem firmissimam ac fundatissimam solidissimè struere, ne collabatur, ut in fabris domum ædificaturis fundamenta magno studio locantibus videre est. Cui significationi optimè respondet verbum græcum καταρτίζειν, hoc est, perficere Ebr. 11, 3. & 13, 21. artificiosè primum coagmentando Ebr. 10, 5. vel instaurando, quod à sua perfectione defecerat Gal. 6, 1. 1. Pet. 5, 10. Matth. 4, 21. ἄρτια siquidem Græcis sunt, quæ perfectam suam habent constitutionem; & καταρτισμένος perfectus Luc. 6, 40. 1. Corinth. 1, 10. עֹז verò sæpè etiam in scriptura laudem seu gloriam designat. Psal. 118, 14. & 29, 1. & 96, 7. Exod. 15, 2. Unde etiam in hoc psalmo, quo Dei gloria celebratur, in ea significatione accipi potest, inprimis cum de gloria illa loquatur, quæ Deo debetur ob revelatum Evangelium, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti Roman. 1, 16. & licet videatur mundo infirmum, tamen hominibus longè fortius est 1. Cor. 1, 25. Sensus igitur est, quod Deus laudem nunquam intermorituram sibi paraverit, cum Filium suum misit in mundum, perq; eum Apostolos & horum successores homines illuminavit, & salvare credentes constituit. Per parvulos enim & lactentes non tantùm propriè intelligit eos, qui tales sunt τὰ ἔτη, sed etiam, qui sunt τὰ ἤθη

Matth.

Matth. 18, 3. Marc. 10, 15. simplicitate puerulis similes, mentibus verò adulti & perfecti 1. Cor. 14, 20. qvales reverà fuerunt Apostoli, qvi simplici fide dogmata à Christo proposita susceperunt. Matth. 11, 25. Vide D. Frantz. de Interpret. script. pag. 188. &c. & D. Brentii Comm. in h. l. pag. 100. ac lacte verbi divini more puerulorum se potari & ali passi sunt 1. Cor. 3, 1. 1. Pet. 2, 2. Atq; ita simul instrumentalem causam & principalem efficientem in Evangelii manifestatione distinguit Psaltes: illa est Apostolorum ministerium: hæc ipse Deus, qvi Evangelium ac præconium Jesu Christi mysterium æternis temporibus tacitum, in Nov. Testament. præcipuè manifestavit, & per scripturas propheticas ad obedientiam fidei omnibus gentibus notificavit Rom. 16, 25. In qvam sententiam Ludovicus Vives lib. 2 de doct. Christ. Scientissimi est artificis malo & inepto instrumento idem efficere, qvod alius aptissimo vix possit. Sic Deus cum instrumentis omninò nullis indigeat, pauciſsimos ad qvam plurimos, rudes ad peritiſsimos, infantes ad disertiſsimos, simplices ad astutos, inermes ad armatos, inopes ad imperium populi Romani misit, ut sibi penitus diffisi ab ope Dei penderent.

IV. Argumentum deducitur à persona eorum, ad qvos compescendos hæc adhibetur concio: cum enim isti Apostoli ac parvuli, sapientes qvidem in bono, simplices verò in malo sint ii, sub qvorum pedes Deus pacis conterit Satanam Roman. 16, 19. 20. hic etiam vicissim ex odio, qvo erga Christum ejusq; membra flagrat Gen. 3, 15. omnibus modis illos & Ecclesiam, qvam ipsi ædificant super Christum Matth. 16, 18. 1. Cor. 3, 10. oppugnabit Eph. 6.

Diabolus Ecclesiæ hostis.

Eph. 6, 12. Apoc. 12, 7. 17. tam ipse 2. Cor. 4, 4. qvàm ejus organa, qvæ vel vi contra eam insurgunt, ut tyranni, vel fraudibus & falsa doctrina, ut hæretici Matth. 13, 28. 1. Reg. 22, 21. seqq. 2. Corinth. 11, 13. 14. 1. Timoth. 4, 1. qvos Christus ψευδοπροφήτας Matth. 7, 15. ψευδοχρίστους Matth. 24, 24. Paulus ψευδαδέλφους 2. Corinth. 11, 26. Galat. 2, 4. ψευδοαποστόλους 2. Corinth. 11, 13. ψευδολόγους 1. Timoth. 4, 2. Petrus 2. Epist. 2, 1. ψευδοδιδασκάλους nominat. Hac de causa psaltes ait, firmiter fundasti, ô Deus, laudem ex Evangelii prædicatione orituram Psal. 87, 1. 2. *propter angustatores tuos*, qvi sunt gentes & nationes terræ seu populus Judaicus initio N. T. inprimis verò seqventibus seculis tyranni, principes & Reges terræ Psal. 2, 1. Actor. 4. qvi dum putant se tantùm miseros istos parvulos prædicantes & recipientes Evangelii doctrinam affligere, Johan. 16, 2. 3. Actor. 22, 9. 10. Jehovam ipsum & Christum ejus persequntur Act. 9, 4. Ps. 2, 2. ac qvantum in se est, angustant Ps. 3, 2. Joh. 16, 33. Surge igitur Jehova in ira tua & exalta te contra furores angustantium te Psal. 7, 7. *ad compescendum* (hebraicè לְהַשְׁבִּית ut cessare facias, & à cœpto volentes nolentes desistere cogas, vel convertendo morigeros, vel perdendo obstinatos 1. Cor. 1, 27. Esa. 29, 14.) *inimicum & ultorem sui.*

Per inimicum κατ' ἐξοχὴν plerique interpretes notari volunt ipsum diabolum, generis humani hostem infensissimum, qvi propterea apud hebræos in V. T. שָׂטָן, apud Græcos in N. T. ὁ ἐχθρὸς per ἀντονομασίαν sæpè dicitur: vel hebræa voce leviter inflexa ὁ σατανᾶς vocatur Job. 1, 7. 8. 9. 1. Chron. 21, 1. Zachar. 3, 2. 3. Matth. 13, 39. Lucæ 10, 19. Matth. 21, 25.

Per

Per ultorem sui significari volunt hæreticum, qvi se ipsum & alios, qvi ipsum audiunt, in æternum præcipitat exitium, vindictamq; Dei in se excitat, ut & Apostolus loqvitur Tit. 3, 11. ἀυτοκατάκριτος ὢν, & cujus finis erit secundum opera ipsius 2. Cor. 11, 15. 2. Timoth. 3, 6. seqq. Rom. 2, 5. *Ultor sui.*

V. Argumentum, idq; præcipuum & prolixius tractatum, desumptum est à persona ejus, cui collata est illa majestas & supercœlestis gloria in toto terrarum orbe ab Apostolis eorumq; successoribus deprædicanda Continetur id prolepticè, & breviter indicatur in fine vers. 2. *eò qvod exponis supercœlestem decorem tuum*: hebr. אֲשֶׁר תְּנָה הוֹדְךָ עַל הַשָּׁמָיִם, qvæ verba propter enallagen modi, & modum loqvendi peculiarem, obscuriora videri poterant: sed si qvis psalmistæ scopum, lucem in N. T. à Christo & Apostolis huic loco allatam, & deniq; linguæ sanctæ idiotismos consideret accuratiùs, satis sunt manifesta. Vide & confer qvæ allata in Exercitationibus Biblicis edit. 3. pag. 374. usq; 378. Non autem qvidam ita rectè vertunt hebræa, *& das laudem tuam usq; ad cœlos.* עַל enim ita non usurpatur, neq; hîc tantùm dicitur, qvod laus Dei pertingat usq; ad cœlos, ut infrà probabitur. Nam qvod vulgatus interpres ex LXX. vertit, qvoniam elevata est magnificentia tua super cœlos, & ex Bellarmini sententia, rectè, non probamus, qvi vim textui facit, dum & verbum activum passivè accipit, & magnificentiam Dei essentiale attributum simpliciter intelligit, contra scribentis intentionem. Non enim propositum fuit psalti celebrare Deum à magnificentia divina, qvæ ipsi ex natura competit, sed ab ea majesta- *Propter dare decorem tuum super cœlos.*

te divina, qvam Christo-homini communicavit per unionis gratiam, qvamq; per Evangelium in totum mundum divulgandam curavit. Huc refero illa verba D. Bruntii in hunc Psalmum: Extant in literis N. Testamenti haud obscura testimonia, qvod intelligendus sit hic Psalmus de regno Christi, & de gloria ac majestate, qvâ Christus à Deo patre suo ornatus est. Et paulò post: Ex his manifestum est, qvod hic Psalmus sit commendatio non humanæ naturæ in genere, sed potius Christi Domini nostri, qvi passione & morte sua non ipse tantùm pervenit in summam majestatem, sed secum etiam in cœlestem gloriam evexit omnes homines, qvi fiduciam salutis suæ in ipso collocant.

Probatur. Patet hoc I. ex eo, qvod Christus suo humili in urbem Hierosolymam ingressui versum hujus Psalmi accommodat tertium Matth. 21, 9. 15. 16. II. Apostolus 1. Corinth. 15, 20. 21. 27. ex hoc Psalmo probat Christo secundum eam naturam, qva pro nobis mortuus & resuscitatus est, omnia à Patre esse subjecta: atq; ita Christo-homini communicatam esse majestatem divinam per unionis gratiam, qvæ τȣ̃ λόγȣ erat propria per essentiam. III. Epistola ad Hebr. c. 2. disertè explicat, hanc esse illam gloriam, qvæ Christo homini data est à Deo, cum paulò inferior factus esset angelis propter passionem mortis, postea verò gloria & honore coronaretur v. 6. 7. 8. 9. Porrò tantum abest, ut verba textus nobis reclament, ut potiùs nostram sententiam stabiliant qvàm maximè. Notius enim est, qvàm ut probari debeat, Relativum אֲשֶׁר אֲשֶׁר sæpè pro conjunctione causali per ἀντιμερίαν usurpari Gen. 39, 9. 23. Buxtorff. thes. 300. 541. 549. תְּנָה תְּנָה est

est infinitivus Kal. cum ה paragogico à fine, à Rad. נָתַן, id est, dedit, hoc loco, per enallagen modorum hebræis frequentissimam, positus pro præterito Buxt. p. 95. & 465. Jun. l. 3. Gram. c. 7.

Deniq; הוֹד עַל־הַשָּׁמַיִם vel dicitur per ellipsin relativi frequentissimam, ut sit sensus, gloriam tuam qvæ est super cœlos, hoc est superior, melior & præstantior ipsis cœlis, vel supercœlestis (ἐπουράνιον) Buxt. pag. 374. & 334. vel ex elegantiis linguæ sanctæ est, ut pro adjectivo periphrasticè usurpetur substantivum præcedente præpositione; de qvo genere elegantiarum vide Buxt. th. pag. 308. 309. 332. 333. Qvid? qvod nec in N. T. hoc loqvendi genus hebræum sit inusitatum ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, id est panem cœlestem vocat Johannes cap. 6, 31. & κύριον ἐξ οὐρανοῦ Dominum cœlestem appellat Apostolus 1. Corinth. 15, 47. Concludimus ergò, sensum horum verborum esse: eò qvod dare, id est, tu Deus das decorem tuum super cœlos, id est, decorem supercœlestem & divinum homini isti misero, de qvo paulò post in ἐξηγήσει.

הוֹד עַל
הַשָּׁמַיִם

Ex grammatica hac & nativa vocum significatione magna huic loco lux affertur, in qvo notanda sunt tria, I. Qvis det, qvod ex præcedentibus liqvet, videlicet Jehova Dominus Deus noster, pater Domini nostri Jesu Christi, qvæ tamen una persona divinitatis nominata reliqvas non excludit: Pater enim qvia fons est Filii & Spiritûs Sancti, ipsi peculiariter hoc tribuitur, qvod est omnium trium personarum commune. II. Cui det, qvod ex seqventibus patet v. 5. 6. nempè Filio hominis, unde nata est illa veriissima antiqvitatis regula: Qvicqvid dicit scriptura datum esse Filio Dei, Christo θεανθρώπῳ

1. Qvis det.

2. Cui det.

θρώπῳ in tempore, secundum humanitatem dicit, non deitatem.

3. Qvid det. III. Qvid det, nempè non dona aliqva creata & finita: sed qvæ sint ipsius Dei, ac ipsum cœlum, opus Dei maximè stupendum & mirabile, suâ præstantia longè, imò infinitis modis superent, hoc est, divina & increata. Qvæ duo posteriora hîc contra Calvinianos breviter qvidem declarata, sed probè observa, & ride hanc Piscatoris aliorumq; Rabinicam, & frigidam glossam: Jehova qvi evehis majestatem tuam supra cœlum, id est, superiorem cœlo facis, qvia ab æterno talis illa est, qvomodo igitur nunc demum Deus illam superiorem cœlo faceret? Qvidam aliqvantò commodiùs cum patribus explicant de ascensione Christi in cœlos. Arnobius. Factum est nomen Domini mirabile, cùm elevaretur magnificentia ejus super cœlos. Deniq; cum verbum נָתַן non tantùm dare, sed etiam aliis exponere, qvæ data sunt significat metaleptice, unum vocabulum utrumq; significat, videlicet qvod Christo-homini divina illa propria sint communicata Matth. 11, 26. & 28, 18. Luc. 1, 33. ac in Evangelio exposita, qvod inde dicitur δωρεὰ ἐπουράνιος Ebr. 6. 4. κλῆσις ἐπουράνιος, Ebr. 3, 1. dona verò cum & in eo nobis oblata τὰ ἐπουράνια Eph. 2, 6. & 1, 3. (qvæ libenter nobis eripit Satan Eph. 6, 12. vide Luc. 8, 12. ut non sit necesse cum qvibusdam statuere, hic esse mendum, & legendum, ἐν τοῖς ὑπερουρίοις) ab ipso Christo & Apostolis tum ad salutem nostram Col. 1, 19. seqq. & 2, 9. 10. Rom. 16, 25. Joh. 17, 4. 6. tùm ad Dei gloriam inde magnificè prædicandam præstita Phil. 2, 9. seqq. Eph. 1, 3.

נָתַן

Ἐπουράνια.

Vers. 4.) Atq; hactenus qvidem proleptica qvinti argu-

argumenti propositio: sequitur uberior expositio, quæ duplex: primùm si sensum literalem hîc sequimur proprium I. per comparationem corporum cœlestium, quorum decore decorem Christo-homini donatum longè præstantiorem dixerat v. 2. *Quando respiciam*, hoc est, respicere soleo, ex idiotismo linguæ sanctæ, in quâ futurum in generalibus sententiis pro tempore præsenti accipitur Buxtorf. Thes. p. 91. hebraicè רָאִיתִי à Radice רָאָה id est vidit, tàm oculis, quàm animo. Unde intelligimus indicari hoc loco eum adspectum cœli, qui animo præsente fit & attento, ac ab his inferioribus terrenisq; ad res superiores vel cœlestes considerandas hominem abducit. Quando igitur attentè intueor, & considero *cœlos tuos*, tum quia sunt sedes tua Esa. 66, 1. Psal. 115, 3. 16. tum quia sunt maximè mirandum opus manuum tuarum Psal. 102, 26. imò *digitorum tuorum*, quoniam & summa facilitate abs te sunt creati, & valdè artificiosè conditi, ut subtilia ac pretiosa opera, quæ summi artifices non corporis robore, non manibus sed summis digitis conficiunt, ut vel maximè pictores, phrygiones: unde digiti apud hebræos אֶצְבְּעוֹתֶיךָ à Rad. צָבַע id est pinxit, nomen habent, quod sint potissimum pingendi instrumentum. Rabbini autem nugantur, propterea cœlos dici opus digitorum Dei, quia sint 10. orbes, ut 10 digiti. Præsertim verò cum tempore nocturno, quod meditationi est aptissimum supra Psal. 1, 2. sole sub nostrum hemisphærium digresso *lunam & stellas* adspicio, earumq; varias sed tamen certissimas motuum vices atq; species perpendo, & in memoriam inde regredior, quod tu eas ita creâris, *quas tu paravisti*, cum cœlum quarto creationis

רָאִיתִי

Cœli.

opus digitorum Dei.

tionis mundi die luminaribus ornares splendidissimis (si-
כּוֹנַן quidem verbum כּוֹן, quod hic in Pihel extat, cum de Deo
dicitur, creare sæpiùs significat Prov. 8, 27. Sic inter alios
etiam D. Brentius. Est collatio, quâ opus redemptionis
antefertur operi creationis, q. d. cum aspicio cœlos tuos,
agnosco summam tuam potentiam & majestatem, sed
cum intueor filium tuum, magnitudo tuæ clementiæ &
misericordiæ excedit omnem humanum captum. *Quid*
est (autem) homo ille? &c.

Vers. 5.) Cum hæc corpora cœlestia tanta luce, tanta virtute prædita, ita considero, & cum iis confero hominem multis calamitatibus & infirmitatibus obnoxium, in primis verò eum, qui morbos nostros pertulit, & dolores nostros bajulavit, Christum videlicet Esa. 53, 4. tentatum in omnibus & circumdatum infirmitate Ebr. 4, 15. & 5, 2. statim animum tacita subit hæc cogitatio: Deus bone, *quid est miser hic homo, ut sis memor ejus.* Vide, sed etiam expende, quia ex parte tantùm bona sunt, quæ habet Drus. in Q. & R. l. 3. q. 77. & 78. Atq; hæc quidem hactenus simpliciter interpretamur sensu literali proprio, fidei analogiæ non contrario. Verùm si scopum psalmistæ consideramus accuratiùs, nullum est dubium, quin adhuc majus sub his verbis lateat mysterium, id autem est tale: Cùm dixerat versu præcedente, Deum ex ore infantium & lactentium sibi paravisse laudem, perq; Evangelii prædicationem, quæ est coram mundo stultitia, perdere ac fatuam reddere mundi sapientiam, perq; suorum Apostolorum infirmitatem mundi pudefacere
Objectio. potentiam 1. Corinth. 1, 18. seqq. Objicere poterant mundani, hæc esse vilia magnificentiæ Dei argumenta,

cum

cum plerumq; miserrima Ecclesiæ sit facies, præoccupat hanc objectionem vates regius, & regnum Christi non tam in hac terra inchoatum, qvàm olim in cœlo consummandum vult considerari. Qvando enim, ô Deus, respiciam tuos cœlos, opus digitorum tuorum, lunam & stellas, qvas tu paravisti. Qvando videbo Ecclesiam vel olim in cœlis triumphaturam, qvæ jam in terris militans contra inimicum & ultorem, est regnum Dei inter homines Luc. 17,21. Vel eam, qvæ in N. T. ex omnibus gentibus est colligenda, in qva omnia, qvæ ad Evangelium de Christo spectant, longè dilucidiùs proponentur, qvàm in V. T. Ebr. 10,1. Rom. 12,11.12. 1. Joh. 2,8. atq; in ea completa cernam digiti tui, hoc est, Spiritûs Sancti dona tàm in discentibus ejus membris, qvæ lunæ referunt imaginem, qvàm docentibus, qvæ stellarum instar lucent, & illa illuminant, tum apparebit, me verè esse locutum, & minus dixisse, qvàm rei tantæ reqvirebat amplitudo. *Resp.*

Ac ne qvis longiùs petitam vel ab analogia fidei discrepantem hanc existimet expositionem: videndum nunc porrò est, qvomodo hæc omnia in aliis scripturæ locis declarentur.

I. Enim Ecclesia lunæ comparatur Cant. 6,9. Apocal. 12, 1. tum qvod, ut hæc solis, sic illa solis justitiæ Malach. 4, 2. radiis luceat Galat. 2, 20. tum qvod, ut hæc modò nova, modò corniculata, modò dividua, modò plena apparet, variasq; suas, prout ad solem vel accedit, vel ab eodem recedit, ostendit facies: sic hæc modò floret, & plenâ luce refulget, modò oppressa persecutionum caligine obscurior visitur; sed ut Luna nunqvam soli est *Ecclesia confertur Lunæ.*

propior, qvàm cùm minimè lucet: ita etiam Ecclesia nunqvam magis est glorioſa, vel magis ſentit divinum auxilium, qvàm cùm videtur abjectiſſima Pſ. 91, 15. Mich. 7, 7. Eſa. 57, 15.

Doctores ſtellis.

II. Cum omnes pii viva Eccleſiæ membra lucent, ut ſtellæ in natione prava Phil. 2, 15. tum inprimis Doctores fulgent aſtrorum inſtar Apoc. 1, 17. 20. & 2, 1. & 12, 1. 4. Et certè olim in reſurrectione mortuorum fulgebunt ut ſtellæ Dan. 12, 2. 3. 1. Cor. 15, 40. ſeqq.

Sp. S. Dei digitus.

III. Sunt hæc Luna & ſtellæ opera digiti Dei, id eſt, Spiritûs Sancti, qvi digitus Dei dicitur Exod. 8, 19. interprete Matthæo c. 12, 28. eò qvod ipſi opus ſanctificationis & regenerationis, qvo formamur, & ex regno Satanæ in regnum filiorum Dei transferimur, attribuitur, Rom. 1, 4. & 8, 15. Tit. 3, 5. 6. 2. Cor. 3, 6. Epheſ. 3, v. 16. impropriè verò in plurali numero deſignatur digitorum nomine propter varia dona, qvæ in Eccleſia, in regno cœlorum Luna & ſtellis ſuis operatur 1. Cor. 12, 12. ſeqq. licet ipſe ſit unus ſpiritus Eph. 4, 4. 1. Cor. 12, 12. qvemadmodum eadem de cauſa ſeptē ſpirituum fit mentio Apocal. 1, 4. qvid? ſi numero plurali divinam excellentiam pro ratione ſubjectæ materiæ deſignari qvoq; dicamus? confer qvæ in hanc ſententiam dicta in Exerc. bibl. edit. 3. pag. 99. &c.

IV. Eccleſia militans, qvando æſtimatur ex futura gloria, regnum cœlorum ſæpiſſimè vocatur in N. T. & ab Eſaia c. 65, 17. cœli novi, 2. Pet. 3, 13. Eſa. 66, 22. Apocal. 21, verſ. 1.

His ita annotatis facilè probari poteſt illa, qvam attulimus, explicatio, qvam tantò retinemus libentiùs, qvod

qvod antecedentibus & conſeqventibus optimè congruat, & his qvidem, qvia nunc porrò à Propheta regio per ſe declaratur decor ille ſupercœleſtis, Chriſto-homini à Patre collatus, qvi cœleſtem decorem & dona credentibus in N.T. collata multis ſuperat paraſangis. Declaratur vero I. exaſſumtione in unitatem perſonæ τῦ λόγȣ, & amplificatur ex miſerâ conditione, in qvam ſe noſtra cauſa demiſit: reliqva enim corporis Chriſti myſtici membra, licet etiam coram mundo ſint contempta, 1. Corinth. 1, 26. 27. 28. tamen ipſe Chriſtus adeò humilem & abjectam in ſtatu exinanitionis aſſumpſit ſervi formam Phil. 2, 7. ut fuerit contemptus & abjectiſſimus virorum, doloribus affectus & familiaris morbo, contemptus ita ut non æſtimemus illum, Eſa. 53, 3. Hinc meritò David in admirationem abreptus exclamat: Jehova Domine noſter, *qvid eſt miſer iſte mortalis* Hebr. אֱנוֹשׁ Chaldaicè בַּר־אֱנָשׁ Dan. 7, 13. id eſt, homo miſeriis & calamitatibus obnoxius Pſal. 9, 21. & Job. 7, 1. ſeqq. qvaſi dicas morbidum vel ægrotabilem, à rad. אָנַשׁ, id eſt, ægritudine affectus fuit 2. Sam. 12, 15. qvem Chriſtus ex Maria virgine aſſumpturus, & qvi tot ac tantis calamitatibus erit ſubjectus in tota vita, paſſione ac morte: non qvidem per ſe, ſed propter noſtram ſalutem. Qvid eſt iſte mortalis (ex hominum judicio ſi eum æſtimare velimus) ad te Deum collatus, *ut ejus ſis memor*, eumq; in unitatem perſonæ Filii tui unigeniti aſſumi velis. אֱנוֹשׁ

Differentia decoris Chriſti & ſanctorum.

Atq; ita prima differentia decoris Chriſto & reliqvis ſanctis hominibus collati deſumitur à modo unionis, qvia in Chriſto homine tota plenitudo Deitatis habitat σωμαλικῶς Col. 2, 9. in reliqvis tantum effectivè κατ' ἐνέρ-

ἐνέργειαν τῆς χάριτος, πνευματικῶς 1. Corinth. 12, 11. Christo-homini unita est divina τὸ λόγος natura κατ' ὑπόστασιν ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως καὶ ἀδιαστάτως, λόγος assumsit eum in unitatem personæ suæ indivisè, inseparabiliter & indistanter: in reliqvis sanctis habitat Deus seperabiliter 2. Cor. 6, 16. Judic. 16, 20.

Secundò, idem probatur ex peculiari Dei patris erga hunc assumptum in unitatem personæ τὸ λόγος hominem cura, *aut qvid*, inqvit, *est filius hominis*. (Heb. אֱנוֹשׁ qvi est homo vilis & abjectus, Psal. 49, 3. & 62, 10. Esa. 2, 6.) semen illud benedictum mulieris Gen. 3, 15. & filius ejus Gen. 49, 10. puta virginis Esa. 7, 34. *ut visites eum*, & amoris summo gradu proseqvaris. Non verò intelligit psaltes qvemlibet hominem seu speciem humanam, sed tantum unum singularem, videlicet Christum, qvi post incarnationem vel sexcenties in N. T. dicitur filius hominis: tum ut ostendatur, ipsum esse semen illud promissum patribus, qvod ex eorum lumbis esset oriturum Psal. 132, 11. Rom. 9, 5. ut in catalogo Majorum & Genealogia ejus instituta cùm à Matthæo c. 1. tùm à Luca c. 3. manifestò demonstratur, tum ut indicetur ipsum esse hominis, mulieris scil. tantum Gen. 3, 15. Gal. 4, 4. non hominum duorum filium. Hic verò, ut etiam Dan. 7, 13. & Psal. 80, 18. Filius hominis per περίληψιν vocatur, qvia Christus neq; corpus phantasticum habuit, ut erravit Marcion, sed verum, neq; id ex cœlo delatum, aut assumptum, vel ex natura cœlesti, vel syderea vel elementari, ut somniarunt Valentiniani & Anabaptistæ, sed corpus humanum, idq; non solum seu exanime, ut docuit Apollinaris, sed corpus & animam, partes hominis essen-

Christus filius hominis.

περίληψις.

essentiales ex Maria virgine in ipsius utero, atq; adeò totum hominem assumpsit Luc. 1, 31. & 42. Roman. 1, 3. & 9, 5. Galat. 4, 4. ut meritò filius hominis Matth. 9, 6. vir Actor. 2, 22. & homo verus dici possit 1. Timoth. 2, 5. D. Heshusius existimat, describi hoc versu causam redemptionis impulsivam, videlicet generis humani miseriam, ex qva per Christum ad tempus à patre desertum v. 6. sit liberatum.

Status exinanitionis

Vers. 6.) Hanc curam Dei probat cum in statu exinanitionis, in qvo qvidem majestatem divinam habuit Christus-homo, sed propter redemptionis mysterium plenariè non exseruit, liberèq; ac voluntariè majestatis suæ usu ad tempus se abdicavit. Ita loqvitur: *Deficere eum fecisti parum à Diis* (hebraicè מֵאֱלֹהִים) qvod vel de Deo ipso potest accipi, qvando in cruce clamabat Christus: Deus mi, Deus mi, qvare me dereliqvisti Psal. 22, 2. vel de angelis, hoc nomine sæpè appellatis, qvi etiam Christum parumper in passione dereliqverunt Matth. 26, 53. & infra qvos ipse Christus se humiliavit, βραχύ τι παρ' ἀγγέλους ἠλαττωμένον Ebræor. 2, 9. Perpende qvæ habet Drusius in Q. & R. l. 2. q. 22. inprimis num rectè dicatur, fecisti eum propemodum Deum, siqvidem Christus-homo est Deus. Hæc autem κένωσις Phil. 2, 7. est διὰ πάθημα θανάτου Ebr. 2, 10. & ad totam qvidem personam θεάνθρωπου refertur, verum secundum humanam naturam, qvâ passus & mortuus est 1. Pet. 3, 18. Atq; ita hinc patet, cum Christus fuerit homo miser & mortalis à Deo parumper derelictus ac inferior angelis factus I. qvod tempore exinanitionis ferè infirmitatibus iis, qvæ consequuntur totam speciem humanam peccatricem, fuerit sub-

subjectus licèt peccatum proprium non haberet, id qvod negavit olim Hilarius. II. qvod verè fuerit passus, qvod negarunt ἀφθαρτοδοκηται. III. qvod fuerit verè mortuus, qvod negarunt Manichæi. Chem. de duab. natur. in Christo c. 3.

Status Exaltationis.

De statu exaltationis hæc sonant verba: *sed gloria & majestate coronasti eum:* Et conjunctio qvidem (aliàs copulativa, sed hoc loco adversativa, ut Psal. 2, 6. 10. & 3, 4.) manifestam inter humiliationem & exaltationem facit antithesin: in reliqvis verò verbis primùm tria illa notanda sunt, de qvibus suprà in propositione proleptica v. 2. I. Qvis dederit? videlicet Pater, qvi cum verbum caro fieret, plenum gratiâ ac veritate id esse voluit Joh. 1, 14. & cum tempore passionis hunc filium pauliſper reliqverat, postea gloriosè ex mortuis resuscitavit Rom. 1, 4. c. 6, 4. & collocavit ad dextrā' majestatis Eph. 1, 20. Non enim Christus sibi rapuit Phil. 2, 6. Ebr. 5, 4. 5. sed à patre suo petiit & accepit Joh. 17, 1. 5. Hoc indicatur verbo coronasti. Ut enim; si cui corona regia legitimè imponitur, eo ipso rex demonstratur: ita etiam Christus, qvando à patre majestate hac gloriosè coronabatur & superexaltabatur, ut, qvam habebat per unionis gratiam, per sessionem ad dextram Dei, omnibus appareret majestas divina, Rex Ecclesiæ suæ, atq; adeò Dominus omnium declaratus est.

Pater dedit Christo,

eumqve coronavit.

II. Cui dederit? significatur pronomine demonstrativo, qvod tamen hoc loco relativum est, videlicet, coronasti *eum*, miserum istum hominem abs te pauliſper abjectum, passum & mortuum, qvò pertinent duo verba seqventia, de qvibus in membro qvarto.

Vers.

Vers. 7.) III. Qvid dederit? nempè gloriam & majestatem. Ne qvis verò hanc explicaret de donis finitis & creatis, porrò (præterqvam qvod v. 2. supercœlestem vocavit) pluribus explicat, qvæ & qvanta ea sit, ut inde facilè cuivis pateat, infinitam & divinam majestatem ei esse communicatam, cum ei data sit divina omnipotentia, seu ut Christus explicat, Matth. 28, 19. omnis potestas in cœlo, qvâ supra omnes res cœlestes, terrestres & infernales regnat, sedens ad dextram Dei patris ἐν τοῖς ἐπουρανίοις Phil. 2, 19. Eph. 1, 20. 21. & v. 7. hujus Psalmi, & in terra, qvà dominium in omnia animantia, tum terrestria, tum domestica & cicura, qvibus utimur vel in cibo tantum, vel etiam in labore, unde à juvando dicuntur jumenta, tum sylvestria & fera, v. 8. qvàm volucria & natantia v. 9. qvod in primo Adamo amisimus, accepit, & nobis ipsius membris restituit.

Christus est Dominus.

Deinde IV. adjicitur, videlicet modus, qvo hæc Christo-homini data sunt. Nam qvod naturam divinam attinet; Christus est Dominus rerum omnium φύσει à patre ab æterno genitus Psal. 2, 7. qvod verò ad humanam naturam, est etiam Dominus rerum omnium θέσει & à patre in tempore Dominus factus Actor. 2, 36: Unde psaltes ait (si vim verbi hebræi notemus) הַמְשִׁילֵהוּ *fecisti eum dominari operibus manuum tuarum.* Atq; ut intelligeremus, omnia ei subjecta esse, præter eum, qvi subjecit ei omnia, interprete Apostolo 1. Cor. 15, 27. addit psaltes, *Omnia posuisti sub pedibus ejus*, ut eum superiorem agnoscant, ejusq; imperio obediant, qvod adeò verum est, ut summus & ultimus hostis mors ipsa qvoq; ejus dominium agnoscat, morte Christi victa.

Vers.

Verſ.8.) Atq; hactenus declarata eſt poteſtas, qvam Chriſtus à patre acceptam ſibi ſoli ſervat, tanqvam Eccleſiæ capiti & Regi, qvâ ubiq; in medio inimicorum potenter dominatur & ſuos defendit Pſal. 120, 2. ſeqvitur illa, qvâ regnat in hac terra, præſertim in animantia, cujus nos ſua membra reddit participes. Qvod enim olim Adamo & nobis in ipſo, tanqvam humani generis ſtirpe, à Deo in hæc omnia conceſſum eſt dominium, in ipſo lapſu perdidimus: in Chriſto verò, altero Adamo, recipimus.

Declaratur hoc κατὰ μερισμὸν paulò antè indicatum & dilucidè in textu expoſitum, ut non immeritò miremur, qvo vertiginis ſpiritu abrepti qvidam Pontificii textum adeò perſpicuum ſuis commentis obſcurare voluerint. Sunt enim qvi ita exponunt: indicatur his verbis poteſtas Chriſti, ejusq; in terris Vicarii Pontificis Romani, & ea, qvæ ſe extendit ad terreſtria per oves, boves & pecora campi: qvæ ad cœleſtia, per volucres cœli; qvæ ad infernalia, per piſces maris.

Pontificiorum gloſſa.

Sunt qvi hoc modo interpretantur, indicari hîc per oves, fideles ſubditos: per boves, prælatos: per beſtias agri, infideles: per aves, angelos, qvi in ſublime feruntur & canunt Dei laudes. Per piſces maris, dæmones, qvi habitant in profundiſſimis locis, & ad laudes Dei ſunt magis muti qvàm piſces. Qvidam per piſces eos qvi ſunt in purgatorio intelligunt. Ineptè ſanè utriq; & præter ſcopum Pſalmiſtæ, qvi tantùm hîc de dominio Chriſti-hominis agit, qvod ſuis membris in animantia conceſſit, ut jam purificatis fide & mundis omnia ſint munda Actor. 15, 9. Tit. 1, 15. Qva de re vide

Act-

Act. 15, 9. Tit. 1, 15. Qva de re vide Act. 10, 11. seqq. Rom. 14, 7. 8. Non igitur etiam Arnobii illa explicatio literalis est, dum oves, simplices nominat, boves, qvi laborant subjugo domini; pecora campi, plebs laicorum est; volucres cœli, alta cogitantes; pisces maris, profunda rimantes, &c. siqvidem his non modò, sed omninò omnibus creaturis imperat Christus. Exemplum verò, qvomodo ipse Christus, etiam in statu exinanitionis, dominatus sit piscibus maris, suppeditat historia Luc. 5, 4. & post resurrectionem Joh. 21, 6. descripta.

In vers. 9.) per vocem hebræam יָם proprié dictum mare seu oceanum: per יַמִּים verò ex usu sacræ linguæ omnia flumina, stagna, rivos, lacus Gen. 1, 10. intelligimus. Unde in N. T. stagnum Genesareth Luc. 5, 1. sæpius mare vocatur Marc. 5, 13. Matth. 4, 18.

Vers. 10.) His ita expositis David propositionem repetit: *Jehova, Domine noster, qvàm magnificum est nomen tuum in universâ terra.* q. d. Qvæ omnia cum ita sint, videlicet Evangelium de Christo in totum terrarum orbem mirabiliter sparsum, Christus ipse ut homo miser pauliſper abs te derelictus, sed gloria supercœlesti, imò omnipotentiâ divinâ donatus, & ab hoc vicissim pii, cum alia dona spiritualia, tùm dominium in animantia acceperint, meritò in principio hujus Psalmi exclamavi: Jehova Domine noster, &c.

Loci Communes.

Præter doctrinam ex v. 2.) 1. Qvod Jehova sit ex & per se ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος Apoc. 16, 5. & 1, 4. ex qvo, per qvem & in qvem sunt reliqva omnia Rom. 11, 36. qviq; *Jehova nomen.*

in suis promissis se esse Jehovam declarat, facitq; ut existant realiter, qvæ dixit veraciter, Exod. 6, 11. seqq. & 17, 27. & 11, 10. Esa. 42, 35. seqq.

est Dominus Zebaoth.

II. Qvod sit idem non tantum Dominus Zebaoth exercituum, omnium videlicet rerum, qvæ ipsi ad nutum obedire, ejusq; jussa exeqvi coguntur, qvales inprimis sunt angeli Gen. 32, 1. seqq. sed etiam Dominus ratione creationis Psal. 95, 5. 7. redemptionis Ephes. 1, 14. Qvia verò est Dominus noster, revereamur eum Malach. 1, vers. 6.

Verbi ministerium.

III. Qvod sit universale verbi ministerium, qvo Spiritus S. toti mundo Christi justitiam offert Matth. 28, 19. Actor. 1, 8. seqq. & 17, 30. Luc. 24, 46. 47.

Christo-homini data majestas divina.

IV. Christo-homini majestatem divinam esse datam, id qvod generaliter probatur scripturæ testimoniis, qvæ non tantùm gloriam ejus explicant summam per ὑψόλησιν Psal. 45, 4. 5. Dan. 7, 13. Esa. 11, 1. & 61, 1. ac factam realem μετάδοσιν Matth. 11, 27. Joh. 6, 62. sed etiam sessionem ejus ad dextram Patris exponunt Psal. 110, 1. Luc. 22, 69. Eph. 1, 1. 20. Ebr. 8, 1.

Infantium gemitus.

Ex vers. 3.) I. Qvod gemitus & ploratus infantium sint Deo grati, & ab eo exaudiantur Gen. 21, 17. Jon. 4, 11. Joel. 2, 16.

Ministri verbi.

II. De officio, conditione & qvalitate ministrorum verbi, nempè ut sint (1.) vocati à Deo, cum dicitur, Tu perfeciſti. Jer. 23, 21. Rom. 10, 15. Jer. 3, 10. Matth. 9, 38. Act. 20, 28. (2.) sint simplices ut pueri Matt. 10, 16. & 18, 3. ne veniant in persvasoriis verbis humanæ sapientiæ 1. Cor. 2, 3. 2. Cor. 11, 6. (3.) Dei laudem unicè qværant, non suam Ps. 115, 1. 2. Corinth. 2, 17. & 4, 2. 1. Corinth. 3, 7. (4.)

Destru-

Destruant regnum Diaboli, Luc. 10, 18. Jer. 1, 10. & 15, 19. Tit. 1, 9. 10. III. D. Brentius hæc habet. Ex hoc loco petenda est consolatio iis, qvi legitimè vocantur ad officia, qvæ præ tenuitate & imbecillitate ingenii sui non posse præstare videntur.

Refutantur hinc I. Schwenckfeldiani, Libertini, Enthusiastæ & similes, qvi scripturam sacram & verbi prædicationem contemnunt, cum tamen sit vox Dei, qvâ per ministros suos loqvitur Matth. 10, 20. 2. Pet. 1, 21. 2. Tim. 3, 16. 2. Cor. 5, 20. Loqvuntur autem hi verba per qvæ salvantur homines Act. 11, 14. Unde ipsi Dei cooperarii 1. Cor. 3, 9. imò suo modo salvatores & salvare dicuntur, Obad. v. 21. 1. Tim. 4, 16. Jacob. 5, 20,

Scriptura sacra est Dei vox.

II. Calviniani & Pontificii, qvi infantibus baptizatis omnem fidem derogant, Beza in Coll. Mompelg. Bellarminus lib. 1. de Sacr. Baptism. c. 10. cum tamen hîc dicatur Deo placere laus ab istis profecta: Nihil autem Deo placet absqve fide Ebræor. 11, 6. Roman. 14, 23. 1. Corinth. 12, 3.

Infantes baptizati credunt.

Ex vers. 4.) I. Sensu literali proprio: cœlum enarrare gloriam Dei, & opus tam insigne commendare suum artificem Psal. 19, 1. Esa. 44, 19. & 45, 12. 18. Psal. 104, 3. Ejus namq; altitudo de magna Dei misericordia nos admonet Psal. 103, 11. Esa. 55, 9. Ejus conversio regularis, nostri officii nos commonefacit Psal. 103, v. 22. Jerem. 2, 12. Luna & reliqvæ stellæ probant Dei potentiam Job. 9, 4. 7. 9. & 38, 21. seqq. Amos 5, 8. & argumentum Deum laudandi nobis suppeditant Psal. 138, 7. seqq. & 147, 4. Jerem. 31, 35.

Cœlum enarrat gloriam Dei.

II. Refutantur hinc, cum dicuntur cœli opera digi-

non est æternum

digitorum Dei, qvi vel ex ἀτόμοις mundum coaluisse, vel ab æterno fuisse putaverunt.

Dei dona in Ecclesiam.

III. Ex sensu verò literali figurato: cum admiratione esse à nobis suspicienda varia Dei in Ecclesiam collata dona 1. Cor. 12,1. Act. 2,7. & 10,45. qvod facit ad humilitatem Rom. 12,3.

qvæ coram Deo regnum

IV. Ecclesiam coram mundo abjectam esse coram Deo & piis regnum cœlorum Soph. 3,11.12.13. Luc. 12,32. Matth. 20,3. Luc. 17,20.

Conversio opus Dei.

V. Omnia pios habere à Deo, nihil à seipsis, & opus conversionis totum esse opus manuum Dei Ps. 100,3. Joh. 15,5. 1. Cor. 4,7. 2. Cor. 3,5. Phil. 2,13. imò digiti Dei, qvi est Spiritus Sanctus Luc. 11,19. Matth. 12,28. dans incrementum, cùm plantat Paulus, & rigat Apollo 1. Cor. 3,6. Thren. 4,22. Zach. 12,10. Joh. 16,8. Hoc indicatur porrò imagine Lunæ, qvæ ut non propriâ luce, sed Solis radiis illustrata lucet: ita Ecclesia non suo, sed Christi, Solis justitiæ, fulgore coruscat.

Luna spiritualis.

illustratur à sole justitiæ.

VI. Refutantur hinc Pelagiani, qvi docuerunt, hominem se propriis viribus posse ad Deum convertere: à qvibus non multum abeunt Pontificii & Synergistæ, qvi opus conversionis partim Deo, partim ipsi homini attribuunt: contra qvos facit, qvod textus vocat *cœlos tuos, opera digitorum tuorum.*

Christus vere homo.

Ex v. 5.) I. Christum esse verum hominem, vero corpore & anima humana constantem Luc. 24,39. Ebr. 2, 14.16. Joh. 10,15. Matth. 26,38, cujus (animæ) facultas altera, videlicet voluntas humana, etiam non defuit Joh. 5, 30. & 6,38. Constat ergò, Christum esse hominẽ per omnia nobis similem, excepto peccato Ebr. 2,14.17.18. & 4,15.

II. Eun

II. Eundem ob nostra peccata non tantum fuisse omnis generis miseriis obnoxium Esai. 53, 3. 1. Pet. 2, 21. 24. sed etiam se humiliasse ut servum Esai. 42, 1. Philip. 2, vers. 6. atqve adeò, ut ferè vermis videretur, non homo Psal. 22, 7. *propter nos se humiliavit.*

III. Refutatur hinc Marcion, & similes, qvi verum corpus & Apollinaris, qvi animam rationalem; & Monotheletæ, qvi voluntatem humanam Christum habuisse negarunt,

IV. Christum esse revera filium hominis, ejusq; vilis & abjecti Luc. 1, 48. ita tamen, ut sit in terris ἀπάτωρ Luc. 1, 35. Hebr. 7, 3. *Filius hominis.*

V. Refutatur hinc Ebion, Samosatenus & alii, qvi Christum ex viri & Mariæ consvetudine, more communi & secundum naturæ cursum, natum esse dixerunt. *præter rerum seriem.*

VI. Christum esse à Patre suo cœlesti immenso amore dilectum, cum ipse sit solus verè ὁ υἱὸς ὁ ἀγαπητὸς Matth. 3, v. 17. Johan. 5, v. 20. Matth. 12, v. 18. & 17, v. 5. 2. Pet. 1, 17.

VII. De visitatione Dei duplici, gratiæ Genes. 21, 2. Exod. 4, v. 31. Luc. 1, v. 68. 78. & 19, v. 44. & iræ Exod. 20. v. 5. Deut. 5, v. 9. Ose. 2, 13. & 4, v. 9. 14. Est enim visitare, scriptutæ stylo, præstare vel promissa bona vel denunciata mala. *Visitatio Dei duplex.*

VIII. De nostra indignitate coram Deo, ex animo agnoscenda Genes. 18, 27. & 32. 10. Matth. 8, 8. 1. Sam. 18, vers. 18. Psalm. 7, vers. 2. Chemn. pag. 7. Exam. cap. 7. (mihi) 173. *Indignitas nostra.*

Exinanitio Christi.

Ex verſ. 6.) I. De ſtatu exinanitionis Chriſti-hominis, qvi cum eſſet in forma Dei, & Dominus omnium Johan. 13, 13. formam ſervi ad tempus ſuſcepit Philip. 2, 7. atq; ita ſeipſum exinanivit, non plenitudine divinitatis, aut donis divinis, ſibi in primo conceptionis momento conceſſis, qvod ſine diſſolutione unitarum naturarum fieri haud potuiſſet: ſed uſu eorundem voluntariè, & per οἰκονομίαν qvandam ſe abdicavit, donec opus redemptionis in carne perficeret: Ita namq; in ſcriptura vox κενὸς & κενόω de rerum præſentium uſu & operatione uſurpari conſvevit 1. Corinth. 15, 10. 1. Theſſ. 2, 1. 2. Corinth. 6, 1. 1. Cor. 1, 17. 2. Cor. 9, 3. Neq; ideò præſentia & poſſeſſio rei neganda eſt, ſi uſurpatio qvaſi ad tempus ſuſpendatur: Unde aliàs à patribus ex Paulo Phil. 2, 8. vocatur ſtatus humiliationis, qvæ tantum competit ei, qvi eſt excelſus factus & jure ſe ſupra reliqvos extollere poteſt, ut in natura humana Chriſti liqvet, qvæ in tantam evecta eſt dignitatem, ut filii Dei ſit propria, & tantum non Deificata (θεοθεῖσα) plenitudine divinitatis uncta, divinæ majeſtatis & gloriæ per unionis gratiam particeps, angelis reverà ſuperior Hebræor. 1, 4. iisdem verò propter nos factus eſt Chriſtus inferior διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου Hebr. 2, v. 9. 10.

Κενόω

Exaltatio

II. De ſtatu exaltationis (ita ex Phil. 2, 8. dicto) in qva, qvam hactenus ſervili forma occultavit, infinitam majeſtatem Chriſtus-homo, perfecto jam redemtionis opere, plenariè uſurpavit. Eſt autem facta exaltatio Chriſti per unionem, reſurrectionem, aſcenſionem & ſeſſionem ad dextram Dei, eſtqve in ſe una; diſcrimen

verò

verò est qvoddam respectu graduum usurpationis ejusdem gloriæ. Nam per unionem majestatis hujus jura & possessionem, per reliqva usurpationem adeptus est: sive per illam, majestatem divinam habet κτήσει, & actu primo: per hanc χρήσει & actu secundo. Qvod etiam in textu satis apertè voce coronationis indicatur. Qvando enim corona regi imponitur, in plenariam regni administrationem, qvam antea habebat jure successionis vel electionis, immittitur, & regem suum omnes subditi ex signo hoc visibili agnoscunt & venerantur. Vide 2. Reg. 11. & 1. Sam. 16, 13.

Coronare.

Ex v. 7.) I. De dominio in omnes creaturas Christi-homini concesso Psal. 110, 2. 1. Cor. 15, 25. 27. Eph. 1, 21. Hebr. 1, 2.

Dominium

II. De omnipotentia eidem communicata Dan. 7, 13. 14. Phil. 3, 21. Rom. 14, 9. Apoc. 5, 12. 13.

Omnipotentia.

Ex vers. 8. 9.) I. De dominio in animalia, qvod olim in Adamo perdidimus, in Christo nobis, qvi membra ejus sumus, gratiosè restituto Gen. 1, 28. & 3, 23. 1. Cor. 15, 28. Rom. 14, 6. 9. 14. 1. Cor. 8, 9. & 10, 25. 26. 1. Tim. 4, 3. 4. Unde sequitur, si mundis omnia munda sunt, Tit. 1, 15. qvod contrà immundis (incredulis Act. 15, 9.) & impiis omnia sint immunda: Ideoq; qvicqvid edunt & bibunt, aut in qvascunq; res dominium sibi arrogant, non habent legitimè, sed qvasi per vim & raptum, cum ipsi non sint in Christo omnium rerum justo possessore & Domino, Roman. 8, 19 & 14, 23. 1. Cor. 3, 22. Vide Commentarium D. Bugenhagii in h. l.

In Christo sumus Domini.

Discimus, qvalis in genere majestas & gloria Christo-ho-

Christo homini Majestas divina data.

sto-homini, præter naturales proprietates ac ultra dona aliis etiam hominibus tributa sit communicata, videlicet divina & supercœlestis. Ita enim habet vers. 2. *Eo quod tu Deus dederis ipsi decorem tuum, & qui est super cœlos*, ne qvis majestatem à Deo factam intelligeret. Licet verò hæc nulla ratio humana capiat: tamen qvia satis manifesta sunt scripturæ verba, decet nos in hoc mysterio φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν Rom. 12, 3. μήτε ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν 1. Corinth. 4, 6. captivantes omnem intellectum in obseqvium fidei 2. Corinth. 10, 5. Est enim humana Christi natura evecta suprà omne nomen Phil. 2, 9. qvod nominatur non tantum in hoc, sed etiam in futuro seculo Eph. 1, v. 21. & si Apostoli radios qvosdam majestatis hujus Matth. 17, 6. & Paulus fulgorem ejus ferre haud potuit Act. 9, 34. & 22, 6. etiam nobis, dum sumus in terrestris hujus domus tabernaculo 2. Cor. 3, 1. non erit tolerabilis splendor ejus majestatis, ad qvam natura humana in Christo evecta est. Qvæ verò scriptura diserte nos docet, ea jam credamus, ut postea intelligamus, cum Christum olim de facie ad faciem videbimus, sicuti est 1. Corinth. 13, 12. 1. Johan. 3, 2. Omne enim verbum, hoc est, qvicqvid Deus in suo verbo patefecit, non est ei impossibile Gen. 18, 14. Luc. 1, 37. qvanqvam nobis videatur.

præter alia creata dona.

Non igitur hîc agimus de illis donis hyperphysicis finitis & creatis qvalitatibus, seu habitibus, seu formaliter humanitati Christi secundum se inhærentibus, de qvibus prolixè Chemn. de 2. nat. c. 20. qvæ non sunt essentialia divinitatis idiomata, sed effecta, & per eam in naturam humanam ita effusa, ut in ea formaliter, subjectivè & habitualiter inhæreant, Luc. 2, 40. 52. sed de illis donis,

qvæ

qvæ sunt divinitatis attributa propria, Christo homini concessis, de qvibus idem Chemn. ibid. c. 21. Unde nomen Dei factum est valdè magnificum Christus enim, qvi ratione divinæ naturæ est Optimus Maximus Jer. 32, 18. 19. ratione humanæ naturæ per hæc magna, imò infinita dona factus est magnus, Luc. 1, 32. Actor. 2, 36. ut meritò Magnus propheta Luc. 7, 16. Magnus Rex Psal. 47, 3. Magnusqve Sacerdos Ebr. 7, 26. & 8, 1. vocari posit: cùm à DEO magno Psal. 96, 4. patre suo Matth. 11, 27. magnam, imò omnem accepisset potentiam Dan. 7, 13. Psal. 45, 4. 5. Qvis enim non miraretur, qvando ab Apostolis eorumq; successoribus audit, Christo homini, fratri nostro, divina esse concessa dona, ut nobis posit succurrere, & qvis inde in gratiarum actionem non erumperet, qvod DEus dederit tantam potestatem homini Matth. 9, 8. Sunt igitur Christo homini divina propria communicata.

Christus magnus.

Si qværis, num omnia? Resp. cum Psalte, qvod dederit ipsi Deus suum decorem: cum Apostolo, qvod omnis plenitudo in eo habitet corporaliter. Interim hæc scriptura expressit, omnipotentiam, omniscientiam, virtutem vivificandi, remittendi peccata, judicandi totum terrarum orbem, cultum, qvæ sunt divina attributa & supercœlestia, id est, majora infinitis modis illis donis, qvæ in regno cœlorum seu Ecclesia conferuntur piis.

Omnia divina Christo homini data.

Si objicis: Exæqvari hoc modo naturas cum Eutyche: Resp. simpliciter negando, qvod patet ex multiplici differentia, qvam relinqvimus cum scriptura inter duas naturas. 1. Divina natura est majestas οὐσιώδης: humana ejus κοινωνός. 2. illa est ἄϊδιον ἐνεργητικὸν: hæc συνεργὸν ἐνεργούμενον. 3. illa à se ipsa & καθ' αὑτὸ: hæc ab illa habet

Obj. R.

καθ' ἄλλο. 4. illa τῇ οὐσίᾳ: hæc τῇ ἐξουσίᾳ. 5. illa τῷ εἶναι: hæc τῷ ἔχειν καὶ λαβεῖν. 6. illa ab æterno: hæc in tempore accepit: illa retinet semper & usq; operatur; hæc ad tempus occultavit.

Christi hominis omnipotentia

II. In specie probari potest Christi hominis omnipotentia ex vers. 7. *Præfecisti eum operibus manuum tuarum: omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Qvod ne qvis explicaret de iis tantum, qvæ sunt in Ecclesia, Apostolus explicat 1. Cor. 15, 27. qvod cum dicat omnia, manifestum sit, nihil ei non esse subjectum, præterqvam ipsum, qvi subjecit ei omnia. Omnis enim potestas Christo homini jam in cœlum ascensuro data est Matth. 28, 18. ut ipse Dominus Jesus posset subjicere sibi omnia, Phil. 3, vers. 21.

Refutantur Calviniani,

Refutantur hinc I. Calviniani, qvi 1. Christo homini tantùm finita & creata dona data esse asserunt. 2. secundum divinitatem esse aliqvid Christo in tempore datum blasphemant. 3. potentiam qvam accepit, solis Ecclesiæ terminis definiunt.

Pontificii,

II. Pontificii etiam, qvi cum Calvinianis realem idiomatum communicationem & præcipuè hanc μεταδοσιν divinæ majestatis negant. Bellar. lib. 3. de incarn. c. 1. & 10.

ENAR-

Enarratio

PSALMI DECIMI SEXTI.

Actor. 2. vers. 25.

Προωρώμην τὸν Κύριον ἐνώπιόν μου διὰ παντὸς, ὅτι ἐκ δεξιῶν μού ἐστιν, ἵνα μὴ σαλευθῶ.

v. 26.

Διὰ τοῦτο εὐφράνθη ἡ καρδία μου, καὶ ἠγαλλιάσατο ἡ γλῶσσά μου, ἔτι δὲ καὶ ἡ σάρξ μου κατασκηνώσει ἐπ' ἐλπίδι.

v. 27.

Ὅτι οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδου, οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν.

v. 28.

Ἐγνώρισάς μοι ὁδοὺς ζωῆς, πληρώσεις με εὐφροσύνης μετὰ τοῦ προσώπου σου.

Actor. 13, 35.

Οὐ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν.

PRimò omnium hic qvoqve cum Æthiope eunucho, qværimus, de qvo hic propheta & psalmographus dicit hoc, qvod seqvitur, de seipso, an de alio qvodam? Actor. 8, 27. 34. Cum Judæis Calvinus sentit, Davidem hæc de se loqvi: Tremellius & Junius putant (vide hunc l. 1. parallel. sacr. par. 88. utrumqve in notis biblicis) qvod Ecclesia hæc dicat, Christumqve ipsum oret, revereatur & respiciat, eumqve vocet suam animam, qvia

De qvo psalmus hic agat.

Sententia falsa

1.

2.

qvia in piis & veris ejus membris vivat. Sed ita variato subjecto variatur sensus, & talia erunt tum prædicata, qvalia permittuntur à subjectis. Scientes igitur qvod scriptura non sit ἰδίας ἐπιλύσεως 2. Pet. 1, 20. Spiritûs Sancti, qvi, cum hæc dictaverit Davidi, optimus erit suorum verborum interpres, explicationem seqvemur, & dum contra Calvinum Mollerus & Drus. in Qvæst. & Resp. l. 2. q. 45. (qvi concludit, homo non sum, si hoc in homine, cujusmodi David, completum fuit) contra Tremellium & Junium in explicatione hujus Psalmi Piscator pluribus agit, (qvi consulantur) ex authoritate duorum Apostolorum Spiritu S. plenorum, Petri Act. 2, 25. 26. 27. 28. 29. 31. & Pauli Act. 13, 34. 35. 36 37. illius Jerosolymæ, hujus Antiochiæ hunc Psalmum citantium ad ipsam Christi resurrectionem probandam, eum de passione & resurrectione Salvatoris loqvi concludimus, &, ne qvid peregrinum misceatur, huc omnia referimus principaliter, literaliter ac primariò, qvi tamen cum aliis cordatis Theologis non negamus, posse deinde qvædam rectè explicata ad vera & viva Ecclesiæ membra (qvale etiam David) suo modo applicari seu accommodari, siqvidem hæc Christo in multis fiant conformia, uti scribunt Heshusius, Gesnerus, Bellarminus.

Vera,

Calviniani à Calvinianis refutantur.

Ecclesiæ membris qvædam accommodantur.

Non itaq; possumus probare illa qvæ sunt in idea I. concionis in Psal. 16. p. 129. D. Abrah. Sculteti, qvod David ad regnum evectus 1. petat in hoc psalmo, ut conservetur. II. de statu suo felici glorietur, & III. Dei gratiam laudet.

Rejicitur explicatio Sculteti.

Argumentum.

Argumentum.

Summa igitur hæc est: Filius Dei servator generis huma-

humâni in ſumma ſui exinanitione jam conſtitutus à Deo patre [illegible] & victima pro peccatis totius mundi rogat eundem, ut ipſum ſervet, qvò devictâ morte & omnibus ſuis hoſtibus colligat Eccleſiam. Et qvia idipſum firmiter ſibi perſvadet ex Dei patris in ſe benevolentia & potentia, ſecurus eſt in mediis malis, ipſaq; morte, & velut τὸ τῆς νίκης in fide canit ἐπινίκιον. Hæc autem omnia ut David à Spiritu Sancto illuminatus prædixit fore, ita Johannes Evangeliſta c. 17. & Apoſtoli locis ſuprà allegatis, facta eſſe teſtantur, ut ita etiam hic Nov. T. ſit lux Veteris. Malè igitur hanc pſalmi ſummam eſſe ſcribit Vatablus: Eſt commemoratio ſummi illius boni & felicitatis, qvam homo habere poteſt in hac vita. *malè ponit Vatablus.*

Ut autem pſalmus 22. agit de Chriſti formidoloſa paſsione, & glorioſa reſurrectione (ſicut & cap. 53. Eſa.) ſic etiam de iisdem hic tractatur, ita tamen, ut qvemadmodum pſalmi alii multi (vide ſextum, decimum tertium, trigeſimum primum) prior pars contineat petitionem, poſterior gratiarum actionem. Ita Heshuſius, Mollerus, Geſnerus.

Partes itaqve ſunt hujus pſalmi duæ; prior Chriſti cum malis colluctantis ejulatio, verſ. 1. & ſeq. poſterior ejusdem è malis eluctantis jubilatio verſ. 5. & ſeqq. Seu Chriſti in malis fuſa oratio, & poſtea bonorum à Deo ipſi deſtinatorum & certò dandorum enarratio. In parte priori eſt propoſitio: *Serva me, DEus*, ſub initium v. 1. eſt confirmatio (1) à natura correlativorum, *qvia ſum tuus cliens* verſ. 1. (2) à teſtimonio puræ conſcientiæ, ac gratuitæ Dei benevolentiæ verſ. 2. (3) à fine, *qvicqvid patior, fit bono piorum*, qvibus non modò Chriſti meritum

Ἀνάλυσις
Partes duæ
1.
2.
1.
membra duo
1.
2.

tum paratur & offertur, verum etiam confertur vers. 3. qvod ex contrario declaratur vers. 4. siqvidem obstinatè impiis, culpâ eorum, sanguis Christi, etiam pro ipsis fusus, tandem nil prodest, neq; ipse pro iis apud Patrem intercedit v. 4. confer Joh. 17, 9. In parte posteriori enumerat bona à Deo patre sibi data & danda, tam qvæ concernunt alios seu ipsius subditos, qvàm qvæ se spectant solum seu ipsius personam. De subditis in regno gratiæ, qvos morte & passione sibi acqvirebat, seu Ecclesia, hæc duo potissimùm celebrat, nimirum dominii sui proprietatem v. 5. & peculii sui amœnitatem v. 6. In se prædicat: Dei gubernantis consilium vers. 7. ejusdem sustentantis auxilium v. 8. & hinc ortum solidum gaudium vers. 9. Effecta horum sunt, ex mortuis resuscitatio v. 10. & vitæ ac lætitiæ æternæ reparatio vers. 11. Qvia igitur Christus à Deo Patre propter peccata hominum affligitur, orat: qvia ab eodem erigitur, benè sperat, ibi lamentatur, hic lætatur.

II. etiam duo 1. 2.

PARS PRIOR.

Tituli variæ explicationes 1.

Vers. 1.) Titulus psalmi ita habet: מִכְתָּם לְדָוִד. Verba hæc varié explicantur. Qvidam מִכְתָּם putant esse nomen compositum à כָּתַם, id est, tenuis fuit, & תָּם, id est, integer, qvam sententiam veterum Rabbinorum esse scribit R. Salomo Jarchi. Aqvilæ & Symmachi explicatio his consentit, & hinc Hieronymus vertit, humilis & simplicis Davidis. Sed neq; tale nomen compositum apud hebræos, ubi vocabula multiplicanda non sunt præter necessitatem, neq; tum ל præfixum adesset, neq; etiam adjectivum esset suo substantivo antepositum, nisi ye-

velis hoc ita excusare, esse nomen abstractum, & vertendum humilis integritas seu simplicitas Davidis. Verum neq; tum titulus respondet Psalmo, in qvo de Davide rege filio Isai non agitur, ut antea probatum est, & deinceps cum Deo videbimus, nisi velis dicere cum D. Bugenhagio, per Davidem intelligi hîc ipsum Christum, sicut Hose. 3, 5. (qvem locum, si placet, vide.) Verùm neq; hoc titulo huic tum benè conveniet cum reliqvis psalmis, qvibus est prę- 2.
fixus, nimirùm 56. 57. 58. 59. 60. in qvibus de hoc Davide adumbrato in V. & in N. T. exhibito non agitur primariò, nisi per longam consequentiam hûc omnia, qvę in sacris, trahere velis. Et aliàs hinc inde Davidis nomen in titulis prophetæ Davidi competit, cur igitur hîc sine causa
terminos antiqvos moveremus? Alii perperam legerunt, 3.
suo more LXX. nimirum מִכְתָּם, vertentes, ἐπιγραφία q.d. notari titulum cruci Christi impositum, eò qvod hic de patiente, moriente, & triumphante Christo agitur. Sententia est pia, sed nullum in textu authentico habet fundamentum. Vide tamen D. Æpinum, si placet. Ita sentit Bellarminus, neq; aliter potest, qvum vulgatus latinus habeat, *tituli inscriptio*, qvem defendit cardinalis Bellarminus. Hinc parum abit Chaldæus interpres 4.
(qvod ad vocem ipsam, qvam aliter explicat) exponens גְּלִיפָא תְּרֵיצָא i.e. sculpturam rectam, qvasi sit nomen instrumenti musici eleganter exsculpti, uti qvidam exponunt. Lyra existimat esse cantilenæ initium vel toni speciem. Sed qvum constanter scriptum inveniamus מִכְתָּם hæc mittimus, etiam qvia מִכְתָּם melius reducitur ad כְּתֶם, qvod notat aurum insigne Job. 28, 16, 19. & 31, 24. Psalm. 45, 10. Cant. 5, 12. Proverb. 25. 12. Esa. 13, 12.
Dan.

Dan. 10, 5. Thren. 4, 1. Pleriqve interpretum vertunt *aurum*, seu aureum ornamentum (vulgò clinodium) ut Burgensis, aureolum carmen, ac multi alii, & ratio est tituli, qvod tales Psalmi non minùs debeant esse grati, qvàm aurum vel gemmæ, hic in primis, qvi tam ardua dilucidè tractat mysteria, &, ut aurum inter metalla, eminet, unde etiam dignus est visus, qvi in prima concione post effusionem Spiritûs Sancti à Petro habitâ prolixè allegaretur Act. 2. undé non malè Æpinus: Scopus psalmi hujus est ostendere, æternam vitam ac salutem miseris ac deperditis hominibus gratis restitui JESU Christi morte & resurrectione. Hæc ille. Qvæ si ita sunt, (ut sunt revera) in hoc psalmo verè preciosa κειμήλια continentur, qvemadmodum etiam idem Æpinus paulò post hoc declarat uberius, uti apud ipsum videre est. Qvod Tremellius & Junius sensu eodem vertunt, ode insignis Davidis, non se probat Piscatori, qvem vide. Lutherus noster eleganter, Ein gülden Kleinot Davids.

Cur qvidam psalmi habeant hunc titulum.

Christus hîc precatur.

Videamus jam ipsius Psalmographi, imò Christi Salvatoris verba. Hic enim postqvam in se susceperat totius mundi peccata, & jam tempus erat ire ex hoc mundo per passionem & mortem ad Patrem, & in suam gloriam, in summo statu exinanitionis jam à Deo derelictus & omnibus inferni angoribus afflictus ac obrutus preces & supplicationes ei, qvi poterat ipsum servare ex morte, cum clamore valido & lachrymis obtulit Heb. 5, 7. seq; sustentari, adjuvari, servari ac salvari ardentissimè petiit. Confer Psal. 22, 2. & 69, 2. In discrimine summo constitutus ita exclamat: *Serva me*, custodi me, neq; sinas me in hoc agone opprimi, ne permittas me ruere in desperatio-

tionem, sed sustentes me luctantem, ut eluctèr & vincam omnia, ô DEus אֵל fortis, Psal. 22, 2. qvi potes omnia (cùm enim Dei sint multa nomina, scriptura id adhibet in unoqvoq; loco, qvod maximè respectu nostri qvadrat, ut ita etiam hîc se demittat Spiritus S.) tuus ego sum filius dilectus Matth. 3, 17. tuus servus electus c. 12, 18. ideoq; me tibi carum serva, ne peream.

Hæc est propositio hujus partis prioris, qvæ qvantum verbis substringitur, tantum sensu dilatatur. Si enim filius Dei cogitur ita clamare & opem implorare, qvanta in afflictione, consternatione, anxietate fuerit, qvantos cruciatus senserit, facilè est cogitare. Emphasis verbi שָׁמֵר, h.l. id videtur innuere, qvod petat sibi dari satellites, stipatores (qvi olim laterones dicti) qvemadmodum etiam legimus angelum ei apparuisse, eumq; corroborâsse Luc. 22, 43. Confer Gen. 32, 2. Psal. 34, 8. Phil. 4, 7. Non mala est paraphrasis horum verborum, qvæ extat apud Æpinum, cujus summa: Deus, totius generis humani culpa in me translata premor, mortis pavores me terrent, Satan insidiatur, mundus odit, totum cogor exedere, qvod intrivit hominum impietas, mors me absumet, certè nisi tua potentia me liberaveris, de me actum erit: tu ergo conserva me. שָׁמֵר

Confirmatio assumit argumenta rationi mira, sed tamen in schola crucis vera & valida, qvia nulla sua merita aut opera crepat, sed tantùm fiduciam indicat, *nam me recipio ad te*, כִּי חָסִיתִי בָךְ, qvod Græci reddiderunt, ἐπί σοι ἤλπισα, melius, confido in te. Vide Psalm. 2, 12. de emphasi vocis hebrææ. Ipsa autem hæc sententia in Psalmis sæpè repetitur Psal. 17, 7. & 25, 2. & 31, 2. & 84, 13. & 91, *Recipio me ad te.*

& 91,14. 2. Samuel. 22,31. Apostoli & amici mei me deseruerunt, creaturæ omnes mihi adversantur, mole iræ tuæ, ô Pater, & rigore maledictionis legis deprimor, nec ulla spes auxilii restat, nisi in te solo, ideoq; in tanta angustia omne præsidium in tuo solius affectu paterno habeo repositum, (vide Gesnerum & Lutherum) & sub umbram alarum tuarum confugio.

Hoc est primum argumentum, ubi alii qværunt, qvomodo in Christum spes cadat, qvod meliùs ex textu authentico, qvàm ullis scholasticis decidere poteris. Ad alia magis necessaria pergimus.

Vers. 2.) Secundum est à testimonio puræ conscientiæ, qvod in Deo subsistat velut basi firmissima, eumqve suum Dominum (secundùm humanam naturam) agnoscat. אָמַרְתְּ *dixisti* scilicet, ô anima mea, non hoc est oris sed cordis verbum, qvod audis, non in labiis hæ voces mihi nascuntur, ut hypocritis Matth. 15,8. Illam ellipsin supplendam esse, non modò genus fœmininum innuit (siqvidem aliud nomen commodum subaudiri poterat, ubi Tremellius & Junius non rectè עֵדָה supplent, i.e. Ecclesia) sed etiam Chaldæus interpres, qvi locum hunc sic reddit: Dixisti tu, ô anima mea, coram Domino, DEUS meus tu es, indicat, unde non est, qvod qvis hunc textum esse corruptum, aut olim scriptum esse אֲמַרְתִּי frustrà cum dubio Bellarmino probare præsumat, siqvidem Masoretharum nota omnia ista refutat. Vide Drus. de qvæsitis per epistolam ep. 79. Sine causa Vatablus præteritum mutat in imperativum, Dic, ô anima mea. Græci autem, Hieronymus, Lutherus, sensum expresserunt in prima persona, qvod sufficit; major tamen verborum

in

in textu authentico emphasis. Dixisti igitur ô anima mea Jehovæ, *Dominus tues*, אֲדֹנָי, columen & basis cùm rerum omnium, tum in primis Ecclesiæ, & peculiariter meus sustentator, idcircò sis mihi etiam Jehova, ut & ego tecum in æternum esse ac vivere devictâ morte possim, & proba, qvod sis omnium summus βασιλεὺς, idqve ex gratia, non ob ulla mea merita, qvum omnia abs te habeam, & si qvid rectè vivendo promeritus sum, inde nihil tibi accedit, טוּבָתִי בַּל־עָלֶיךָ *bonum meum non usqve ad te* pertingit. Lutherus in Comment. Ego homo tibi nihil boni dedi, nihil beneficii in te contuli, qvicqvid feci, laboravi hactenus tempore meæ exinanitionis & officii rectè vivendo, prædicando verbū, sanando ægrotos &c. horum nil qvicqvam in te, ô Pater æterne, redundat, ita ut tu inde sentias commodum, ideoq; qvum de te nil ita svave meritus sim, gratis me salva, gratuito amore ac favore me complectere ac proseqvere. Ita malim cum Luthero, Brentio, Vatablo, Piscatore, Drusio in Qvæst. & Resp. l. 3. q. 72. verba hebræa simpliciter & sensu satis commodo accipere, cum dicit Salvator, benefacta mea non sunt ejus generis, ut favorem tuum ô pater cœlestis, iis promereri possim, sed qvicqvid facio, in hominum utilitatem & commodum cedit, sanctis in eo declaro meam benevolentiam, qvàm cum aliis nonnullis variis modis hoc membrum hujus versus contorqvere. Proximè accedunt LXX. ὅτι τῶν ἀγαθῶν μου οὐ χρείαν ἔχεις, & inde vulgatus latinus, bonorum meorum non eges. Æpinus per occupationem adjicit causam, qvare solam spem alleget ceu dignam causam suæ conservationis. Obj. cur non cædis mihi victimas, accendis thura &c. Respon-

אֲדֹנָי

Bonum non ad te, qvid? 1. Luthero & aliis.

2. LXX. & aliis.

det, bonorum meorum non eges, dominus es universæ creaturæ, tuæ majestatis divinæ est, beneficia in alios conferre, non ab aliis accipere. Vide etiam Bellarminum, qvi exponit sed ego tuis bonis indigeo, tu non à me sed ego abs te pendeo, ideoq; bonum meũ non provenit nisi abs
3. te, qvomodo Chaldæus & Pagninus non tam rectè exponunt, qvàm consequens qvoddam inde educunt, sicut &
4. Symmachus ac Hieronymus, benè mihi non est sine te. Alii, bonum meum qvod acqviro patiendo, non propter te, sed propter homines pro qvibus satisfacio justitiæ tuę, qvæ sententia non est mala, (confer phrases similes Gen. 16,5. 2. Sam. 1,26.) & cum superius indicatâ, qvæ etiam se probat Schindlero in Lexico, fermè coincidit. Et facilè credo, Lutherum vertisse in bibliis primùm, Ich muß nicht umb deinent willen leiden / sondern für die Heiligen: is enim sensus est in ipsi⁹ commentario. Vide qvæ de alio defectu dicta sunt in Thren. 3, v. 63. Nec potest Lutheri versio, qvam jam habemus, ita excusari, qvod ־ pertineat ad præcedens nomen, siqvidem vel linea maccaph diversum innuit neq; solet negatio apud hebræos nomini postponi in tali elliptica constructione, qvalis hic est, qvasi sit sensus, neqvaqvam mihi bene est, id est, graves dolores & infernales cruciat⁹ patior, idq; propter te, hoc est, siqvidem tua voluntas & tuum decretum est, ut calicem istum ebibam &c. Norunt, qvid velim, qvi hebræas literas non ignorant. Dn. D. Heshusius habet piam & elegantem sententiam, si modò qvis rectè, qvod decet candidos, accipiat ejus verba: verùm non satis qvadrat emphasi vocum, nec cum consequentibus cohæret. Ita sentit, qvod sint verba Christi, qvi de se dicat, in hoc tristi certamine careo (de χενόω accipio) eâ gloriâ justitiæ, sapientiæ, po-

D. Heshusii explicatio.

ten-

tentiæ & vitæ æternæ, qvam habui, anteqvam mundus fieret, non fulget nunc mea beatitudo, lætitia & divina majestas, sed hæc mea bona jam latent & oppressa sunt. Jam non lucet in conspectu tuo mea innocentia & justitia, sed apud te reus sum, & à te verè accusor. Vide ibidem plura. D. Brentius egregiè effert, obedientiâ meâ non indiges, sed sancti. Nomine enim bonitatis obedientiam Christus intelligit, qvam præstitit patri. Longiùs tamen à textu recedunt, qvi Davidem hæc de se dicere putant, qvod si qvid victimarum offerat, nihil DEO benefaciat. Tremellius ac Junius pessimè vertunt, Non es conditurus bonum meum penes te, & exponunt, qvicqvid mihi bono & saluti futurum est, qvasi hæc verba sint Ecclesiæ, conferenda cum iis, qvæ extant sub finem v. 12. Psalmi 84. Jehova non cohibet bonum ab ambulantibus in integritate. Non enim bonum hîc intelligitur passivum, ut ita dicam, seu beneficium Christo ipsi præstandum seu conferendum à patre, sed ab ipso præstitum ac conferendum piis, vers. 3. Qvod autem Ecclesia hæc de se non loqvatur, jam satis evicit Piscator, & alii, etiam Calviniani præter Lutheranos & Pontificios. Non malè qvadrant huc illa Sculteti Christo rectè accommodata: Objectio, qvæ in his angustiis oboriebatur, q. diceret Deus Pater derelinqvens filium, qvid servarem te? qvid boni à te pervenire potest ad me? Respondet 1. per concessionē, bonū meum non pertingit ad te. 2. per correctionem qvandā, sed contingit sanctis, his igitur tu me serva.

Vers. 3.) Sic fuit ἄφεσις v. 2. cui non profit Christi obedientia activa & passiva, (uti vulgò loqvimur) seqvitur θέσις, qvibus aliqvid eâ promereatur, conferat & donet. Sed contingit meum bonum, beneficium, justitia, san-

D. Brentii.

Tremellii mala.

Sculteti.

sanctitas, vita, *sanctis, qui in terra sunt* peccatorum mole gravati, miseri & calamitosi, illis hoc fit, qvicqvid hujus fit (licet non solis, ut alibi de aliis similibus scripturæ dictis annotatum est Matth. 1, 21. & 20, 28. & 26, 28. Joh. 10, 15. & 11, 52. Eph. 5, 23. 25. Heb. 2, 17. & 9, 28. & 10, 14. Esa. 53, 15.) *& magnificis* (וְאַדִּירֵי, ubi enallage constructi pro integro, de qva vide Buxt. in thesaur. l. 2. c. 4. in Enallage, observ. 2. pag. 347. 348. qvam cum ignoraret Bellarminus, more suo satis audacter textum esse corruptum clamitat, & legendum הָאַדִּיר existimat, ut tueatur versionem LXX. & vulgatam latinam, qvæ habet, *mirificavit*, qvum maximè inscitè, præfixum fecerint affixum, qvod ad nullum aliud potest referri, neqve ad præcedens pronomen poni. Ratio Bellarmini est, non est, unde אַדִּירֵי regatur, qvæ qvàm elumbis, credo ei patebit, qvi exemplorum in loco allegato annotatorum copiam perspexerit) coram Deo ac credentibus, qvi magnificè à Christo ornati Esa. 61, 10. & fide filii Dei facti Joh. 1, 12. Brentius ait, illos (spiritualiter puta) intelligi, qvos Germani vocant den Adel / siqvidem DEUS per Christum in se miseros peccatores coram se facit insignes nobiles ac heroäs, qvia ad cœlestia aspirantes perpetuum bellum gerunt cum peccato, satana & mundo: hi sunt præclari & mirifici illi, qvorum hîc fit mentio. His imputabitur Christi satisfactio & justitia, Æpinus, iis scilicet (inqvit Christus) *in qvibus est tota oblectatio mea*, Lutherus eleganter, An denen hab ich all meinen Gefallen / siqvidem meam voluntatem efficiunt & sanctitati student, qvomodo vocabulum hoc sancti sæpè in N. Test. usurpatur pro Christianis Rom. 15, 25. 26. & 16, 15. 1. Cor. 6, 1. 2. Cor. 1, 1. & 9, 12. Ephes. 3, 18. Col. 1, 4. 1. Tim.

אַדִּירֵי

non est corrigendum.

Sancti i. e. Christiani.

1. Tim. 5, 10. Heb. 13, 24. Est igitur hoc tertium argumentum petitum â causa finali passionis, & omnium qvæ Christus fecit, ut (qvod DEUS & Christus intendit, sed ob hominum malitiam & diaboli astutiam non fit) qvum omnes non salventur, saltem pauci electi à Christo æterna justitia donentur. Pro his enim Christus semetipsum sanctificavit, ut & ipsi verè sint sancti Joh. 17, 19. Ephes. 5, 25. 26. 27.

Vers. 4.) Qvartum argumentum à contrario desumitur hunc in modum: Ego meritò ad te, ô Deus Pater, confugio, ut liberer, qvia qvotqvot alium Deum seu idolum invocant, ipsorum dolores multiplicantur, & illi, qvi cum deastro scortantur, pereunt. Ita simul etiam à sanctis, sui imitatoribus, Christus discernit profanam hominum multitudinem, qvibus ejus meritum propriâ ipsorum culpâ non prodest. Cum igitur in sanctis sit mea omnis oblectatio, ipsiq; in me vicissim exultent, *multiplicantur* (רָבְּרוּ enim in Cal non significat activè, unde Græci recte ἐπληθύνθησαν, & Lutherus in comm. multiplicantur) *dolores eorum, qvi alium dotant*, אַחֵר מָהֲרוּ, ubi ellipsis relativi apud hebræos non infrequens. Sensus est, lætari & liberari non possunt, qvi alium sibi eligunt, cui se dedant, cui sua donent, velut marito, cui dotem afferant. Ut n. pia anima cum Christo fide velut desponsatur, vide Hos. 2, 19. 20. eiq; se suaq; omnia consecrat, ita impii & idololatræ spiritualiter scortantes (id qvod in Hosea hinc inde prolixè declaratur) alium sibi fingentes qvem colant, eidem etiam se & sua velut paraphernalia & donationem propter nuptias offerunt. Vide qvæ habet Piscator in h. l. ubi non est, qvod putes,

Dotare idolum.

qvomodo? tes, non convenire hęc satis, qvum apud Judæos non virgines aut sponsæ afferrent dotem, sed sponsi illis darent: scias convenienter hæc dici. Sicut enim scorta maximè impudica solent amatoribus dona dare, sic etiam idololatræ suis deastris dant, qvæcunq; habent, qvum à Deo omnia accipiant. Vide Ezech. 16, 31. & seqq. Hoseæ 8, 10. & 2. cap passim.

Ex confusione Hìc autem in textu hebræo עַצְּבוֹת ab עַצַּבִּים id est idola: & מַהֲרוּ in Cal à piel מִהֲרוּ, qvorum illud dotarunt, hoc festinarunt, accelerarunt: & אַחֵר ab אַחַר probè discernendum est, siqvidem inde versionum explicationumq; discrepantia. *varietas versionum.* Qvidam, multiplicant sibi idola: alii pleriq;, qvi ad alium festinant, (qvomodo etiam Lutherus noster habet, die einem andern nachlauffen / id est, qvi alium salvatorem præter me expetunt, vel Deum, præter unum illum, colunt, qvomodo sufficit sensum expressisse) vel postea acceleraverunt, vel post tergum seqvuntur. Sensu qvidem non adeò multum hæc differunt: emphasin autem non exprimunt, & literam sine causa relinqvunt, qvorum neutrum decet fidum commentatorem. Nam ab interprete non reqviritur semper, ut verbum pro verbo efferatur, ut de Luthero paulò ante dixi. Qvid verò unius puncti mutatio efficiat, satis docent Græci, apud qvos malè, μετὰ ταῦτα ἐτάχυναν, & Bellarminus, qvi mirabiliter exponit, de piis hoc pacto: multiplicatæ sunt infirmates eorum, postea acceleraverunt, antea infirmissimi erant multiplicatis peccatis usq; ad summum, ut ambulare non possent, sed postea sanati per Christum & gratiam ejus fortes effecti sunt, & ideò exultarunt ad currendam viam, ut videre est in prin-

principio Ecclesiæ N.T. ubi homines ad martyria advolabant. Hæc ille, qvæ suo loco proba: hìc autem planè non possunt admitti. D. Æpinus diversam sententiam habet, nempe exponi alteram causam, ob qvam filius Dei in eas angustias pertractus sit, videlicet qvod pro illis infirmis, imò idololatris mortuus sit, qvi post alienum accelerabant, veroq; Deo relicto coluerunt idola. Cùm verò tanta sit illorum hominum malitia, ut me salvatore suo relicto idola & res nihili sectentur, ego etiam illorum preces tibi, ô Pater cœlestis, non defero, nec pro illis intercedo, unde certissimum eorum est exitium. Offerant illi multa sacrificia, qvia sunt sine fide, non placent; preces fundant, non exaudiuntur; qvia qvicqvid in me non fit, tibi pater non probatur. Ego autem unicus mediator ab illis neglectus pro mundo non rogo Joh. 17, vers. 9. *neqvaqvam libabo libamina eorum*, qvippe qvæ sunt *ex sanguine* cum maximis peccatis contra conscientiam, inter qvæ etiam odium implacabile & cædes ipsæ, nulla sacrificia (qvæ synecdochicè hìc unâ specie nominatâ denotantur) aut opera Deo sunt grata, qvantumvis magna ac speciosa, qvæ non per meam intercessionem redduntur accepta, hæc verò libamina sunt tantò abominabiliora, qvia cum legitima & à Deo præcepta libamina constent ex vino Exod. 29, 40. Num. 15, 5. 10. hæc velut ex ipso sanguine humano, ut ethnicorum, stillant: *neqve assumam nomina eorum super labia mea*, non pro eis orabo, neq; nominum eorum in bonum recordabor, non commemorabo eorũ opera. Confer phrasin Psal. 50, 16. Lutherus: Noch ihren Namen in meinem Munde führen/ ubi non negligè glossam Lutheri margi-

nalem ; Ich wil ihr Ding nicht lehren noch predigen die mit Wercken umbgehen. Sicut etiam idem emphaticè præcedens membrum reddit, Ich wil ihres Trancksopfers mit dem Blut (in margine, das ist / die mit Bocksblut GOtt versühnen / Ich aber mit meinem eigen Blut) nicht opffern. Inspice præfat. Lutheri germanicam in Danielem, ubi de fine c. 9. agit. Vulgatus interpres latinus habet, Non congregabo (qvod Em. Sa exponit, vitabo) conventicula eorum, ubi Bellarminum rideas licet, imò etiam indigneris, qvod veritatem agnitam oppugnet. Veré, inqvit, verbum nasac, significat libare, fundere: sed significat etiam tegere & operire, qvia qvæ teguntur, congregantur. Credibile est, idem verbum significare etiam congregare. Hæc ille. Inscitia est, qvod נָסַךְ confundit cum סָכַךְ: malitia, qvod dubia certis anteponat, siqvidem prius verè se ita habet, hoc posterius autem est omninò incredibile. De libationibus sacris vide apud commentatores in h. l. sicut & de voce sanguis. Alibi qvum sint illa à me explicata, hìc eandem cramben non repono. Apponere placet locum qvendam ex Drusii Q. & R. l. 2. q. 67. unde huic loco datur lux qvædam & ansa conciliandi melius vulgatum interpretem cum textu authentico, qvàm fecit Cardinalis. Q. Cur Judæi non bibunt vinum cum gentibus? R. Lex vetus est, qvæ hoc vetat, lata eo tempore, qvo gentes vinum libabant in sacris. Verebantur enim ne vinum hujusmodi propinaretur, idq; vocabant vinum נָסַךְ. Vide Eliam in תשבי in voce נָסַךְ. D. Æpinus aliter explicat superius membrum: Non ero memor nominum eorum, qvibus homines Deum sibi placare & miserias humanas depel-

Bellarminus verum videt.

Drusius.

pellere satagunt, & licet mundus mirè superbiat suis cultibus, ego tamen ea omnia, qvibus sibi sic placent, minora reputo, qvàm ut de his velim ullum verbum facere.

Loci Communes.

Ex vers. 1. *I. Aureolum carmen Davidis*) Cùm omnis scripturæ lectio, tum inprimis passionis & resurrectionis Christi Rom. 4, 25. 2. Tim. 2, 8. meditatio sit nobis melle dulcior, & auro optimo carior Psal. 19, 11. qvia illa verba Jehovæ sunt auro & argento puriora Psal. 12, 7. in qvam sententiam vide qvæ habet h. l. V. Strigelius. *Passionis meditatio,*

II. Custodi me DEus) Christi afflictionem & tentationem jugiter spectemus, & ad exemplum ejus in malis oremus. Inde oritur διδασκαλία de peccati magnitudine, qvæ tanta, ut Pater filio non parcat ob aliena delicta, & qvomodo improbos servos non puniret ob propria? ἔλεγχος contra eos, qvi putarunt Christum non sensisse cruciatus. παράκλησις de passionis & vulnerum Christi efficacia. Is enim se tum salvari petiit, ne nos de salute desperare necesse habeamus. Hinc nascitur παρρησία, ut à Deo omnia petere discamus: πληροφορία, ut propter Christum nos exaudiri credamus. Hebr. 2, 17. 18. & 4, 15. 16. *inservit nostræ doctrinæ.* 1. 2. 3. 4. 5.

III. Nam me recipio ad te) Cogitemus hîc nostrum multiplicem defectum, & Dei paternum affectum; nostram infirmitatem, & Dei infinitam potestatem Ps. 65, 5. 6. Eph. 3. 20.

Ex vers. 2. *Dixisti ô anima*) Qvando corde verè cre- *Fides & spes.*

credimus, malis non cedimus, sed liberè ad DEum accedimus Eph. 3,12.13. Rom.5,1.2.3.1. Joh.3,20.21. de DEO promittente exauditionem in fiducia loqvimur, & Deum mala permittentem in patientia seqvimur, Psal.27, 8. Matth. 15, 22.13.

Credens nititur firmo talo.

II. Dominus tuus) Si Jehova est Dominus, suos clientes pios in malis constitutos propugnabit cominus, qvi fluctibus & procellis malorum movetur, hac basi nixus non permovetur aut dimovetur, Matth. 7, v. 25. & 16, 18.

DEO nil prosunt nostra.

III. Bonum meum non ad te) DEI αὐτάρκεια non juvatur nostrâ εὐσεβείᾳ, DEus fons bonitatis omni bono nos afficit, nihil à nobis ipse revera accipit, ipsius qvod est, tantum in cultu & pietatis officiis recipit. Si autem Christus tantùm præsidium suum ponit in Dei gratuita benevolentia, qvantò minus homo peccator se efferre potest in qvadam imaginaria operum supererogationis abundantia, & veriùs perfectionis ac gloriæ veræ indigentia? Rom.3,23.24.

Sancti

Ex vers. 3.) *I. Sanctis qvi in terra sunt.)* Semper est qvædam piorum in terris unio, qvia semper est sanctorum qvædam communio: est etiam qvorundam justificatio, qvia Christus est nobis factus à Deo sapientia, justitia & sanctificatio, 1. Corinth.1,30. & ut ab eo provenit omnis Christianorum dignitas, sic etiam ab illo sancto oritur omnis vera sanctitas, Dan 93,24. Luc.1,35. 1. Johan. 2, 20. Ephes. 5,26. Hebr.2,11. & 13,12. Lev.19, 2. 1. Pet. 1, 15. 16. Si itaqve paucis tantum, nimirùm credentibus & piè viventibus obtingit beatitudo, non erit universalis electio, qvod est contra Huberum,

à Christo sancto.

de

de qva re vide porrò Gesnerum in h. l. Contra Piscatorem verò, qvi hinc vult concludere, Christum tantùm esse mortuum pro electis, qvum bonitas ejus tantùm pertingat ad sanctos, nota, distinguendum esse inter meriti Christi acqvisitionem, qvæ ad totum mundum spectat, & applicationem, qvæ vitio hominum incredulorum fit particularis.

II. *Et magnificis*) Pii qvanqvam in mundo ferè omnibus subjecti, sunt revera tamen coram Deo omnium rerum magnifici domini, qvia sunt Dei filii, qvibus Pater dabit regnum Luc. 12, 32. qvanqvam ab omnibus contemnuntur, tamen soletur eos, qvod coram Deo reputentur magnifici & speciosi. *Pii rerum domini.*

III. *In qvibus est tota oblectatio mea*) Ut pater filium unicè diligit Matth. 3, v. 17. ita filius pios unicè sibi de mundo seligit Johan. 15, 19. & qvanqvam diabolus qvotidiè iis coram tribunali DEI obtrectat Job. 1, 9. & 2, 5. Apoc. 12, 10. tamen in iis se maximè oblectat, Prov. 8, 31. *DEI dilectio.*

Ex vers. 4.) *I. Multiplicantur dolores eorum, qvi alium dotant*) Idololatrarum hîc notatur præmium & studium, illic dolores infiniti, hîc sumptus immensi, ibi conscientia sauciata, hîc crumena evacuata, pro opum suarum, qvam cultui idolorum impenderunt, copia, redditur illis veri solatii inopia. Contrà in unius veri Dei cultu homines ubi se tantùm offerunt, Rom. 12, 1. omnia bona tandem auferunt, & ubi parum DEO consecrant, multum gaudii & solatii reportant. *Idololatrarum infelicitas,* *Piorum felicitas.*

II. *Non sum libaturus libamina eorum.*) DEO etiam sacrificia sine fide oblata non probantur Hos. 6, 6. Amos *Sacrificia sine fide.*

Amos 5, 21. sed tantùm per Christum in fide facta acceptantur 1. Pet. 2, 5. nec Christus pro eo apud Patrem interpellat, qvi eum in vera fide non compellat.

Ἐθελοθρησκείας. *III. Ex sanguine)* Vide hîc operum ab hominibus confictorum vanitatem, & Dei in judicando veritatem. Illi enim gentiles putabant ea sacrificia esse gratissima, in qvibus fierent ex sanguine libamina: hîc autem qvia tantùm filii sui sanguine placatur, hecatombis aut aliis ἐθελοθρησκείας non delectatur.

Idolorum nomina delenda. *IV. Non sum assumturus nomina eorum super labia mea)* Si Christus non vult meminisse peccatorum nomina impiorum, Christiani multò minus in ore habeant nomina idolorum, aut hoc fiat, non ut precentur, sed ut execrentur, non in obtestatione, sed detestatione, non in invocatione, sed refutatione, non ad adorandum, sed eradicandum. Vide commentatores in Hos. 2, 17. Zach. 13, 2.

Pars Posterior.

Vers. 5.) Alii multi interpretes etiam hunc & seqventem versum ad partem hujus psalmi priorem referunt, ita ut in versu 5. sit 4. argumentum superioris confirmationis à causa efficiente petitum, tu ô Deus pater, es autor Ecclesiæ, tu mihi dedisti Ps. 2, 8. Ergò serva me & eam: & in versu 6. sit 5. argumentum ab effectu, non frustra sustineo hoc certamen. E. me serva: qvæ omnia libenter suo loco relinqvimus, neq; cum qvoqvam super hac re contendemus. Interim tamen qvia hæc omnia sunt verba fidei jam eluctantis ex malis, atq; agnoscentis liberationem, eamq; celebrantis, hactenus ea ad posteriorem partem

tem reducimus. Describit igitur primùm Christus suæ acerbissimæ passionis fructum, qvod postqvam profudit in mortem seipsum, Deus pater det ipsi partem pro multis Esa. 53, 12. semen habeat, qvod colat eum Psal. 22, 28. 31. 32. & qvia paulò antè de sacrificiis idololatrarum dixerat, alludit ad sacrificia piorum V. Test. in qvibus ut qvædam Deo consecrabantur, qvædam sacerdotibus dabantur, & reliqva cedebant offerenti, qvi ea inter familiam & alios distribuebat pro libitu, vel per prophetam aut sacerdotem distribuenda curabat, atq; ita coram domino epulabantur Exod. 18, v. 12. Deut 12, v. 7. & 27, 7. 1. Sam. 1, 4. 5. (qvem locum diligenter expende, & potius Lutherum ac Drusium qvàm Tremellii versionem seqvere) & 9, 12. & 16, 5. non neglige ea, qvæ habet Lucas c. 22, 17. sed tamen & rectè huc trahito. Ita etiam Salvator in suo sacrificio sibi optimam portionem & poculum obtigisse gloriatur, *Jehová* ipse, inqvit, est *portio partis meæ* (de qvo genere loqvendi & hebraismo eleganti vide Buxtorfium thes. Gram. l. 2. c. 3. usu 5. p. 332.) *& poculum meum* seu calix meus est, q. d. DEUS pater mihi, ut cœlestis paterfamilias, in hoc convivio dat amplissimam portionem, qvod gaudeo, qvemadmodum illi, qvibus in conviviis sacris bona portio panis & carnis, ac bonum ac plenum poculum obtingit. Confer 2. Sam. 6, 18. 19. 1. Chron. 29, 21. 22. Hic sensus verborum ob cohærentiam cum superioribus monstratam mihi se maximè probat, cui si qvis jam alia nonnulla velit conjungere ex aliis, per me id faciat. Bellarminus per portionem, necessaria, per poculum, delicias intelligi existimat. Emanuel Sa per poculum, portionem fruen-

1. *Alluditur ad sacrificia V. Test.*

fruendam: qvomodo & Lutherus satis habuit sensum expressisse, ubi vertit, der HERR aber ist mein Gut und mein Theil.

Alii id notant, Christum dicere, se esse verum sacerdotem unicum N.T. Qvemadmodum enim Deus in V.T. erat Levitarum portio, qvibus nulla pars terræ sanctæ dabatur, Deut. 18, 1. 2. qvod latè explicatur Num. 18. capite, præcipuè v. 20. Jos. 13, 14. Sic Christus in his terris nil possedit Matth. 8, 20. nisi Deum propitium, & per hunc suum peculium, seu Ecclesiam. D. Gesnerus simpliciter refert ad convivium qvodcunq;, in qvo Sympositarcha, convivii Dominus & bibendi arbiter dat unicuiq; suam portionem, da er einem jeglichen Gaste ein stücke vorlegt/ qvod ferè eodem recidit. Tutius tamen esse videtur, ut ad sacra sacrificiis adjuncta referamus convivia. Idem annotat, חֵלֶק notare portionem blandam, qvod h. l. habet locum ob subjectam materiam, sicut & Psal. 73, 24. Thren. 3, 24. Ps. 119, 57. aliàs non semper ita illud nomen usurpatur. Vide Job. 20, v. 29. & 24, 18. & 27, 13. Esa. 34, 17. & 61, 7. &c. qvod etiam ipsa ratio docet. Sicut enim paterfamiliâs prudens dat cuiq; servo demensum suum, fideli & industrio largum & bonum, ocioso & inutili parcum, malum aut nullum: sic Deus piis præmia, impiis pœnas decernit & distribuit. Qvò alii referunt observationem illam, ubi poculum notat pœnas qvandoqve. Vide in Obad. v. 16. licet non satis commodè ad h. l. ubi in bonum accipitur, ut & Ps. 23, 5. Adde illis, qvæ in Com. Obadiæ allata Ps. 11, 6. Apoc. 14, 8. & 18, 3.

חֵלֶק

2. similitudo à sorte.

Hæc est prima similitudo: altera est à sortitione deducta.

ducta. Sicut enim, qvando aliter res commodè distribui neqveunt, sorti committitur arbitrium, qvod tamen à Deo regitur Prov. 16, v. 33. & gaudet, cui bona; dolet, cui mala obtigit particula: ita Salvator h. l. ad hunc morem alludit, & Deo patre providente, sortem optimam sibi non modò esse datam, sed etiam ab eodem conservari, defendi, sartam tectamq; haberi gloriatur. *Tu sustentans* es, id est, sustentas *sortem meam*, velut illi, qvi, qvod casurum esse vident, manu apprehendentes velut fulciunt. Vulgatus interpres, tu es, qvi restitues hæreditatem meam mihi, puto peccato Adami primi amissam, nunc reddes meo secundi Adami merito redemtam Ecclesiam.

Vers. 5.) Tertia similitudo est à veterum more dividendi agros & fundos transsumta, siqvidem illi solebant funiculis eos dimetiri, & suam cuiq; portionem attribuere Deut. 32, 9. Jos. 13. & seqq. capp. 1. Chr. 16, 18. Ps. 78, 55. & 105, 11. Amos 7, 17. qvò respiciens Christus etiam sibi de attributa hæreditate gratulatur his verbis: *funiculi acciderunt mihi in locis amœnissimis*. LXX. ἐν τοῖς καλλίστοις, Lutherus: das Loß ist mir gefallen auffs Lieblichꝛ (ubi חֲבָלִים cum aliis nonnullis metonymicè per sortem exponit, non malè, nisi malè Bellarminus & qvidem hæc ita torqværet: meminit sortis, qvia principium hujus hæreditatis à prædestinatione ducitur, prædestinationis autem gratia respectu nostri sors qvædam est, unde Paulus Ephes. 1, v. 11. sorte vocati sumus ἐν ᾧ καὶ ἐκληρώθημεν, & Col. 1, 12. elegit nos in partem sortis sanctorum, τῷ ἱκανώσαντι ἡμᾶς εἰς τὸ μέρος τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτί. Utrobiqve enim non intelligitur modus seu ratio

3. *similitudo à distributione.*

Funiculi.

Eph. 1, 11. Col. 1, 12.

tio eligendi, fide enim in Christum eligimur Ephes. 1, 4, sed terminus ad qvem, qvi est κλῆρος, pars & sors Christi 1. Pet. 5, 3. nempè Ecclesia ipsa, qvam etiam hoc ipso in loco ita indigitavit superiori versu. Qvia autem unicuiq; pio & verè credenti datur pars hujus sortis, dicitur accipere sortem in sanctis Actor. 26, v. 18. Et qvid huc prædestinatio, ubi Christus de sua ipsius sorte propriè agit, non de prædestinatorum fidelium?) *Ideò* etiam *hæreditas* seu possessio *pulchra obtigit mihi* (hebr. pulchruit super me שָׁפְרָה עָלַי) qvomodo nunc propriè dicit, qvod antea figuris aliqvot & comparationibus indicavit, & sensus est: nunc habeo Ecclesiam ex morte, inferno & diaboli potestate redemptam, ex mundo immundo selectam & collectam, meum κειμήλιον & λαὸν περιούσιον seu εἰς περιποίησιν. Confer Exod. 19, 6. Deut. 7, 6. Actor. 20, 28. Eph. 5, 26. Tit. 2, 14. 1. Pet. 2, 9. Lutherus: mir ist ein schön Erbtheil worden. Non igitur possunt h. l. (cujus etiam unus sensus tantum erit) ut vult Euthymius, intelligi funes, qvibus à Judæis captus Christus est vinctus: nec, ut putat Ambrosius, vincula caritatis erga Ecclesiam, ut vel hinc lapsus patrum in expositione psalterii agnoscas, de qvibus Lutherus in libro de constituendis scholis. Est igitur hæc hæreditas firma & pulchra.

Vers. 7) Hinc digreditur in Dei laudes, in qvibus sui patris bonitatem celebrat v. 7. suam fidem, pietatem & stabilitatem declarat v. 8. & 9. de resurrectione v. 10. ejusqve fructibus vaticinatur v. 11. *Benedicam Jehovæ* gratiis DEO patri pro tantis beneficiis actis nomen ejus extollam, Psal. 34, v. 2. *qvi mihi dedit consilium*, אֲשֶׁר יְעָצָנִי

DEus pater dedit Christo consilium

vul-

vulgatus malè, qvi tribuit mihi intellectum, qvo seducti qvidam, hic putant celebrari, qvod hominem Deus creaverit rationalem, qvum tamen Christus solus hæc de se dicat & sensus sit: celebro Patrem, qvi me suas vias docuit, spirituqve duxit, monstravit firmas consolationes, & qvia Dei consilia sunt realia, simul me juvit & promovit salutaria sua monita, dum ego illis me conformem gerere studeo, consilium suum de redemptione generis humani unà exeqvitur & me sustentat (apud hebræos enim, potissimùm de Deo usurpata notitiæ verba complectuntur affectus, Ps. 1, 6. Confer Psal. 32, 8. Drus. in Q. & Resp. l. 3. qvæst. 28. &, qvod ad rem. Esa. 53, 1. servus meus erit prudens ac prosper) ego verò jugiter id qværo & seqvor, siqvidem *etiam per noctes* (qvarum silentia meditationibus sacris amica, vide Comm. in Psal. 1, 2. & 4, 5. p. 17. & 92. ut notat h. l. Lutherus) *erudiunt* & castigant *me renes mei*, ne qvid, qvod Patri meo displiceat, moliar. Vide autem Marc. 1, 35. & 6, 46. qvomodo Christus etiam noctu sacris cogitationibus & precibus vacaverit. Per renes enim synecdochicè notantur intima qvæq; hominis, & facultas animæ, in qva sedes affectuum tristitiæ, spei, metus, concupiscentiæ &c. ut sit sensus juxta Lutherum, licet malim vivere & calicem istum non bibere, si sensum hominis & concupiscentiā naturalem spectem, tamen me tibi pater cœlestis dedo, & in illâ luctâ experimento disco tibi obedire, & illas cogitationes naturales castigo, ac in ordinem tuiq; obseqvium redigo. Confer qvod ad rem Matth. 26, 39. 42. Luc. 22, 42. Heb. 5, 5. Per noctes qvidam volunt designari tempus passionis, noctem ac potestatem tenebrarum Luc. 22, 52.

Verba notitiæ.

Renes.

alii tempus adversitatis, & potissimùm, qvando in horto sub immenso peccati onere premebatur, & tamen cavebat, ne contra Deum murmuraret. Verùm illa singularia generali explicationi suprà datæ includuntur Qvod autem scriptura per renes etiam appetitus, cogitata & affectus designet, collatio horum locorum docebit Psal. 7, 10. & 26, 2. & 73, 21. Prov. 23. 16. Jer. 12, 2. & 17, 10. & 20, 12. Thren. 3, 13. 1. Maccab. 2, 24. Apoc. 2, 23. Inspice etiam Flacii clavem columna 1032. Proba igitur hæc D. Brentii glossa: ducit me Spiritu suo in omnibus tam actionibus, qvàm passionibus meis, ne renes seu cogitationes meæ seducant me, sed rectà in omnibus viis ejus incedam. D. Æpinus: Per noctem increpatum esse renibus Christum significat eum conflixisse cum propriis suis cogitationibus & affectibus, cruciatusqve esse luctantis cum animi motibus, & pugnantis cum cordis desideriis, etiam eo ipso tempore, qvo alii securè dormiverunt, & ut dicitur, in utramq; aurem. Malè contrà hæc toti Ecclesiæ Tremellius & Junius; Calvinus autem, Scultetus, & qvidam alii Davidi attribuunt principaliter, ut ex seqventibus cum DEO patebit. Id verò non negatur, debere Christianos esse Christi in hoc qvoqve imitatores.

qvid notent sæpe

Vers. 8.) Nam ipse Salvator generis humani (in cujus personâ verba seqventia allegant Apostoli,) suam exponit fiduciam, Dei Patris potentiam & benevolentiam, atq; hinc ortam suam immotam in malis constantiam. Circa primam notetur fidei & pietatis firmitas, objecti dignitas, & temporis diuturnitas. Qvanqvam sæpè per totam vitam meam in his terris à Diabolo sum

solli-

sollicitatus ad defectionem Matth. 4. Luc. 4. & multis horribilibus doloribus pressus, tamen non defeci à DEO, sed servavi fidem & intra pietatis limites me continui semper i. e *posui Jehovam è regione mei jugiter*, qvod Lutherus elegantissimè extulit, Ich habe den HERRN allezeit für Augen/qvi tamen illa græca Actor. 2, 25. προωρώμην τὸν κύριον ἐνώπιόν μου διὰ παντὸς, suo consilio usus, paulò aliter vertit, eodem tamen manente sensu, Ich habe den HErrn allezeit fürgesetzt für mein Angesicht / ut eum observem, ex ejus nutu pendeam, coram ipso ambulem (id qvod emphasis particulæ לְנֶגְדִּי etiam alibi Gen. 3, 18. declaratæ, innuit.) idq́ve jure optimo, *qvia à dextra mea est*, me juvat, meiq́ve defensionem suscipit, Ich hab ihn als einen Beschützer zur Hand/Lutherus Act. 2, 25. denn Er ist an meiner Rechten / ad auxiliandum præstò est, protegit, defendit, Æpinus: A dextris esse significat præsenti auxilio semper adesse, opem ferre & protegere; qvos enim tuendos suscipimus, illorum latus dextrum solemus cingere, ut eò expeditiùs qveamus adversarium depellere & mala propulsare. Vide Psal. 109, 31. & 121, 5. (qvæ enim loca alii ut parallela citant, vel non comparent, vel sunt ἀπροσδιόνυσα Psal. 108, 5. & 109, 6. Zach. 8, 1. confer qvod ad rem Ps. 18, 36. & 63, 9. etiam Psal. 118, 15. 16. Esa. 41, 10.) ideoq́ve turbabor, sed non perturbabor, movebor, sed *non dimovebor*. Lutherus, darumb werde ich wol bleiben. ἵνα μὴ σαλευθῶ, Actor. 2, v. 25. Lutherus hîc, auffdaß ich nicht bewegt werde.

DEus à dextra.

Vers. 9.) Fiduciæ hactenus declaratæ effectus est gloriatio & securitas in malis, Rom. 5, 3. Illa tamen potissimum de futuro per anticipationem est intelligenda,

ut Lutherus scribit, siqvidem Christus ipsius passionis tempore seu momento fuit tristissimus, sicut ipse dicit Matth. 26, ℣. 38. verbis emphaticis, περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου. *Idcirco* qvia video te mihi adesse, me abste amari, juvari ac sustentari, *lætatur animus meus*, hebraicè cor meum, Actor. 2, ℣. 26. εὐφράνθη ἡ καρδία μου, qvod tamen in externam interni gaudii testificationem prorumpit, qvibus ex abundantia cordis os loqvatur Matth. 12, ℣. 34. Confer 2. Cor. 4, 13. & *exultat gloria mea*, hoc est, lingua, qvæ est instrumentum, qvo gloria Dei apud alios propagatur, & ex qva hominis dignitas, qvod sit rationalis, maximè perspicitur, sicut non tantum hunc locum LXX. Arabs & vulgatus latinus expressè reddiderunt, sed etiam pleriq; interpretes vocem gloriæ hoc loco exposuerunt, inter qvos etiam refero Lutherum, cujus hæc est marginalis glossa: Ehre) das ist meine Zunge / da ich GOtt mit ehre und preise/ præsertim qvùm itidem accipiatur Gen. 49, 6. Psal. 30, 13. & 57, 9. inprimis qvùm Spiritus Sanctus hanc explicationem tradat Actor. 2, 26. cui contradicere nefas. D. Æpinus longè aliter exponit. Gloria vocatur h. l. claritas, majestas, ac dignitas filii Dei, qvâ tempore sui ministerii se exinanivit, q. d. mea gloria, qvam ab æterno habui, in sinu gavisa est, exultavit, & tectè triumphavit de omnibus malis, qvibus erat exposita. Vera hæc sunt & ὑπάλληλα nostræ explicationi, longiùs tamen videntur recedere. R. D. Kimchi, Drus. in Q. & R. lib. 2. q. 54. Emanuel Sa ipsam animam, qvæ est hominis βελτίονα μέρος, pars honoratior, denotari volunt. Verùm qvùm de anima jam dixerat & de ratione, probabilius est, statim

Gloria id est lingua.

juxta alios, anima.

hic

hîc aliqvid addi de oratione, qvæ fit per hominis linguam, qvandoqvidem verè

Sunt duo ſumma hominis ratio ac oratio dona,

Hæc hominem eſſe notat, ſola ſed illa facit.

Qvod Druſius objicit, leve eſt, aptiùs qvadrare ad animam exultandi verbum, ut àlibi, nimirum Pſal. 35, v. 9. ſcriptura enim non ita inter illa diſtinguit, ut philoſophi, qvod patet ex pluribus, qvæ vel in L. de libero arbitrio ſolent diſputari. De anima propriè & principaliter, ſicut & de ſpiritu (qvem tamen ſcriptura qvandoq; videtur ab anima diſtinguere Luc. 1, v. 46. 47.) verbum hoc accipitur: ſed conſeqventer rectè de lingua hominis pii celebrantis Dei facta dici poteſt. Nam de toto homine exultante uſurpatur hinc inde, non de ſolo corde ſeu anima, ubi poterat addere hæc loca Druſius Pſal. 13, 6. Prov. 24, 17. Eſa. 61, 10. Zach. 10, 7. qvinimò de terra uſurpatum legimus 1. Chron. 16, 31. Pſal. 96, 11. & 97, 1. Eſa. 49, 13. de collibus Pſal. 65, v. 13. de oſsibus ipſis Pſ. 51, v. 10. vide in Pſal. 2, 11. D. Heshuſius peculiarem habet explicationem, gloria, id eſt, fiducia & ſpes mea in Deum, qvæ eſt mea ſumma gloria. Verùm cum Apoſtolus aliter exponat, ipſum deſerere non auſim. *Etiam caro mea*, (qvæ ſynecdochicè notat corpus, qvomodo Syrus in Actis vertit פַּגְרִי) *habitabit ſecurè*, græcè κατασκηνώσῃ ἐπ' ἐλπίδι, qvorum illud optimè qvadrat ad hebræum יִשְׁכֹּן Actor. 2, 26. Lutherus, ſecura reqvieſcit in ſepulcro, qvia reſurget. Idem in pſalmo hebræa vertit, mein Fleiſch wird ſicher ligen/in Actis græca, mein Fleiſch wird ruhen in der Hoffnung. Qvanqvam enim futurum eſt, ut verè moriar, tamen in ſpe reſurrectionis & cum fiducia conſer-

Pſal. 35, 9.

Exultare dicuntur multa.

servationis à putrefactione qviesco, certus, fore ut solutis mortis doloribus tertio die victor resurgam Actor. 2, 24. confer ea qvæ habentur Ps. 3, 6. & 4, 9. licet non eadem phrasis ibi extet.

Vers. 10.) Qvia aliàs in commentariis controversias non immisceo, siqvidem illa textum saltem explicare debent, & hæ suo loco, ubi opus est, tractari, non est qvod qvis h.l. prolixam disputationem de Descensu Christi ad inferos à me exspectet. Qvi enim illam desiderat, apud eos qvi scripsêre in Formulam Concord. reperiet, & explicatione symboli : qvin etiam in integris hac de re scriptis libris , & commentariis multis in hunc Psalmum, etiam in Hos. 13, v. 14. Eph. 4, v. 8. 1. Pet. 3, v. 18. His igitur omnibus suo loco relictis sensum simpliciter rimabimur, qvi est juxta ipsam literam , & orthodoxos Theologos. Idcircò lætor de futuro (per anticipationem enim illa dici, monuit Lutherus) qvia scio me ex inferno liberatum & ex morte resuscitatum iri , scio me in inferno & morte non esse mansurum , sed tertiâ die inferni carcerem ac mortis claustra perrupturum , & de inferno ac morte triumphaturum. Etsi itaq; aliàs vera sint, qvæ habet Tremellius & Junius, qvod Christus vivat in piis Galat. 2, v. 20. sit resurrectio ac vita Joh. 11, 25. & resurrectionis omnium piorum autor 1. Corinth. 15. tamen hoc loco falsa sunt, qvasi dicat Ecclesia, tu Deus Pater non derelinqves animam meam , id est, Christum. Vide Piscatorem ea refutantem. Multò minus de Davide hæc accipimus, siqvidem ille vidit corruptionem, qvod de eo, de qvo hæc sonant, negatur Act. 2, v. 29. 31. Improbamus etiam cum aliis & Bellarmino illam

Tremellii error.

illam Bezæ versionem in N.T. editione prima, non relinqves CADAVER meum in sepulchro, qvam tamen in posterioribus editionibus mutavit hoc modo: non derelinqves animam meam apud inferos, qvæ de re videantur ejus annotationes. Ad textum explicandum nos convertimus, ubi qvis qværere poterat, unde tibi ô Christe in ipsa passione illa spes, imô jam animô præcepta lætitia, & sperata securitas? Respondet, inde, ô pater cœlestis, (cum illo enim sermonem confert, qvem sibi præsentem esse dixit sub initium versus 8.) qvod, licet possem concludere, si præsentia specto, ubi me ad tempus derelinqvis Psal. 22, v. 2. fore ut mihi sit succumbendum in hâc luctâ, tamen longè firmius colligam, me tibi curæ esse, qvia *non es derelicturus animam meam* (ubi annotante Lutherô, negationum harum major vis, qvàm affirmationum, si dixisset, qvia adjuvabis & liberabis me: hîc enim jam omnes objectiones ubi devicit, tandem erumpit, non potes derelinqvere) *usqve ad infernum* לִשְׁאוֹל Græcè, εἰς ᾅδου Actor. 2, v. 27. 31. Et qvanqvam aliàs sæpè ל pro ב, εἰς pro ἐν adhibetur (qvomodo etiam Calviniani illam h.l. explicant, ita tamen ut שְׁאוֹל pro sepulchro accipiant) Hos. 7, 2. Marc. 2, 1. & 1, 39. tamen non puto hoc loco carere illam particulam suâ emphasi. Id enim videtur notari, Christum non derelictum ita eò usq; ut in potestate inferorum sit, ut hi pro libitu cum illo agere, eumq; detinere qveant, qvod etiam Petrus innuit Actor. 2, 24. ubi tamen præsupponitur, qvod in inferno fuerit in loco pœnæ, & sed sine pœna, & is qvi in ipsâ agoniâ, qvàm in horto sustinuit, infernales dolores sensit, & deinde se à Deo derelictum esse in cruce clamavit,

vit, postea victorem inferno se declaraverit. Conferri possunt debito modo phrases Job. 39, 14. Psal. 49, 11. Mal. 3, 19. & Psal. 9, 9. & 31, 18. & 88, 4. præsertim cùm alibi reperiatur שְׁאוֹל, בְּשְׁאוֹל autem licet aliàs sit æqvivocum, ut declaratum est sub finem psalmi 9. tamen qvùm ab Apostolis, imò Spiritu S. per vocem ἅδης, qvæ in N. T. nunqvam notat sepulchrum, explicetur, infernum denotari credo. Vide loca Matth. 11, 23. & 16, 18. Luc. 16, 23. 1. Cor 15, 55. Apoc. 1, 18. & 6, 8. & 20, 13. 14. Licet ergò voces illas, animam meam, synecdochicè rectè posimus cum nonnullis Calvinianis etiam interpretari de tota Christi persona, tamen שְׁאוֹל h. l. pro sepulchro non accipimus, neq; per omnia probamus illam D. Sculteti versionem seu correctionem, du wirst mich im Grabe nicht lassen / siqvidem emphasin phraseos non exhaurit, & de resurrectione ipsa immediatè seqventia agunt, qvæ ita sonant: *neq; dabis* seu permittes, in Actis δώσεις, Lutherus, du wirst nicht zugeben / (נָתַן enim qvando construitur cum infinitivo, qvandoq; præter significationem vulgatam dandi, etiam permisit notat, Gen. 20, 6. & 31, 7. Num. 20, 21. & 21, 13. Jud. 11, 19. 2. Sam. 12, 8. 1. Reg. 11, 7. Psal. 55, 23.) *ut tuus sanctus*, (loqvimur cum vulgo) is qvem benignitate perseqveris, qviq; etiam aliis hominibus beneficia præstat innumera (ratione tui passivè, ratione aliorum activè חֶסֶד, vide qvæ dicta sunt in Ps. 4, 4. pag. 89. & hactenus ex parte & inclusivè, non autem exclusivè vera sunt, qvæ habet h. l. Piscator, חֶסֶד significat eum, in qvo est חֶסֶד beneficentia, sicut צֶדֶק in qvo est צֶדֶק. Videndum enim semper, qvomodo scriptura usurpet aliqvam vocem, non autem nostrum est eam qvocun-

שְׁאוֹל

ἅδης.

נָתַן cum infinitivo.

cunq; modo explicare aut torqvere exſimili vocabulo.) *videat*, ſeu adeat vel ſentiat *corruptionem* poſt mortem in ſepulchro putreſcat, ſed in eo ſalvum conſervabis, & tertiâ die gloriosè eum reſuſcitabis. Generalis alias eſt ſententia Gen. 3. fore ut homo in terram revertatur, unde ſumtus eſt: verum non ita Chriſtus ſalvator noſter, cui hæc prærogativa data, qvia nos à morte erat liberaturus, qvod facere non potuiſſet, ſi & ipſe corruptionem vidiſſet, id eſt, in ſe ſenſiſset, imò etiam vel maximè corrumpi homo ille purus non poterat. Videre enim in ſacris de ipſo ſenſu ſeu experientia, imò uſu ac fruitione ſæpè accipitur Pſal. 4,7. & 27,13. & 34,13. & 49,10. & 91, 16. Eccleſ. 2, v. 1. & 3,13. Mich. 7, v. 9. Sirac. 15, v. 7. Joh. 3, v. 3. 36. & 8,51. Luc. 2, v. 26. Actor. 2, v. 27. & 13,36. 37. Hebr. 11, v 5. Æpinus: Videre corruptionem noto tropo ſignificat corrumpi, ſicut videre mortem, vitam, mori, vivere. De voce שחת id obſervandum, qvod ſuâ vi, ratione ἑτύμε ſignificet corruptionem, ſiqvidem deſcendit à R. שחת id eſt, corrupit, unde optimè reddita Actor. 2. & 13. verſibus ſuprà allegatis per διαφθορὰν. Licet igitur pleriq; corruptionem videant in ſepulchro ſeu fovea, ideoq; nonnunqvam pro foſſa profundiſsima, in qva ſit omninò pereundum ei, qvi in illam incidit, poſſit accipi, tamen ubiq; ita verti non debet, qva de re audiamus optimè differentem Druſium in qvæſitis per epiſt. Epiſt. 115, Ut non videat foveam. Sic eſt in plerisq: editionibus nuperis. An rectè, videbimus. Ait neminem eſſe, qvi non videat foveam. Qvid videre foveam? aut fovea ſignificat ſepulchrum, aut ſtatum mortuorum. Si ſepulchrum, falſum eſt; nam multi moriuntur, qvi non ſepeliuntur. Si Pſal. 49, 10.

Si statum mortuorum, qvid respondebimus objicienti locum illum; Non fines sanctum tuum videre foveam, שחת Psal. 16. nam sermo est de Christo, qvem constat & mortuum & sepultum fuisse. Arbitror utrobiq; pro fovea reponendam esse corruptionem. Nunc qværo, si sanctus Domini non vidit corruptionem, qvomodo dicit, neminem esse, qvi eam non viderit? nam si illud verum, (ita enim hæc, qvæ malè impressa, sunt restituenda) aliqvis (nempè Christus) non vidit, tunc falsum est, nemo est, qvi non vidit. Respondeo: Davidem hic loqvi de puris hominibus. Sanctus Domini non fuit purus homo, sed homo & Deus simul. Ut abyssus abyssum advocat, sic una difficultas aliam parit. Hebr. 11, v. 5. Per fidem Henoch translatus fuit, ne videret mortem. Hoc adversari videtur dicto Davidis, sed non adversatur. Nam David loqvitur de eo, qvod fit secundum ordinem naturæ. Qvod Henoch non viderit mortem, hoc accidit contra (malim, suprà) naturam, Deo ita volente, qvi est autor naturæ. Sic alibi legimus de aqvis: terminum posuisti eis, qvem non transgredientur, cùm tamen secus evenerit diluvii tempore. Hæc ille.

Hebr. 11, 5.

Psal. 49, 10.

Tremellius autem & Junius in Psal. 49, 10. ita scribunt: Vox hebræa stationem qvamlibet mortuorum in universum notat multis scripturæ locis: ideoq; modò ad sepulchrum, modò ad utrumq; simul pro ratione locorum accommodanda est. Alii ad R. שחח, incurvavit, referunt, & hinc putant esse vertendum fossam seu foveam qvod sanè verum aliqvando, non semper. Certè pro fossa videtur accipiendum esse שחת Jer. 18, 28. Psal. 94, 13. Prov. 26, 27. siqvidem verbum adjunctum fodere indicio est.

Non

Non nimis extendatur illa vocabuli SANCTUS h.l. acceptio. Licet enim Spiritus S. קָדוֹשׁ reddat ὅσιον, tamen easdem significationes vocis hebrææ retinet, ut vel ex unico Esaiæ loco ex cap. 55,3. Act. 13,34. allegato apparet; ut sanè hinc non possimus firmiter concludere, Psalmum hunc agere de Christo, qvia hoc epitheton, Sanctus, sit Christi & Dei proprium. Nam etiam Christianos in N. T. crebrò vocari sanctos suprà v. 3. probatum est, & clarè liqvet in V. Test. de vocibus קְדוֹשִׁים plurali & קָדוֹשׁ tam in singulari, qvàm plurali numero. Aliàs verum illud est, qvod Christo & Deo sanctitas sit essentialis, qvomodo hîc crebrò קָדוֹשׁ nominatur, vide Psal. 22,4. Hos. 11,9. qvæ tamen vox h.l. non reperitur, sed חָסִיד, qvæ num de DEO simpliciter usurpetur, nondum scio, qvi non ignoro, loca esse qvàm plurima, ubi חָסִיד ei attribuitur. Hinc pridem notavit Drusius in Q & Resp. l. 1. q. 47. qvod sit חסיד vetere interpretatione sanctus, ὅσιος, (qvod etiam inde factum esse, non est incredibile) qvi pietatem & religionem colit, non ἅγιος, qvi propriè loqvendo קָדוֹשׁ dicitur in lingua Ebræorum. Vide etiam Nic. Fullerum l. 1. Misc. c. 8. refutantem eos, qvi existimant, hinc appellatos esse Essæos seu Essenos. Inspice eum.

Esa. 55, 3.

His autem observatis miras qvasdam & ab hoc loco alienas explicationes facilè dijudicabis: sicut & illa, qvæ de limbo patrum, in qvem descenderit anima Christi, afferunt Pontificii. Notanda hîc qvoq; venit contradictio, qvæ apud Scultetum reperitur. Certò sciatis, JEsum esse Christum, Act. 2,36. qvia in ipso & in NULLO ALIO hæc prophetia impleta est. Sic Apostoli ad usum sui temporis hanc prophetiam APPLICAVERUNT.

Contradictio Scultetti.

Si enim hæc de Christo literaliter prædicta, & in ipso solo impleta, & in nullo alio, qvomodo applicarentur tantùm, qvomodo in Davide qvoq; implerentur?

Effectus resurrectionis Christi.

Vers. 11.) Effectus & gloria resurrectionis (qvæ non modò in Christi persona cernitur, sed etiam per eum Christianis donatur) juxta Lutherum his tribus partibus describitur, vitâ immortali, lætitiâ internâ, & jucunditate æternâ, qvæ tria ita effert Gesnerus: Proponitur fructus resurrectionis Christi, mortis destructio, & vitæ reductio, gaudii restauratio, & in æternam beatitudinem translatio. Cùm igitur hæc ita sint, ô Deus Pater, tuqve jampridem, fore ut resurgam à mortuis, decreveris, certè *mihi notam facies* (per hebraismum sæpius jam indicatum, qvod verba notitiæ etiam includant affectus & effectus seqventes notitiam, facies ut experiar seu carpam & insistam) *semitam vitæ*, qvâ ad vitam pervenitur, qvæqve antea per Cherubin erat obsessa ac clausa Gen. 3, 24. mors non amplius me tenere, neqve dominari mihi potest, simul tamen imperties mihi veram & solidam lætitiam, qvia *satietas gaudiorum est coram facie tua*, in conspectu tuo & visione tui, qvando me, cui ad tempus faciem occultasti, iterum placido vultu respexeris, & dederis ut semper deinceps fruar tuâ beatitudine, utarq; plenariè majestate mihi homini communicatâ, qvâ in statu exinanitionis & tempore passionis ob hominum peccata me abdicavi, *& amœnitates sunt ad dexteram tuam*, ad qvam me collocas, *in æternitatem*, ubi felicitas intemerata, firma, solida, qvâ ob meum meritum fide sibi applicatum etiam credentes frui poterunt perpetuò, ut sit נֶצַח pro לָנֶצַח, ut Hose. 10, 4. שָׁוְא pro

pro לַשָּׁוְא. Ita dextra Dei respectu piorum notat futuram vitam seu eam, qvæ est in conspectu Dei, qvæ nunc incipit per fidem, & consummatur tandem per speciem, hìc per ænigma, at ibi de facie ad faciem 1. Corinth. 13, 12. ubi inter se confert pius qvisq; v. 8. & cum Christo dicit, tu Deus in hâc vita es מִימִינִי, sed in altera vita amœnitates, & ego in illis, בִּימִינְךָ ad dextram tuam, ad qvam Christus Salvator meus considet. Lutherus eleganter hunc versum reddidit: Du thust mir kund den Weg zum Leben/für dir ist Freude die fülle / und lieblich Wesen zu deiner Rechten ewiglich.

Loci Communes.

Ex vers. 5.) *Jehova portio prædii mei*) Qvi Deum habet, omnia possidet, & sic, ubi ille gratiâ suâ abest, nihil veri boni adest, qvantumvis omnia videantur felicia vel splendida, siqvidem si cui in Deo non sunt divitiæ, derepentè pereunt omnes deliciæ Luc. 12, 20. 21. DEm.

II. *Tu sustentas sortem meam*) Deus non tantùm unicuiq; suam sortem attribuit, sed etiam eandem munit, non modò bona impertitur, sed etiam tuetur, non modò parat, sed & conservat, tam in corporalibus, qvàm spiritualibus, ut jure unusqvisq; fateatur, *Sors pii in manu DEI.*

In manibus Domini sorsq́; salusq́; mea.

III. Ita hæc ad nos possunt accommodari, qvia videmus Salvatorem nostrum hinc petere consolationes contra suas passiones, & in anxietate mortis eum acqviescere & niti firmitate suæ sortis, etiam nos hinc contra lethi spicula petamus infracta animi solatia. Vide superiùs explicatum versum 11.

Ex

Eccl'esiæ amœnitas.

Ex vers. 6.) *I. Funiculi acciderunt mihi in amœnissimis.*) Etiamsi mundus ita judicet de Ecclesia, nihil eâ esse miserius vel tristius, qvia tantum spectat ea, qvæ sunt extrà, tamen illà verè nihil est pulchrius, suavius aut jucundius, qvia omnis ejus verus ac spiritualis ornatus est ab intrà Psal. 45, 14. ut ita utrumq; verum sit, Nigra sum, sed formosa Cant. 1, 5.

A Christo transformemur.

II. Possessio elegantissima obtigit mihi.) Christus ipse Ecclesiam deformem reddit sibi conformem primùm in miseria Rom. 8, 29. deinde in gloria Phil. 3, 21. Patiamur igitur nos ab illo reformari & transformari Gal. 4, v. 19. Rom. 12, 2.

Hæreditas nostra.

III. Hinc discimus, qvæ hæreditas & possessio à nobis maximè sit amanda, procuranda & comparanda, nempè illud unum cum Davide Psal. 27, 4. qvod est necessarium, cum Martha Luc. 10, 42. qværamus, ut sit nobis μερὶς καὶ κλῆρος ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ, sors & pars in hoc regno, Act. 8, 21. Hic tantùm sunt bona mansura, reliqva omnia peritura.

Gratiæ Deo agendæ.

Ex vers. 7.) *I. Benedicam Jehovæ.*) A DEO non tantum bona petamus, sed etiam pro impetratis gratias agamus, non tantùm in rebus secundis, sed etiam adversis Psal. 34, 1. 2. non tantùm invocemus ob bona, qvorum indigemus, sed etiam laudemus ob ea, qvæ habemus. Ita gratiarum actio erit ad plus dandum invitatio: contrà spes ingrati liqvescit ut hyberna glacies fragilis, & diffluit ut aqva inutilis Sap. 16, 29.

Consilium à DEO.

II. Qvi dedit consilium mihi.) DEI est sapientia & prudentia, Dei est consilium & auxilium Prov. 8, 14. ille invenit consilium creationis, liberationis, regenerationis,

nis, justificationis, Salvationis, in rebus prosperis mittit crucem, ut castigati sapere discamus, in rebus asperis nos ablegat ad verbi sui lucem, ut confirmati confidere qveamus. Hunc itaq; consiliarium Esa. 9,6. seqvamur, non prævertamus; colamus, non spernamus.

III. Etiam per noctes erudiunt me renes mei) Qvi se omnia à DEO accepisse agnoscunt, etiam sua cogitata, dicta, facta ad legem ejus jugiter componunt, nec tam benignum patrem nefariè aut datâ operâ offendunt. Qvi autem concupiscentias suas nolunt crucifigere Gal. 5,24. ipsos non esse DEI filios, non possumus ambigere. Qvod enim in pietatis officiis fecit DEI filius, meritò imitari debet ejus non degener discipulus, & qvum Christum induit in baptismo Gal. 3,27. & justificatione Esa. 61,10. Evangelicè, etiam induat Christum legaliter Roman. 13, 14. Confer Matth. 11,29. 1. Pet. 2,21. Ibi Christus proponitur ut donum: hìc, ut exemplum: ibi reqviritur fides, hîc bona opera: ibi ornamur coram DEO, hìc coram hominibus: Sic conciliabis Paulum Rom. 3. & 4. Gal. 3. & 4. cum Jacobo c. 2, 14. &c.

Deum ne offendamus.

carnem crucifigamus.

Ex vers. 8.) *Posui Jehovam è regione mei jugiter*) Fides hominis nititur præsentiâ gratiosâ numinis. Nam si qvis sibi certò persuadet adesse sibi Dominum, hoc demum in malis maximis addit animum, & si qvis coram DEO in integritate ambulat, huic suum auxilium in calamitate non denegat. Multi autem qvia non ponunt Jehovam è sui regione, hinc adeò mutant in religione, impiosqve se declarant in omni conversatione Psal. 36, 2. 3.

Fides.

II. A dextra mea est) Cui DEus est à dextra, hunc

DEus à dextra.

non evertit sors ulla siniſtra, cui ille porrigit manum auxiliarem, hunc efficit malis ferendis & ſuperandis parem.

III. Non dimovebor) DEO confiſus non recedit confuſus, premitur, non opprimitur, mergitur, non ſubmergitur 1. Cor. 4, v. 8. 9. Si autem tanta eſt apud credentes (certè eſſe debet) πληροφορία & certitudo, faceſſat procul à Pontificiis præſcripta ἀπιστία & dubitatio. In toto hoc verſu (ſi qvis peculiariter eum tractare pro concione volet) inveniuntur hæc tria: I. qvæ hominis in metuendo Deo eſſe debeat pietas, nempe vera, & continua. II. qvæ tum ſit futura numinis in illo cuſtodiendo fidelitas. III. qvæ pii à Deo cuſtoditi in progrediendo felicitas.

Verum gaudium.

Ex verſ. 9.) *I. Idcirco lætatur animus meus*) Qvi Deum reveretur & veneratur, jugiter in eo lætatur Pſal. 4, v. 8. vide comm. in h. l. Ex Dei enim præſentia oritur vera animi lætitia. Gaudium verò mundanum eſt vanum, à Deo autem qvod datur, illô cor verè exhilaratur Eſdr. 6, v. 22. Heb. 12, 43. Rom. 14, 17.

Dei laus in ore.

II. Exultat gloria mea) Qvi in corde habet veram fidem, ore profert DEI laudem, 2. Corinth. 6, v. 13. Pſal. 34, v. 2. 3.

Chriſtus homo,

III. Etiam caro mea habitat ſecurè) Probatur hinc humanæ naturæ in Chriſto veritas, & indicatur qvæ eſſe debeat fidelis hominis in calamitate animoſitas.

deſcendit ad inferos.

Ex verſ. 10. (*I. Non es dereliſturus animam meam in infernum*) Chriſtus deſcendit ad inferos, ut nos inde liberati aſcendere poſſemus in cœlos. Et hoc

ſatius

satius est in pietate cogitare, qvàm multis ociosis ac inutilibus qvæstionibus se temerè implicare, qvæ est ipsius Lutheri & Formulæ Concordiæ sententia.

II. Non permittes ut carus tuus videat corruptionem) Christi corpus putrescere non poterat, qvia peccatum ille non noverat, ideoq; neq; sanguis ejus fuit corruptioni obnoxius (qvod qvidam Calviniani asserunt) qvia fuit filii DEI proprius 1. Pet. 1, 18. 19. Actor. 20, 28. Non poterat in illud cadere ἄλλαγμα, qvod erat pro mundo datum λύτρον & ἀντάλλαγμα.

III. Dilectus tuus seu qvem benignitate perseqveris חַסִידֶךָ) Nos omnes eramus naturâ filii iræ, solus Christus per se Patri dilectus, in qvo tamen omnes verè credentes adoptantur. Ad eos enim pertingit illa patris εὐδοκία, in qvibus non est finalis ἀπιστία, Ephes. 1. Joh. 17. ὁ ἀγαπητός.

Ex vers. 11.) *I. Notam mihi facis semitam vitæ*) Christo vitæ ipsi Joh. 1. & 14. viti vitæ Joh. 15. nota est semita vitæ, ideoq; extra illum qvæ ferunt ad cœlum, sunt erroris semitæ, Joh. 14, 6. ille est dormientium primitiæ 1. Cor. 15, 20. & per illum referatæ peccati, mortis & inferni januæ, (ne qvis hæc malè accipiat, videat, qvæ dicta in Exercit. bibl. edit. 3. pag. 459.) ut per fidem se possint, qvi sibi non desunt, inde proripere & in vitam penetrare Joh. 5, ℣. 24. Verè enim per Christum mortuum & resuscitatum est nobis restituta vita gaudio delibuta. *Semitæ vitæ*

II. Satietas gaudiorum est in conspectu tuo) In hac vita est tristitiæ copia, lætitiæ penuria, dolorum satietas, gaudiorum raritas: at in altera erit suavis amœnitas & jucunditas, amœna suavitas &

jucunditas, & jucunda suavitas & amœnitas: hic qvæ contristent, sunt plurima: ibi, qvæ delectent, omnia, jucunda in cœlis habitatio, jucunda cum cœlestibus conversatio.

Cœlestia bona.

III. Amœnitates ad dexteram tuam in æternum) Hic omnia fugientia, ibi manentia, hic fragilia, ibi stabilia, hic vix diurna, ibi diuturna, imò æterna: hic rerum varia vicissitudo, ibi una & perpetua beatitudo. Huc suspiremus, huc properemus, hanc votis petamus, ad hanc omnibus viribus contendamus, Amen.

Doctrina generalis.

Ex toto autem Psalmo discamus, qvod allegatione aliqvot versuum præmonstrârunt Apostoli, Jesum Christum Nazarenum Mariæ filium passum, mortuum & ex mortuis excitatum secundum scripturas, esse verum Messiam 1. Cor. 15, 3. 4. ac nostrum Dominum Act. 2, 23. 36. & 10, 38. 39. 40. Concludo hisce suspiriis:

Recordare, JESU pie,
ne me perdas illâ die,
qvod sum causa tuæ viæ:
Qværens me sedisti lassus,
redemisti cruce passus,
tantus labor ne sit cassus
Iterum AMEN.

Additio pertinens ad versum secundum & pag. 52. lin. 15. 16. Post illa verba: *Is enim sensus est in ipsius Commentario.* Idem tamen D. Lutherus in explicatione brevi germanicâ hujus Psalmi anno 1530. Coburgi traditâ hæc habet Tom. 2. germ. Eislebiensi pag. 57. b. Hie zweiffele ich / wie dieser Vers zu geben sey. Denn die Ebreische Art zu reden ist mir hie unbekandt; Mein

gute

Gutt oder Geschenck / stehet im Ebreischen / ist nicht für dich. Ich wil aber zurathen und dafür halten / dieses sey die Meynung / umb deinen Willen leide ich / umb deinen Willen hab ichs nicht gutt / ich muß alles Unglück leiden / etc. vide ibidem plura. Et ibidem pag. 60. umb deinen Willen / das ist / umb deines Worts willen. Ubi omnino probat hanc versionem, & satis eleganter ejus causas exponit breviter. Interim tamen ob genus loqvendi hebræum propiùs ad textum priùs illa ex Commentario latino data expositio accedere videtur. Expendant alii, qvi plus vident, & adversativam non negligant בַּל־עָלֶיךָ, & in altero versu לִקְדֹשִׁים, non propter te, non ad te, non super te, (sed) propter, ad, super sanctos, &c. Etiam accentus Rebia compositus super טוֹבָתִי confirmat explicationem superiùs allatam. Nec illud sicco pede transeundum est: *Dixit anima meæ Jehovæ patri, tu es*, ratione humanæ naturæ, *meus dominus*, & ego tuus servus Esa. 53, 1. ergo debebam (qvod etiam facio) omnia ad te referre. Verum fructum & commodum hujus meæ passionis, qvam ob salutem generis humani subeo, tu, ô Deus & Domine mi, non ad salutem tuam (qvippe qvâ non eges salus ipsa) percipis, inde nihil tibi accedit, sed hominibus, præcipuè qvi manent sancti ad vitæ finem. Sed satis de his: candidè velim accipiantur, qvæ dixi candidè, dum verum inqviro; meliora afferenti cedere sum paratus.

NB.

Enarratio

PSALMI VIGESIMI SECUNDI.

Matth.27,35. Johan.19,v.24.

Διεμερίσαντο τὰ ἱμάτιά μου ἑαυτοῖς, καὶ ἐπὶ τὸν ἱματισμόν μου ἔβαλον κλῆρον.

vers. 43.

Πέποιθεν ἐπὶ τὸν Θεόν. ῥυσάσθω νῦν αὐτὸν, εἰ θέλει αὐτόν.

vers. 46.

Ηλὶ, Ηλί, λαμὰ σαβαχθανί; τοῦτ' ἔστι, Θεέ μου, Θεέ μου, ἵνα τί με ἐγκατέλιπες;

Marci 15, 34.

Ελωὶ, Ελωὶ, λαμμᾶ σαβαχθανί; ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, Ὁ Θεός μου, ὁ Θεός μου, εἰς τί με ἐγκατέλιπες;

Hebr. 2, 12.

Ἀπαγγελῶ τὸ ὄνομά σου τοῖς ἀδελφοῖς μου, ἐν μέσῳ ἐκκλησίας ὑμνήσω σε.

David Christi typus.

DAvid in multis Christi typus à filio suo Absolone è regno ejectus transit priùs torrentem Kidron 2. Sam. 15, ℣. 23. deinde pergens ascendebat per clivum montis olivarum, indesinenter flens ac orans, *stultum redde, quaso, consilium Achitophelis, ô Jehova* vers. 30. & 31. Ad eundem ferè modum, imò longè truculentiùs verus ille David, Noviq; Testamenti Rex, Propheta ac Sacerdos unicus, JESUS Christus

Accommodatur

(qui

ad Davidem N. Test.

(qvi propterea etiam vocatur David Hos. 3,5. Jer.30,9. Ezech. 34,24. & 37,24.25. Amos 9,11.) qvando generis humani peccata erat expiaturus, à creaturis suis, diabolis, Judæis ac gentibus (qvi ratione creationis, & illi etiam peculiaris curæ respectu, filii ipsius erant) Jerosolymâ, ubi est pacis visio, ejicitur, ut expiaret illud prioris Adami factum, & appetitum inordinatum, dum Jerosolymâ Jerichuntem à cœlestibus ad terrena transierat, majestate suâ sibi juxta humanam naturam communicatâ, ut posset pati ac mori, se ad tempus abdicat, & transit torrentem Kidron, i.e. si nomen interpreteris, nigrum, puta ab ira Dei, omnisq; generis calamitatibus ac plagis atrum Johan. 18,1. (qvomodo aqvæ sæpè in scriptura notant afflictiones. Nunc vide saltem Psal. 69, 2. 16. & 110, 7.) deinde in montem olivarum se confert Matth.26, v. 30. pergens cum multis lachrymis ibidem patri suo supplicare Luc.22, 42. &c. Hebr.5,7. Matth.26,39.42.44. ut stultum redderet diaboli mundiq; furentis (qvi sibi videtur valdè sapere 1.Corinth.1. ut Achitophel, putabatqve jam fore, ut planè periret hic Jesus, si morti traderetur) insanum consilium, & contra saluberrimum DEI de genere humano salvando consilium ac delectatio per se prosperaretur Esa. 53, 13. qvod etiam eventus comprobavit, siqvidem exemptus molestiâ justificavit multos, ib. v.14. Hæc omnia David non tantùm in suo exilio, multisq; afflictionibus aliqvo modo adumbrans, sed Spiritu S. plenus in Psalmo 22. planè explicans in vaticinio evidenti nobis dilucidè ob oculos ponit, ideoq; dignissimus est Psalmus, qvi ab omnibus Christi fratribus rectè cognoscatur.

Kidron.

Prius.

Summa sequentium.

Priusqvam autem ad ejus explicationem progrediamur, priùs argumentum & summam, partesq; videbimus ac simul inqviremus, de qvo loqvatur Propheta regius: deinde singulorum versuum investigabimus sensum & usum. Jesu Christe, fac te in cruce pendentem ita fidei oculis intueamur, ut æternùm salvemur, Num. 21,9. Joh. 3,14. 15. tu enim exaltatus à terra omnes ad te vis pertrahere Johan. 12,32. trahe igitur & nos post te Cant. 1,4. per ignominiosam crucem ad gloriosam tuam lucem, Rom. 8,17. Amen.

Volum.

Argumentum.

Argumentum est hoc, David Spiritûs S. peculiari illuminatione & instinctu de futura Christi passione, læta resurrectione, ac utriusq; fructu ad Ecclesiam redundante tam dilucidè vaticinatur, ac si ipse in rem præsentem iviſſet. Et qvia passionum enumerationem atq; exaggerationem qvandam instituit, inq; iis Christus sedulò oravit, ejus in Deum fiduciam, ac officium triplex explicat, ita ut è contrario hostium ferociam & inhumanitatem, piorum autem felicitatem simul declaret.

Analysis.

1. Popularem dividendi rationem qvi seqvuntur vel duas partes faciunt, qvarum prior sit vaticinium de passione Christi, posterior de ejusdem usu ac fructu insigni.

2. Alii tres partes constituunt, qvi posteriorem subdividunt, ita ut in prima habeatur passionis Christi delineatio versibus 19. in secunda pro resurrectione fusa oratio v. 20. 21. 22. In tertia autem subnectatur utilitatis ad Ecclesiam perventuræ enarratio, qvæ potissimùm in ministe-

nisterio Evangelii, collectione Ecclesiæ, ac hujus stabilitate cernitur ac deprædicatur. Alii utramq; partem primæ distributionis dividentes partes numerant qvatuor. I. est qverela de Christi ingenti miseria. II. concepta fiducia de Dei immensa misericordia. III. gratitudinis liberati pollicitatio. IV. Ecclesiæ promissa amplificatio. Qvæ omnes, sicut & reliqvæ plures divisiones in reipsa consentiunt. Vide comment. Brent. Paulò plenius ergò hæc evolventes cum aliis ad ea, qvæ extant Luc. 24, 26. 46. Phil. 2, 7. 8. 9. 10. 11. 1. Pet. 1, 11. scripturâ duce respicientes, dicimus, agere Psalmum de Christi in statu humiliationis & potisimùm passionis tempore miseria, & de ejusdem in statu exaltationis ac Ecclesiæ gubernationis gloria. Est itaq; Psalmus εὐκλικὸς καὶ εὐχαριστικὸς, sicut & multi alii, vide in Psal. 6. & dicta adde Ps. 50, 15. 1. Thess. 5, 16. 1. Tim. 2, 1. ac facta piorum, Deo exsolventium gratiarum actionem, Phil. 1, 3. 4. Col. 1, 3. 1. Thess. 1, 2. victimarum oblationem Num. 31, 50. 1. Sam. 8, 11. Esa. 18, 10. Confer Hos. 14, 3. & Hebr. 13, 15. Prioris partis membra principalia sunt tria, I. Exordium seu præfatio v. 23. II. Mali deprecatio v. 4. expressa v. 21. III. boni rogatio v. 13. ex posita v. 20. utrobiq; causis suis priùs adjectis.

4. Partes duæ,

I. ejus tria membra

Exordium est valdè patheticum, ubi à reipsa & malis præsentibus exorsus Christus, & cum doloribus infernì colluctans, tamen ad Deum Patrem, perruptâ illâ afflictionum nube, confugit, seq; non exaudiri invocantē conqveritur, & inter se componit priùs v. 2. personarum qvalitatem, deinde precum ipsarum gravitatem vers. 3. hinc seqvitur ipsa propositio κατ' ἄρσιν qvid deprecetur, nempè ne deinceps ita absit Deus, & κατὰ θέσιν, qvid precetur,

1.

2.

Deprecatio. cetur, videlicet, ut porrò adsit suo auxilio in tam præsenti mortis periculo. Prius membrum rationibus firmissimis ipsam propositionem confirmat hoc modo: I. à persona Dei, qvi est sanctus, & ab aliis piis, qvod juverit, laudatus eripuit ac liberavit suos, ne pudore confunderentur, non procul abesse debet à Christo. Sed Deus est talis v. 4. 5. 6. E. v. 12. aut, qvia id non fit, hic magis qvàm omnes alii affligitur & angitur. II. à persona adversariorum, hominem miserum & à Deo ad tempus derelictum crudelissimè tractantium, qvippe qveni ludificantur contumeliis v. 7. sannis ac acerbis illusionibus v. 8. ac, ne qvid desit summæ impietati, blasphemiis v. 9. Id hunc in modum concludit: Ab homine pio ab hostibus suis oppresso ac divexato Deus abesse non debet. Sed Christus est talis. E. III. A persona sua, ubi nulla sua merita, sed Dei beneficia ab utero sibi præstita enarrat, qvæ ipse grato animo acceperit, & cum fiducia obtinuerit, hinc ita infert: A suo cliente non debet recedere, aut eum relinqvere in malis Dominus. Sed Christus est Dei cliens v. 10. & 11. E. ne procul absit, dum angustia est propinqva, dum nemo est adjutor v. 12. qvia est suorum Salvator, ac pietatis retributor, impietatis hostium ultor, & sibi confisorum protector. Hactenus adjectis causis explicata est mali summi seu absentiæ ac derelictionis deprecatio: seqvitur jam e contrario boni optimi seu præsentiæ atq; auxiliationis divinæ precatio, qvæ etiã ex causis priùs expositis firmissimè infertur. I. à persona adversariorum, seu inimicorum, qvi robore efferatos tauros v. 13. crudelitate verò leones ferè æqvant v. 14. Ratio concludendi est, ut in præcedentibus & seqventi-

3. Precatio.

bus,

bus, imò tota scriptura frequentissima (ubi major reticetur, cum ex aliis scripturæ locis sit notissima) Enthymematica: Christus ab hostibus multis, robustis ac immanitatem spirantibus obsessus tenetur. E. à Deo auxilium ipsi est præstandum. II. à persona sua idem petit, ubi afflictiones corpore & animo, adeoq; singulis partibus toleratas explicat, siquidem ipsa caro, ossa, cor, v. 15. viriditas, lingua, totus deniq; contabescat v. 16 manus ac pedes sint confossi v. 17. omnia ossa atq; articuli distenta v. 18. vestes autem inter milites distributæ v. 19. E. Deus auxilium ut præstet festinum, rogatur, v. 20. à malo liberet v. 21. salutem afferat v. 22. qvomodo propositio proleptica in Exordio v. 2. & 3. posita ac seqventibus exposita paucissimis repetitur, & precatio pro gratiis privativis ac positivis fusa concluditur.

Hactenus fuit auditus in sua miseria Christus ejulans, nunc porrò exemtus molestiâ apparebit in sua gloria triumphans ac jubilans, qvando altera hujus Psalmi pars subjicitur, nempè δεήσεις καύχησις, ἱκετηρία εὐχαριστία, κραυγὴ ᾠδὴ καὶ ᾠδή (Heb. 5, v. 7.) in qva est gratiarum actio & beneficiorum Dei ex morte liberato & resuscitato præstitorum deprædicatio. Membra ejus pro ratione triplicis hujus Salvatoris officii sunt tria, 1. Auxilii divini publica professio, & ad eam instituta Prophetica hortatio, tùm immediata Christi ipsius, tùm mediata, qvæ fit per verbi divini ministros, qvos mittit, ut pater misit eum Joh. 20, 21. v. 23. tum inde in auditoribus nata, ac per verbum prædicatum imperata vers. 24. ejusq; ratio, qvod Christus Patrem in passione invocans sit exauditus, & per eum omnes alii salvati vers. 25. II. Sacer-

II.

ejus membra tria.

1.

2.

cerdotii Christi spiritualis & æterni qvædam declaratio, tum in acqvisitione vers. 26. tum applicatione & effectu
3. v. 27. III. de regno Christi per Propheticum munus collecto ac per sacerdotale officium empto instituta vaticinatio. Explicatur autem ejus futura in N. Test. (1) à subditorum multitudine dignitas v. 28. (2) à præsidentis ei Domini autoritate majestas v. 29. (3) à civium verorum officio v. 30. & 31. sub initium, ac privilegio ibid. circa finem ac illis concesso beneficio: ac deniq; (4) ab eorundem in aliis convertendis studio v. 32. Confer Mich. 4, 2. Vide & confer ἀνάλυσιν Piscatoris; nimis prolixum foret huc omnia adscribere.

Hæc itaq; cùm in hoc Psalmo contineantur, nunc restat, ut, si velimus cum fructu eum meditari, qværamus etiam hic primò omnium cum Eunucho, præfecto Candaces reginæ Æthiopum, *de qvo propheta regius David dicit hoc* Actor. 8, v. 27. 34. *num de seipso, an verò de alio qvopiam?* Illud qvidem sè probat Calvino & multis ejus sociis. Judæi autem putant hæc dici de ipsorum miseria, qvam intulit eis Haman tempore Assueri, de qva re in libro Esther. Brentius: Nihil certius qvàm qvod hic Psalmus concionetur de passione, morte, resurrectione & regno Christi, nec sit de alio, qvàm de Christo ipso intelligendus. Sed qvid multis? Si nolumus errare, Christus via est, si nolumus decipi, est veritas Johan. 14, v. 6. Is igitur esto arbiter & interpres. Facit hoc, dum ipse I. in cruce versum secundum usurpat, qvo-ad sensum Matth. 27, v. 46. Marc. 15, v. 34. licet utrobiqve Syro verbo, hic etiam nomine II. Evangelistis suo spiritu autor fuit, ut ex hoc Psalmo allegarent, ac in illo esse com-

De qvo hîc agatur?

Sententia falsa
1.
2.
3 *vera,*

probatur
1.
2.

completa asseverarent versum 9. Matt. 27, 43. versum 19. Matth. 27, 35. Johan. 19, 24. III. etiam Apostolo, citanti versum hujus Psalmi 22. & Christo attribuenti Heb. 2, 12. IV. etiam ad v. 17. alluditur sine dubio Luc. 24, v. 39. Johan. 20, v. 20. 25. 27. inspice etiam Lucam c. 23, 33. 34. Praeterea etiam alii Calviniani suo προμάχῳ, aliisqve συμμάχοις contradicentes hanc eorum ἀυθάδειαν καὶ ἰδίαν ἐπίλυσιν προφητείας reprehendunt. Junius in notis: Hujus Psalmi argumentum etsi aliqva ex parte & certis tantum versibus ad Davidem accommodari potest: tamen non dubitamus, propriè ad Christum pertinere, de qvo David per Spiritum Dei prophetavit. Drus. l. 10. observ. c. 3. Ego sanè indubitanter credo, Davidem, cum hunc Psalmum componeret, in mente habuisse, qvæ ei Spiritus S. patefecerat περὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν. Qvidni credam? cum autores habeam Apostolos ipsos, qvi testimonia interdum ex eo depromunt. Qvinimo Servator ipse usus principio hujus carminis, amplius id confirmat, ut dubitare de eo, nisi planè impius, nemo possit aut debeat. Ecce Calvino perhibitum ab amico testimonium egregium! Poterant plura hujusmodi adduci ex Musculo & aliis. D. Scultetus: Præcipuè Psalmum hunc de Christo ex spiritu fatidico loqvi, argumenta sunt ista: qvod in Christo solo adimpleta sunt, qvæ versib. 8. 16. 18. leguntur, & qvod servator ipse partem Psalmi in cruce recitat. Piscator: Psalmus hic continet prophetiam de passione ac morte Christi, itemq; resurrectione ejus, etiam regno spirituali. Idem postea refutat alios Calvinianos.

4. 5. Drusii locus elegans. NB.

Vers. 1.) Sed ad rem ipsam & titulum hujus Psalmi pro- Titulum Psalmi.

properemus. Is ita habet לַמְנַצֵּחַ עַל־אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר מִזְמוֹר לְדָוִד: De prima & penultima voce vide titulum Psalmi 4. & 3. explicatum in Commentario p. 65. 66. 79. 80. 81. ubi si lubet curiosè qværere, qvomodo qvis posit, qvando luget, canere, adi Comm. D. Dan. Hoffm. in hunc Psalmum p. 10. qvi dum per primam vocem hebræam Tenorem cantus putat intelligi, sine dubio errat, ut alibi demonstratum. Primam vocem non rectè legerunt Græcæ versionis autores, dum vertunt, εἰς τὸ τέλος, qvod esset לָנֶצַח, sicut & vulgatus interpres latinus hunc errorem suo more maluit seqvi, qvàm textum authenticum adire. Pro eadem malè substituunt alii, ad continuandum: alii, ad triumphandum, qvasi esset לְנַצֵּחַ. Correctores! Lutheri versio optimè hebræo textui qvadrat, qvod ad rem. Neqve enim verbum verbo curabit reddere fidus interpres. Qvi hìc multis declarant, qvod Psalmus agat de Christo, qvi sit finis legis, Rom. 10, 4. benè qvidem currunt, sed extra viam & præter casam, qvùm scripturam hoc loco ducem non habeant. Sed reliqva duo verba magis sunt controversa. Unde Piscator: Ego rem hanc, ut incertam, in medio relinqvo. Qvidam enim עַל אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר vertunt, de stella matutina, qvæ sit Christus 2. Pet. 1, v. 19. Apoc. 22, 17. Alii existimant esse instrumentum musicum, nobis, ut multa alia ejus regionis, nationis & loci, incognitum: sunt qvi putant ita denotari, qvâ melodiâ fuerit canendus hic Psalmus, nempè prout vulgaris illa cantilena, cujus initium id erat. Sed rectè respondet Junius, qvod nec cum argumento, nec cum gravitate ac honestate Ecclesiæ conveniat, ut adhibeatur ludicri & profani cantus melodia; Omnia enim in Ecclesia fiant

לַמְנַצֵּחַ

אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר

qvænam?

1.

2.

3.

fiant εὐχημόνως 1. Corinth. 14, v. 40. qvod utinam cogitarent, qvi hodie nescio qvâ superstitione aut vanitate multas amatorias cantuum melodias in templa invehunt! Chaldæus super oblatione perpetua ac potenti auroræ, qvia de Christo se offerente pro peccatis mundi in hoc Psalmo agitur, qvod qvidem est verum, sed verbis & huic loco non qvadrat. Vulgatus interpres cum Græcis, qvi habent ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως τῆς ἑωθινῆς, suo more mavult errare, qvàm cum hebræis sapere, & reddit pro susceptione matutinâ, qvâ resurrectio Christi, qvæ manè facta, significetur, qvæ etiam sententia & explicatio hujus loci est multorum patrum, qvorum tamen errantium multitudo, non parit errori patrocinium. Bellarminus autem errorem errore cumulat, qvando contendit, qvod יחל notet susceperit, idq; probatum it ex Psal. 107, 17. ex malâ ipsorum versione, idem per idem. Alii id intelligunt, qvod peccata nostra in se susceperit. Junius cum qvibusdam hebræis, *ad fortitudinem* seu primordium *auroræ*, qvasi hic Psalmus Sacerdotibus & Levitis fuerit traditus, ut singulo qvoq; mane in Ecclesia, qvàm primum aurora erumperet, caneretur, prout moris erat Sacerdotibus & Levitis ex lege Symphoniam exercere 1. Chron 9, 33. & 23, 4. & 29. Ita denotatur hujus Psalmi nobilitas, mysterii in eo contenti ac jam in V. T. qvoq; jugiter inculcandi dignitas, veterum pietas, & fidei nostræ veritas. Vide Actor. 15, v. 11. Ephes. 4, v. 5. Qvid enim magis demonstret veteres patres in eundem Salvatorem nobiscum credidisse, & ejusdem passionem ac mortem sedulò consideravisse, qvàm si Spiritus S. hic in titulo ostendat, hunc Psalmum iis fuisse commendatissimum,

4.

5.

6.

7. vera.

mum, notissimum, gratissimum? Verùm nè hîc qvidam suo more excitent novas tragœdias, sciant, me hæc ita defendere, ut meliora edoctus, firmisq; rationibus convictus cedere paratus sim. Et ne qvis putet, me ignorare vulgatam explicationem, qvæ hodie est receptissima,
8. eam apponam. Tandem pleriq; nostrates, cum Luthero, aliisqve pluribus interpretantur, *de cerva matutina*, von der Hindin die frühe gejaget wird. Nam qvod Hieronymus putat omninò in genere masculino per cervum esse vertendum, nimis subtile mihi videtur, & ratione carnis ab infirmiore sexu potest esse desumpta appellatio, vide Bellarminum. Lutherus in explicat. germ. an. 1530. Er saget aber von der Hindin / und nicht vom Hirschen / umb der Fruchtbarkeit und Sanfftmütigkeit willen / daß sie nicht so wilde und grausam ist als der Hirsch. Etiam qvod Drusius lib. 10. obs. c. 3. inculcat, si hebraismum ipsum spectes, aliis in locis admittimus, dum per cervam matutinam seu auroræ pulchram denotari credit: huic tamen argumento non ita benè, ut Lutheri sententia, qvadrare arbitror. In hoc enim Psalmo (qvod pluribus declarat Gesnerus) Christi passio venationi, ipse cervæ, hostes ejus canibus v. 17. comparantur. Verùm cur cerva auroræ dicatur, non ita omnes consentiunt per omnia.

Cur Christus ita vocetur?

1. Qvidam qvod mane summo ex domo Hannæ in Caiphæ, &
2. inde in Pilati prætorium sit abreptus: alii, qvod per eum
3. nox Veteris Testamenti transierit Rom. 13, 11. 12. qvippe hoc sole justitiæ exorto Mal. 4, 2. Luc. 1, 78. nonnulli, qvod qvemadmodum cerva canibus acta latebras nocturnas inveniat, è qvibus sub auroram erumpens venatores dormientes effugiat, sic Christus mane summo surgens

ex

ex sepulchro vigilum manum ac catervam effugerit, Matth. 28. Sunt qvi propterea Christum cervæ matutinæ comparari existimant, qvod, ut illa suis hinnulis de pabulo maturè prospicit, ita Christus ex morte resurgens suis Apostolis dispersis de pabulo vitæ providerit, eosq; rursum collegerit. Et de his qvidem plus satis. De cervorum autem natura prolixiùs agunt hîc pleriqve interpretes, & videri ea de re potest D. Frantzius in historia animalium. Lector Candide, facio tibi optionem eligendi ex his duabus posterioribus explicationibus illam, qvam putes esse veriorem. Non est hic fidei articulus, ego citra cujusq; præjudicium dixi, qvid mihi videatur.

Usus.

Usus autem horum verborum, ut hic brevis sim, in his consistit I. Unicuiqve in suo officio exemplo hujus præcentoris præcipitur sedulitas Rom. 12, 7. 8. 11. 1. *Sedulitas.*

II. Dei veritas, veterum pietas hic describitur, dum audimus Spiritum S. jam olim hæc prædixisse adeò dilucidè, ac si jam tum extitissent: & antiqvos illos voluisse hunc Psalmum qvotidie in suis auribus sonare, & per eum fidem suam confirmare. Redarguit plerorumq; nostrorum socordiam, qvi tales Psalmos rarò meditantur. 2. *Dei veritas.*

III. Christi in nos charitas depingitur, dum pro nobis, qvi cum Adamo velut cerva qvædam ab infernali venatore diabolo Psal. 91. Gen. 3. eramus fugandi, nec, ubi consisteremus tutò, erat, confer Psal. 139. Amos 9. Habadj. v. 3. 4. coram Deo irato, ipse ut cervam matutinam se agitari, capi ac mactari voluit. Ad hunc igitur 3. *Christi charitas.*

nos in malis exemplo Davidis Psal.42. confugiamus, velut cervus ad rivulos aqvarum, confer Joh. 4.

IV. In omnibus Christianis licita, imò indicta hilaritas Rom.12,12. 2.Cor.6,10. Adde dicta Ephes.5,16. Phil. 4,4. facta Psal.34,1.2. Actor.5,41. & 16,25.

Vers.2.) Hieronymus existimat, & cum eo alii, qvod Christus in cruce totum hunc Psalmum, verba qvidem prima clarâ (Matth. 27, v. 46. ἀνεβόησε, Marc. 15, v. 34. ἐβόησε φωνῇ μεγάλῃ, Hebr. 5, v. 7. μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς) reliqva autem submissiori voce recitaverit. Nos videamus ea, qvæ sunt satis certa, & hîc præsertim θεανθρώπε angorem & clamorem. אֵלִי אֵלִי, *mi DEus fortis*, mein starcker GOtt/ qvod tamen Matthæus & Marcus tantùm voce θεῦ exprimunt. Aqvila autem olim vertit ἰσχυρέ μου, & ad emphasin geminat idem, ut indicet & mali magnitudinem, & in eo suam fidei fortitudinem, respice in me addit vulgatus interpres latinus ex græcis, qvæ habent πρόσχες μοι, qvasi legeretur in textu hebræo אֵלִי אֵלַי *qvare dereliqvisti me*, לָמָּה עֲזַבְתָּנִי qvod apud Evangelistas pro ratione temporis, puto etiam à Christo ipso verbo Chaldaico & Syro שְׁבַק, à græcis verò cum emphasi in voce decomposita ἐγκατέλιπες, sicut & interrogatio illa rhetorica per ἵνα τί & εἰς τί (vide Psal.2, v.1.) satis benè explicatur. Cur, ô Deus, qvi potes, & pater mi, qvi me amas, & absq; hac hora esset, voles me juvare, ope tuâ destituis, cur non acceleras ad præstandam mihi salutem, qvam adeò anxiè flagito, cur me clamantem non exaudis, sed surdis auribus mea vota præteris, ecce ego ad te in hisce malis appropinqvo, tu autem te subtrahis, qvare *longinqvus es à salute mea* (ἀπὸ τῆς κοινῆς enim par-

particula initiô versus posita debet repeti, vide in Psal. 3, v. 2.) & qvare longinqvus es *à verbis rugitus mei*, precum, qvas cum clamore & ardore vehementissimo effudi, qvomodo aliàs gemitus & suspiria cum rugitu solent conferri Psal. 32, v. 3. & 38, 9. ubi particula ב etiam ex priori membro est repetenda, cum Vatablo. Lutherus sensum respiciens vertit, Ich heule / aber meine Hülffe ist ferne. Pro verbis autem, qvæ sunt in textu hebræo, דִּבְרֵי שַׁאֲגָתִי suo more autores versionis græcæ legisse videntur שִׁגְיוֹנוֹתַי qvando interpretantur οἱ λόγοι τῶν παραπτωμάτων μου, verba delictorum meorum, qvorum jam reus peragor generis humani mediator, qvod explicant alii dilucidius hoc modò, non possum non mori, qvia sum hostia pro peccato totius mundi, qvod in me suscepi, ideoq; luere cogor pœnam, & proinde tu meritò longè distas à salute mea, verbisq;, qvæ profero, dum pro alienis peccatis immolor. Qvæ sententia qvidem pia est, & locum habet Psal. 40, 13. & 69, 6. verùm huc non qvadrat, qvod perpendens ferè ante seculum Johannes Bugenhagen / videre licet, inqvit, vel in hoc uno versu, qvantum nobis desit ad intelligentiam scripturarum, nisi eas revocemus ad linguas, in qvibus scriptæ sunt. Sic D. Brentius: Seqvamur non qvod interpres somniavit, sed qvod hebræa veritas habet. Et hoc malim, qvàm cum aliis frustra qværere conciliationem omnium errorum, qvi extant in versione græca, hoc prætextu, qvod per illos interpretes locutus sit Spiritus Sanctus, ideoq; errare non potuerint. Fuit enim id Prophetarum & Apostolorum proprium, ut qvà tales, nunqvam in dogmatibus & scribendis nomine Dei errare qviverint, qvi tamen rationis

D. Bugenhagius,

NB. & D. Brentium.

Autores versionis græcæ potuerunt errare,

etiam quandoq; prophetæ & apostoli.

ductum seqventes errasse etiam leguntur Exod. 32, v. 4. Num. 11, 22. 1. Sam. 16, 6. 7. 2. Sam. 7, 3. 4. Gal. 2, 12. 13. Act. 10. Horum autem non ita illuminatorum imperfectio obstat, qvo minùs semper rectè verterint.

Usus.

DEI potentia,

I. Ad primum nomen cum affixo, idq; geminatum, notanda est & numinis potentia, & hominis pii fiducia. Illud enim est in omnibus malis tutissimum asylum Psal. 18, 2. 3. 4. Prov. 18, 10. cui est potentia & robur 1. Chron. 29, 11. 12. Matth. 6, v. 13. & proinde juvandi facultas, cujus manus nunqvam est abbreviata Num. 11, 23. Esa. 59, 1.

pii fiducia,

hic verò qvando verâ fide sibi applicat omnia promissa, qvod indicat illud affixum pronomen primæ personæ singulare (qvod tantùm cum nomine יהוה inter omnia Dei nomina, qvæ tamen varia, occurrere annotant nonnulli, ut qvi pro sua persona sigillatim ad se rapiat bona in medio posita) in malis non desperat. sed plorat, & orat, donec exaudiatur.

Qver[1].

II. Cùm Salvator velut obstupescens qværit, *qvare*? videmus & carnis seu infirmitatis opus esse de absentia Dei conqveri, non tamen peccatum, & mirum

Bonis malè,

semper videri hominibus filios Dei hìc affligi, servos verò inutiles ac domo ejiciendos secundis rebus frui, ut meritò Jobus c. 21. Psaltes Psal. 37. & 73. Jer. 12. etiam qværat, qvare hoc fiat? & tamen optimus finis semper à Deo intenditur. Ergò, ut illud admonitionem, ita hoc

Christus gerit nostram personam.

nobis præbet consolationem. Scultetus: Sciebat Christus se amari, sed qvia ibi alienam, id est, nostram personam gerebat, sentire ipsum oportuit ea, qvæ nobis fuerant

rant sentienda: & sicut nihil ei derogavit, quod factus est peccatum, ita nihil, quod peccati pœnam luit.

cur derelictum?

III. Dereliquisti me cum dicit, duo inprimis indicat, & sibi tum esse divinum auxilium denegatum, ut nobis per eum Patri reconciliatis esset semper paratum Hebr. 5, v. 15. 16. nam ne Sion verè diceret, Dominus me dereliqvit, Esa. 49, 14. 15. Christus ejus sponsus à Deo ad tempus est derelictus Psal. 8, v. 6. Hebr. 2, v. 7. Jam igitur propter hunc ἐκέτλω ac λυ]ξωτλω, DEUS non derelinqvit qværentes ipsum Psal. 9, 11. nec justum qvis unqvam vidit derelictum Psal. 37, 25. & ut posset pauper se Deo relinqvere, ut habet emphaticè idiotismus linguæ sanctæ Psal. 10, v. 14. & nostræ germanicæ, oportuit Christum priùs à Deo relinqvi. Et porrò id notatur: si Christus ob aliena peccata, qvæ tum expiabat mediator, à Deo fuit parum per derelictus, qvidni homines ob sua propria, à Spiritu S. derelinqverentur, siqvidem qvi malè facit, cum Deo non potest commorari Psal. 5, 5. 6. Qvomodo autem Deus à Deo potuerit derelinqvi, non satis in hac vita vel mente capere, vel linguâ explicare possumus. Non tamen solam naturam humanam esse passam, firmiter credimus. Vide autem nonnulla ad hanc rem apud Lutherum, Gesnerum p. 215. 216. & inspice, qvæ habet Piscator in hunc versum.

IV. Hic est ille Jesus, qvi suum populum erat salvaturus, Matt 1, 21. & tamen in summo hoc gradu humiliationis ac passionis propter nos dicere necesse habet, qvare ô *DEus es longinqvus à salute mea*, יְשׁוּעָתִי ut salutem juxta definitum tuum consilium Act 4, v. 28. & 22, 3. procures salutem humani generis Joh. 3, v. 16. ubi facilè

Salvator non habet salutem.

Obj. Joh. 11. 42. R. 1. potest responderi ad id, quod ex Joh. 11, 42. potest objici, quod pater semper Christum exaudierit. Primò enim de iis loquitur miraculis edendis, quibus erat confirmaturus suam doctrinam. Deindè hîc potius est quædam dilatio, quàm omnimoda denegatio, quia ex morte fuit ereptus tandem omnibusq; molestiis exemptus Psal. 16. Act. 2. Esa. 53. 2. 3. Tertiò distinguendum inter ea, quæ petit absolutè, & quæ cum conditione, sicut orabat hanc horam & calicem transire, *si fieri posset*, tamen voluntati patris se subjiciebat Matth. 26, 35. 42. Quia igitur nostra peccata diviserant inter Deum & nos Esa. 59, 2. nosque per illud in longinquam regionem cum Adamo à Deo nostro abieramus Luc. 15, 13. ut iterum possemus appropinquare, oportuit Deum paulisper longinquum esse à salute hac Salvatoris. Vide Ephes. 2, 12. 13. 14. 15. 16. Rom. 5. ℣. 9. 10.

Christus leo. V. Quum preces Christi dicuntur *rugitus*, & precum vehementia, & precantis excellentia indicatur, nempè quod sit hic leo de tribu Juda Apoc. 5, 5. qui ità devicit leonem infernalem rugientem ac quærentem, quem devoret 1. Petr. 5, 8.

Scripturæ harmonia. VI. Vide Scripturæ Sacræ ἁρμονίαν, & Spiritûs S. qui locutus est in prophetis, omniscientiam, dum ipsa verba, quæ Christus moriens erat dicturus, David novit tam longè antè.

Quæstiones. 1. De Quæstionibus, quæ hîc magno numero solent tractari, non est quod quis multa à me expectet. Quæri amat (ut ex multis unum atq; alterum attingam) an sola caro sit passa, contra Zwinglii ἀλλοίωσιν diaboliq; larvam? 2. An Christus senserit verè dolores? 3. An posit adorare & in-

& invocare patrem, & tamen à nobis adorari? Videantur alii, & de prima ad locum de Christo; de secunda Dn. Chemnit. p. 1. L. C. & de duabus nat. in Christo, c. 3. & Esaiæ decisio est clara c. 53, 7. in qvem locum vide, qvæ ante septennium dicta sunt. De tertia notandæ sunt illæ, qvæ ad 3. genus communicat. idiomatum dari solent observationes, evolvendam qvidem esse naturæ proprietatem, & tamen actionem esse veré θεανδρικὴν. Et vide Augustin. in Psal. 85. orat Christus pro nobis, ut sacerdos noster; orat in nobis, ut caput nostrum; oratur à nobis, ut Deus noster. Hæc pro instituti nostri ratione sufficiant. NB.

Vers. 3.) Hactenus inter se fuit instituta invocantis & invocati comparatio, filius unigenitus & dilectus opem implorat, nil impetrat, accedit, at pater recedit, tantum abest, ut eruat, ut etiam deserat, ubi meritò qværas, *qvare?* nimirum

Aspice mortalis, pro te datur hostia talis.

Multi verò petunt, & nil auferunt, qvia malè petunt Jac. 4, 3. non exorant, qvia non instant Luc. 18, v. 1. id ne ullo modo de Salvatore patiente & precante qvis cogitet, qvàm ardenter, confidenter & constanter oraverit, hoc versu subjicitur: *Deus mi*, אֵלִי, vindex oppressorum, ultor malorum, siqvidem אֱלֹהִים officii, qvod ex justitia, ut judex terræ, DEus administrat, nomen est. Vide in Psal. 4, 1. pag. 84. & Psal. 7, 2. p. 147. Qvare (iterum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetenda est priùs posita particula) qvando *clamo interdiu*, *non respondebis* vel exaudies? (Græci benè: οὐκ εἰσακούσῃ.) Vide de verbi קָרָא & עָנָה emphasi qvædam in Psal. 4, v. 2. p. 71. 72. qvibus adde, qvod *Christi preces qvales?*

qvod prius non significet clamorem vagum, qvalis fuit gentilium, sed qvo aliqvid nomine vocetur, & qvidem proprio. Nam etsi clamo interius orans, ut Moses Exod 14,v.15. per totum diem passionis, tamen, ut video rem natam, mihi moriendum est. At dicat qvis, nocte tamen, ut omnia reliqva, ita & tu consilescis: non ego, nam adsit *nox*, tum *non* est *silentium mihi*, tum etiam non est qvies ab ipsis calamitatibus, qvibus affligor, & ex qvibus liberati solemus silere, qvi clamabamus pressi. Alii explicant passivè hoc modo: Tu ô Deus non præstas silentium mihi, du giebst doch nicht Audientz/ qvòd fortè durius. Lutherus satis benè: Des Tages ruffe ich/ so antwortestu nicht/ und des Nachtes schweige ich auch nicht. Græci malè: καὶ οὐκ εἰς ἄνοιαν ἐμοί: nec meliùs vulgatus latinus interpres, & non ad insipientiam mihi, qvod interpretantur, non imputabitur mihi verè ad stultitiam, qvod te invocem, licet non statim exaudias ut, caro qvidem dictitat. Patribus & aliis suas allegorias, qvippe qvæ hîc in textu nullum habent fundamentum, & planè extra scopum psalmistæ huc afferuntur, libenter relinqvimus, dum per dies res prosperas, per noctem res adversas intelligunt, & qvod nuspiam Christus aliqvid insipienter, ne qvidem in passione, petierit. Bellarminus per diem tempus vitæ Christi putat designari, per noctem, tempus mortis, q.d. per diem clamabo, in horto ac cruce, & non exaudies, per noctem verò cum te rogo ut resusciter, non ad insipientiam mihi, qvia tum me exaudies ac vitæ restitues. LXX. ita excusat ut accuset, qvia dicit nunqvam eos vocem דומיה reddidisse per silentium & proinde vel aliud qviddam (qvod est certè errare

דומיה

rare per ignorantiam) legerint vel noverint, qvod habuerit omnes significationes istas, cùm tamen satis constet, & hîc & alibi, nempè Psal. 39, 3. & 62, 2. & 65, 1. illam vocem silentii significationem obtinere, cui non contradicunt alii, qvando dicunt, obtinere vim nominis participialis in his tribus locis posterioribus. Qvibus omnibus adjunge Lutheri judicium. Miror, inqvit, unde LXX. acceperint εἰς ἄνοιαν, cum nihil hoc loco neq; analogiæ, neq; etymologiæ Hebræus habeat, qvod amentiam indicare possit. Tantum de verborum sensu, qvorum hæc brevis est paraphrasis, ô judex terræ ac juste Deus, qvare me, qvi ipse nil peccavi, tam crudeliter morte afficis, nec liberas invocantem interdiu & nocte? Sed est tibi justa me affligendi causa, dum pro totius generis humani peccatis me satisfacturum spopondi, ideoq; non possum non abs te conteri Esa. 53.

Usus.

I. Hîc proponitur fidei constantia, qvæ non patitur se frangi morâ auxilii, vel magnitudine mali, perrumpit nihilominus, sicut suo exemplo id probat Syrophœnissa Matth. 15. Marc. 7. Jobus c. 13, 15. Jacob Gen. 32, 25. 26. *Fidei constantia.*

II. Orationis perseverantia Christi exemplo & passim Davidis in Psalmis 61. 3. 70. probata, ac alibi mandata Matth. 7, v. 7. 8. Luc. 18, v. 1. Habac. 2, v. 3. Luc. 21, v. 19. Hebr. 10, 35. 36. Ut enim nos possimus exaudiri in Christi nomine petentes Joh. 16, 23. oportuit Christum hoc tempore non exaudiri, ne mortem corporalem gustaret, ut nos à morte æterna præservaremur per eum Heb. 2, 9. 14. 15. *Orationis perseverantia.*

14.15. propterea enim qvod jam Christum patris iram placantem parumper aversatur, Christianis deinceps invocantibus propter eum gratificatur.

Ejusdem excellentia.

III. Ejusdem orationis præcellentia, siqvidem est qvoddam cum Deo ipso institutum colloqvium, qvod notat illud verbum hebræum ענה respondit. Deus enim omnes preces qvidem audit, sed non semper respondet, er giebt allzeit nicht solchen Bescheid / als wir wollen / sondern als wir haben sollen. Confer Exod. 22, v. 27. Esa. 30, 19. ubi in posteriori loco respondere ab audire distinguitur. Semper itaq; simus memores dicti Cypriani l. 2. epistola 2. ad Donatum p. 50. & qvod habet August. in Psal. 85. Oratio tua locutio est ad Deum: qvando legis, Deus tibi loqvitur, qvando oras, cum Deo loqveris.

Vers. 4.) Cum verò ea, qvæ hactenus de sua persona & calamitate dixit salvator, videri poterant illis DEI promissionibus, qvibus se afflictis affore sanctè pollicitus est Psal. 50, 15. & 91, 15. & 145, 28. adversari: Jam igitur, qvod nihil qvicqvam inde sequatur, explicat, siqvidem nemo DEUM jure potest accusare, qvod non juverit sibi confisos. Nam qvamtumvis sæpè aliqvantulum distulit auxilium, non tamen planè abstulit, verùm suo tempore oportuno præstitit. Et proindè qvamvis jam nulla hujus rei, aut denegati Christo auxilii culpa sit in Deo, vel Christo per se, tamen jure hîc ita à DEO deseritur ob hominum peccata, qvæ expianda in se suscepit, & postqvam pro iis morte suâ satisfecit, futurum est, ut ipse qvoq; ex tantis malis eripiatur ac glorificetur. Duo itaq; nunc subjicit Psaltes, prius, qvod Deo confisi non sint confusi v. 4. 5. 6. posterius, qvod & ipse Salvator meritò huc confugiat hoc tempore v. 7. 8. 9. 10.

Aliqvot sequentium versuum summa.

9. 10. 11. Prius iterum duplici argumento evincitur, qvorum unum est à Dei natura ac majestate v. 4. alterum à sancta ejus in pios cura, & exemplorum eorum, qvi sunt liberati, varietate v. 5. 6. Non igitur te, ô Pater, ullo modo accusare qveo, qvando negas opem invocanti, qvia absq; hac hora esset, & si pateretur tua justitia, statim me liberares, sat scio, qvi etiam novi, qvod dirigas ad sanctissimum & optatissimum finem hanc meam ignominiam & afflictiones. Non exaudis me implorantem, *atqvi* tu tamen *sanctus es*, & ille, qvi sancte servat promissa, neq; est, qvod qvisqvam propter ea de fide tua dubitet, qvod me ad tempus derelinqvas, & qvia sanctus es, habitas ac *permanes in laudibus Israel*, non discedis à piis, ut carni qvidem videtur, sed ita de iis mereris, ut semper extet ampliſsima te laudandi materia. Vulgatus latinus, tu autem in sancto habitas, ex græca versione, σὺ δὲ ἐν ἁγίῳ κατοικεῖς: utrobiqve male, tum ob vocabula hebræa, tum accentus: longè pejus tamen Bellarminus ejus scilicet corrector, dum, habitator sanctitatis vertit, & textum planè invertit, suamq; in lingua sancta inscitiam egregiè probat. Rectiùs Lutherus vertit, du bist heilig / der du wohnest unterm Lob Israel / & in margine exponit, im heiligen Volck / da man dich lobet / addi potest, gar hoch und immerdar / qvia pluralis numerus תְּהִלּוֹת, qvi in nostro idiomate explicari non potest, notat excellentiam & continuationem. Eorum qvæ habet Junius, & ex eo Hoffmannus, tu es perfecta laus Israelis, sensus ferè idem est, qvod Deus juvet eò, qvod sit sanctus, sempiternus seu immutabilis ac laudatissimus. Confer Psal. 102, v. 13. Habac. 1, 12. ut sit h. l. illa

DEUS sanctus.

illa oppositio, tu Deus nunqvam defecisti à sanctitate aut veritate promissionum, & tamen me jam deseris, aliis manes auxiliator, à me abis, meq; derelinqvis, aliis factus es materia laudum, mihi verò soli præbes materiam querelarum. Elegans Lutheri locus. Atq; hic clarè videmus, inqvit Lutherus, Christum passum esse pœnam peccatis propriè debitam & gustasse mortem & infernum. Et porrò: Qvod non audet dicere, non es laus mea, & tamen id non fit, unde sit laus ejus, ita videtur in semetipso absorbere tentationem blasphemiæ, qvæ penè eruptura videbatur velut inter laudem & blasphemiam fluctuans & obmutescens. Vide etiam qvæ in hunc versum notavit D. Brentius in Commentario.

Usus.

Dei veritas. I. Declaratur hic Dei veritas, qvæ adeò immutabilis, ut potiùs omnia sint peritura, qvàm verbum DEI Luc. 21, v. 33. imò dictum factum exstat, qvodcunqve ille mandat,

Wann ER nur spricht/
Bald es geschicht/
Wann ER gebeut/
Bald es da steht.

Psal. 33, 9. & 148, 5. DEus igitur non mutat Mal. 3, 6. si modo fides hominum non nutat, qvia ipse sanctus est, qvi non possit velle falsum.

Dei præsentia. II. Modorum præsentiæ Dei varietas. Licet enim terram & cœlum impleat, adeoq; omnia in ipso sint, tamen peculiari modo habitat in cœlo per majestatem ac glo-

gloriam, in Ecclesia per bonitatem & gratiam. Vide qvæ dicta sunt Joel. 3, v. 21. circa finem. Et vide Chem. de duab. nat. in Christo c. 29. & 30. Hebræis, qvod nullo includatur, à nullo loco excludatur, dicitur מָקוֹם, id est, locus, qva de re Elias in Thisbi, D. Gerh. p. 1. L. C. qvi qvod habet, qvod nomini יהוה in numeris respondeat, ita est intelligendum, ut singulæ literæ hujus ratione numeri in se multiplicentur & illius saltem computentur hoc modo:

מָקוֹם

מ	40	י	100	10	10
ק	100	ה	25	5	5
				per	
ו	6	ו	36	6	6
מ	40	ה	25	5	5
	186		186		

Simul autem indicatur verbo hebræo, qvod Deus libenter habitet in sanctis ut in suo templo seu palatio 1. Corinth. 3. & 6. ac resideat atq; gubernet eos tamdiu gratiosè, qvantisper ipsi qvoq; à fœdere inito non recesserint. Tum enim surgit & abit. Vide qvæ dicta sunt Amos 9, 1. Deus igitur nullum relinqvit nisi relictus. DEus habitat in sanctis.

III. Laudis nostræ Deo debitæ pluralitas, siqvidem ipsi debemus, qvod sumus creati, liberati, sanctificati, qvod spiramus, etiam speramus: debemus laudem cordis agnoscendo, oris profitendo, operis piè vivendo, ut ita pro nostra tenuitate gratias habeamus, agamus, referamus Psal. 116, 12. Vide plura apud D. Gesnerum in Comm. Laus DEO debita.

IV. Patientiæ Christianæ in malis necessitas, Christus Patientiæ.

ſtus adeò afflictus, ut nihil ſuprà; tamen Deo laudem veritatis, juſtitiæ, & potentiæ tribuit, qvemadmodum ex ſeqq. audiemus. Non igitur eſt murmurandum contra Deum, ſiqvidem qvàm durum ſit contra ſtimulum calces, Judæi ſuo exemplo abundè docent, qvod Paulus nobis inculcat 1. Cor. 10.

Verſ. 5.) Et qvia Exemplorum magna vis eſt in utramq; partem in adhortando & dehortando, in utràq; fortunâ, Salvator etiam illa profert, qvæ poſsint afflictum erigere, ita tamen ut ex antitheſi ſubintellecta colligendam relinqvat ſuam miſeriam pro humano genere toleratam eſſe ſupra omnem aliam, ut non malè hactenus Chriſto patres multi illam Eccleſiæ qverelam capiti ejus accommodaverint Thren. 1, 12. Videte, num ſit dolor ſicut dolor meus. Vide Comm. in Threnos. Scultetus: tres cauſas doloris ponit, dum videt ſe non exaudiri, id eſſe contra (1) fœdus Dei, v. 4. (2) morem antiqvum hoc verſu & 6. 7. 8. (3) propriam priorem experientiam v. 9. 10. Nam ecce, ô Deus, *tibi confiſi ſunt* (בָּטְחוּ ſpem firmam in te poſuerunt, qvæ mentem reddit tranqvillam ac ſecuram) *majores noſtri* ſeu patres mei ſecundum carnem Rom. 9, 5. ut enim omnes minores hebræis dicuntur filii, ſic omnes majores & anteceſſores patres appellantur. *Confiſi* & niſi *ſunt* te uno, & eripuiſti *ac liberaſti eos* וַתְּפַלְּטֵמוֹ feciſti eos tuos clientes ac ſanctos paucos evadere, qvum reliqvum vulgus infrunitum ac impia turba periret, qvia פָּלִיט eſt qvi effugit ac ſalvus evadit, qvando reliqvi intereunt.

בְּטַח

Uſus.

Usus.

I. Qvando Christus veterum historiarum memi- *Historiæ.*
nit, qvæ sunt in sacris pandectis fideliter annotatæ, proponitur nobis illa scripturæ utilitas, qvâ etiam ex historiis veterum, qvas cum Anabaptistis alii qvoq; ad nos nihil spectare falsò autumant, possimus firmum haurire solatium Rom. 15, 4.

II. Probatur hîc vera Christi humanitas, siqvidem *Christi humanitas.*
Judæos veteres dicit esse suos patres, ejusdemq; in nos comitas, dum illos sanctos & suos & aliorum patres, atq; ita nos esse ejus fratres meminit, illisq; exemplo meritò esse debere concludit.

III. Mandatur spei firmitas, de qva Hebr. 6, v. 19. & *Spei firmitas.*
10, 35. 36. Arca Noæ in monte qviescebat tandem: nos non, nisi qvando precibus & fiducia nostra confugimus in montem Domini Prov. 18, 10. Ps. 15, 1. consistimus. David tum demum erat tutus à suis hostibus, qvando arcem Sion occupaverat: Sic nos qvando cœli januam nostris qverelis aperuimus.

IV. Notatur auxilii divini diversitas. Qvandoq; *Auxilium Dei.*
enim id est subitum ac statim paratum Matth 8, 3. 7. qvandoq; tardius ac dilatum Joh. 4, v. 48. Ibi ipsa juvat ac eripit, hîc solatur & spe erigit, & cum immisit nobis velut malorum πάσιν, præstat etiam cum tentatione τῷ ἐκβασιν, post calamitatis invasionem felicem evasionem 1. Cor. 10, 13. Confer exempla qvæ notavit Brentius ex Gen. 20, 31. 32. 37. Exod. 7, 14. Jos. 10. 1. Reg. 7.

Vers. 6.) Ereptos esse multos pios in N. Test. ipsa testis est sacra historia, idemq; confirmat hæc Christi de illis me-

memoria, Noachus in diluvio, Abrahamus in exilio, Lothus in incendio, Joſephus in vinculis, Moſes in deſertis, Joſua inter multos hoſtes, David inter inimicos ſervatus eſt: Moſen, Aaronem, Joſuam, Caleb ab horribili lapidatione protexit mirabili apparitione Num. 14. ne comprehendatur propheta, exareſcit Regis dextera 1. Reg. 13. ne capiatur Elias, ignis cœlitùs demittitur 2. Reg. 1, 1. ne conſtringatur Eliſæus, adeſt cœli exercitus 2. Reg. 6. & qvis poteſt catalogum illorum recenſere? Qvomodo verò hoc factum & qvomodo ſe geſſerint erga Deum, nunc apponitur, nempè ardenter orando, & firmiter ſperando. Illi enim majores noſtri *ad te*, ô Deus, *clamaverunt* voצָעַק ce altâ, זָעַק, qvod verbum ſicut & cognatum nomen, plerumq; de clamore valido uſurpatur in bibliis. Nunc videantur ex multis pauca loca Gen. 18, 20. Exod. 2, 23. Joſ. 8, 16. in libro Judicum paſsim. 1. Sam. 4, 13. & 12, 8. 10. 1. Reg. 22, 32. clamaverunt, inqvam, ad te, *& erepti*
נִמְלַט *ſunt*, וַיִּמָּלְטוּ, ut avis jam retibus implicita iterum expedita evadit Pſal. 124, v. 7. vel ut qvis ab hoſte captus iterum cum magno periculo à fortiori eruitur, ac ejus manibus ſubducitur Job. 6, 23. in N. T. per σώζειν exponitur, confer Joel 2, v. 32. & Rom. 10, v. 13. *tibi confiſi ſunt* (trina ejusdem verbi repetitio non tantùm magnam habet emphaſin, verùm etiam pro ratione illius temporis notare poteſt, qvod omnes tres perſonas divinitatis ſimul invocaverint) etiam in mediis malis, & durante afflictione, nec puduit eos ſeu potiùs, *nec pudefacti ſunt*, ut corrigit Piſcator ex Luthero, ſie wurden nicht zu ſchanden/ſiqvidem conſecuti ſunt, qvod petebant, non ſunt pudore confuſi, nec expectatione deluſi, ſed potiùs ſu-

ſupra omnes calamitates mirabiliter evecti, ubi affirmatio vehemens per negationem contrarii in ſanctâ linguâ freqvens.

Uſus.

I. Docetur hîc, qvis eſſe debeat precantum clamor, nempè ad Deum directus, ex corde profectus, & (ut ſæpè de multitudine verbum hebræum uſurpatur) à populi multitudine, vel in periculi magnitudine editus, qvæ ſicut & pleraq; alia precum reqviſita, hoc verſu notata: *Precum requiſita.*

Ad qvem qvis clamet, cur, qvomodo, qvando, qvid, unde,

cum his verſibus apud pſaltem annotentur, hîc inculcari debent. Ad qvem? DEum verum v. 2. judicem terræ v. 3. ſanctum v. 4. cui confiſi alii v. 5. & qvem invocaverunt v. 6. *ad qvem?* Cur? ob mala auferenda, qvæ adſunt, qvando Deus abeſt & derelinqvit v. 2. & bona conferenda ut liberet v. 5. eripiat v. 6. *cur?* Qvomodo? in fide, ſpe, patientia, ut ſuo exemplo hîc docet Salvator. Qvando? omni tempore, die ac nocte v. 3. *qvomodo? qvando?* Qvid? auxilium, exauditionem. *qvid?* Unde? ex corde & omni loco, etiam ex ipſo crucis patibulo, ut Chriſtus prima hujus Pſalmi verba recitat. *unde?* Tales igitur preces optimum ſunt in malis remedium, præcipuè qvando contra diabolum, ejusqve ignita tela pugnandum Matth. 26, 41. Eph. 6, 18.

II. Qvis ſit Dei in ſuam Eccleſiam amor, nempè ut pater filium Hebr. 12. ejus membra malo afficit, ſed etiam bono reficit Eſa. 54, v. 7. 8. facit ut prematur, ſed cavet etiam ne opprimatur. Nam ut arca Noæ creſcentibus aqvis elevabatur, ſic Eccleſia in aqvis afflictionum *DEI amor.*

extollitur. Vide saltem Israelitas in Ægypto Exod. 1, 2. Eripi autem unusqvisq; optimè potest, si, ut avis, alta, & qvæ sunt sursum, petat, non his terrenis se implicet, Deum suum omni tempore laudet Psal. 34, 2. & columbæ oculos Cant. 1, 15. & 4, 1. & 5, 12. (qvi sunt gratiosi, casti & simplices) ac alas Psal. 55, 7. & 68, 14. sibi optet, atq; ita cum illa à Noacho emissa columba cadaveribus & sordibus hujus seculi non insideamus, sed ad arcam propitiatorii properemus Gen. 8, 9.

Columba.

Miseria. gloria.

III. Qvis sit piorum in cruce decor? nempè non pudefiunt, sed ut Christus post crucem gloria & honore coronatur Psal. 8. ita & ipsi post miseriam obtinent gloriam, per aspera promoventur ad prospera, per angusta adducuntur ad augusta. Nur GOtt vertraut / ist wol gebaut. Christus felicem prædicat, qvi posuit suam domum in petrâ, siqvidem qvando venit imber, procella, & alia, non concidit, Matth. 7, 24. 25. sic meritò felix est, qvi Christo petrâ salutis nititur, non hunc aqvæ calamitatum Psal. 32, 6. non ventus & æstus afflictionis, imò nulla mala lædunt, aut penitùs obruunt Rom. 8.

Vers. 7.) Hæc igitur fuit piorum sors & conditio, qvod in malis, qvando ipsi in Deum posuerunt suam spem, ille attulerit eis opem: nunc Salvator ut suam spem cum majorum contulit hactenus, ita porrò mala sua longè illis præfert, & qvanto pere affligatur, exaggerat. *At ego* (ואנכי ubi vau, eò qvod diversa inter se opponantur, necessariò sumendum est adversativè, sicut & supra v. 4.) qvi sum tuus filius unigenitus, & per qvem illi majores sunt liberati ac tibi dilecti, *sum vermis*, non patior ut illi humana, sed qvæ vermis, nec pluris à ple-

Christus vermis.

risq;

risq; fio, ac vermiculus, qvemadmodum Jacob maximè contemtus & in pulvere malorum gravitate prostratus hoc nomine appellatur, Esa. 41, v. 14. *ac non vir*, וְלֹא־אִישׁ non vir præstans Psal. 49, 3. & 62, 10. sed verè אֱנוֹשׁ miser homo, confer v. 6. cap. 53. Esa. & qvæ in eum dicta, unde Pilatus exclamat Joh. 19, 5. Ecce homo. Et qvod hactenus per comparationem dixit, idem nunc more sacrarum literarum proprie subjicit, sum *opprobrium hominis* אָדָם cujusq; etiam vilissimi, qvod est magis dolendum, *& contemtus populi*, id est, à populo, qvæ etiam pleraq; in dicto Esaiæ loco prolixiùs explicata.

Usus.

I. Christi maxima afflictio est nostra multiplex refectio ac instructio. Primum enim qvando Christus se dicit esse vermem, & qvidem תּוֹלַעַת, eum unde tingunt coccineum dibaphum, seu purpuram optimam parant, qvi color erat velut proprius regum & sacerdotis summi, discimus & peccata nostra fuisse velut dibapha & rubra velut coccineum Esa. 1, 18. ac ut expiarentur, oportuisse ita Christum vermem pro nobis fieri, in suo sanguine mori, ut nos eo ablueremur 1. Joh. 1, 7. Heb. 9, 24. 1. Pet. 1, 19. Ut etiam per eum regem ac sacerdotem N. T. unicum efficeremur denuò reges ac sacerdotes Deo Apoc. 1, 5. 6. Secundò, qvod homo, qvi conditus erat ad Dei imaginem, qvando eam per lapsum perdidit, factusq; est larva diaboli ac anguis seu serpentis illius infernalis ac vermis in sordibus hujus mundi repens, per Christum pro nobis factum vermem, qvi erat in se pulcherrimus hominum Psal. 45. possit restaurari, si modò credat, 2. Cor. 3, 18. & 4.

Christi afflictio.

תּוֹלַעַת

pro homine verme.

& 4,16. Utrobiq; confer typum serpentis ænei Num. 21. Joh. 3,14. 15. Tertiò si Christus ita pro nobis fuit contemtus, nos etiam decet pro Christi nomine contemptum ferre Matth. 5,11. 12. 1. Pet. 4,14. Act 5,41.

Cur Christus vix homo?

II. Christi summa humiliatio est nostra exaltatio. Dum enim is, qvi pro nobis factus erat homo Rom. 8,3. præ maxima afflictione vix homo remansit, factum id esse piè credimus, Esaia 53. cap. interprete, ut nos sui cognitione justificaret, bearet, Joh. 17, v. 3. ac filios DEI redderet Joh. 1, 12. Confer hic Josephum in salutem fratrum venditum, carceriq; mancipatum, ut illi in fame sustentarentur ac regis potentissimi amici redderentur.

Christi ignominia est gloria.

III. Christi varia ignominia est nostra vera gloria, siqvidem absit, ut gloriemur, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi Gal. 6,14. Adde dicta 1. Corinth. 1, 31. 2. Corinth. 10, 17. ex Jer. 9, 24. 2. Corinth. 12, 9. Phil. 3,3. Qvando enim exprobrabant ei, *Vah qvi destruis templum DEI*, novimus, qvod is sit, qvi templum sibi in nostris cordibus paret Gal. 2,20. 2. Cor. 6, 15. 16. qvando per contemtum dicebant, *Salve Rex Judæorum*, scimus qvod ipse sit rex magnus & glorioſus Ps. 47. & 24. nosq; reges efficiat Apoc. 1, 6. Qvando ipsi illudebant: *alios salvavit, & seipsum salvare nequit*, nos verè nobis persuademus, qvod ita salvaverit suum populum Matth. 1, v. 21. verus Jesus, qvi salvare εἰς τὸ παντελὲς potest Heb. 7, v. 25. Qvando Herodes deridens eum vestem albam ei induit, nos id ita interpretamur, qvod nobis vestem salutis & pallium justitiæ retulerit mundissimum. Esa. 61. Etiam hoc addatur, qvod nos, qvi sumus ejus membra, non de-

Judæorum illusiones.

ceat

ceat dedignari has contumelias ferre, sed tantùm in iis gloriari Rom.5,3. 2.Cor.6,v.7. Videantur omnes pii, qvorum magnus catalogus Hebr.11. Si enim Christus lapis angularis est abjectus Psal. 118. qvidni reliqvi vivi lapides in templo Dei Ephes. 2. Si Christum magistrum dixerunt Beelzebub, qvæ sors manebit ejus discipulos? Matth.10,v.25. confer Jer.20,v.7,8. 1.Corinth.1, v.23. & 4, 13.

Vers.8.) Hactenus in genere fuit declaratum, qvomodo Christus ab omnis generis ac ordinis hominibus fuerit contemtus: jam porrò explicatur, qvomodo ille contemtus in gestus v.8. & verba v.9. eruperit. Gestus autem illudentium hic proponitur qvadruplex 1. est oculorum lascivia, confer v. 18. aspectus ὕβρεως καὶ ἀπιχαιρεκακίας non συμπαθείας. 2. nasi frontisqi caperatio ac supercilliorum corrugatio. 3 distorta oris diductio. 4. capitis concussio. *Omnes* & tam multi, ut putet qvis, omnes homines huc confluxisse, qvia tum, qvando Christus patiebatur, ad pascha multa millia hominum Jerosolymam confluxerant, ac pleriqi hoc spectaculo pascebant oculos, *videntes me*, cum sol tandem neqveat spectare sine faciei suæ obtectione, illi tantum abest ut indè meam vicem doleant, ut diabolica ex malitia *subsannent me* יִלְעֲגוּ לִי amaris illusionibus mihi insultent, qvæ sunt pars magna vehementis afflictionis Psal. 79, v.4. & 80,7. qvia ab his illudor, qvi pro illis hęc patior, illi me subsannant, qvos creavi, qvos redimo, & qvos hæc mea mala beant. Per ludibrium porrò buccas inflant, *diducunt labium*, Lutherus, sperren das Maul auff/ vulgatus latinus interpres, locuti sunt labiis, non benè. Vide autem

Gestus illudentium.
1.
2.
3. 4.

tem similem locum Jobi 16,10. & *movent caput*, schütteln den Kopff/qvi est gestus illudentium maximè Job. 16,4. 2. Reg. 19,21. Thren. 2,15. Psal. 109,25. Esa. 37,22. Matthæus simpliciter vertit, κινοῦντες τὰς κεφαλὰς αὐτῶν c. 27,39. & Marcus c. 15,29. Vocabuli autem hebræi לעג ἔμφασιν aliqvo modo exprimit Lucas c. 23,35. qvando dicit, ἐξεμυκτήριζον, id est, ut cum Poeta loqvar, naso suspendebant adunco. Confer Gal. 6,6.

לעג

Usus.

Qvorundam malevolentia.

Notanda est hîc I. hominum multorum malevolentia, qvi, cùm debebant esse benigni, misericordes, mites, Colos. 3,12. 13. 14. proximiq; amantes, omnem humanitatem prorsus exuunt ac non tantum non juvant, sed etiam ultrò miseros lædunt Rom. 1,29. 31. 2. Tim. 3,2. 3. aut saltem acerbè illudunt, ut Simei Davidem, qvi hîc cum Christo potest conferri.

Christianorum patientia.

II. Christianorum patientia. Si enim Christus hæc tulit patienter propter nos 1. Pet. 2,23. etiam nos æqviore animo feramus omnia scommata, dicteria, injuriasq; à mundo illatas in bonâ causâ, ibid. v. 21. Exemplo sit Noachus & Lothus Dei minas prædicentes ac propterea multis sannis excepti 2. Pet. 2,5. 7. 8.

Membrorum abusus.

III. Membrorum divinitus in gloriam Dei & hominum utilitatem datorum turpissimus abusus. Oculi sunt dati, ut Dei opera aspicientes Psal. 46. eum timeamus; lingua, ut celebremus, & proximo benedicamus; labia, ut utilia proferamus Psal. 51. caput totum, ut Deo ac aliis grata cogitemus ac prospiciamus. Sed confer hos ἐμπαίκτας, & videbis, qvomodo gigantum more, qvantum

tum in se est, cupiant esse θεομάχοι Act. 5, 39. seq; homines exuisse, ac feritatem beluinam induisse probent, oculis crocodili, linguâ serpentes, ore leones, capite ursi aut canes, qvemadmodum pluribus deinde describuntur.

Vers. 9.) Verba autem, qvibus Christo molesti sunt ejus hostes, & blasphemè exprobrant, unde maximè erat laudandus, & ubi erat confirmandus, sunt inter alia etiam hæc: *devolvit* (hebr. גֹּל ubi vel per enallagen freqventem temporum infinitivus ponitur pro præterito, vel est imperativus, ut alii volunt) *super Jehovam*, inqviunt illi blasphemi illusores, citantes scripturam, ut diabolus solet, omittentes itidem verba illa, viam suam, confer Matth. 4, v. 6. & Psal. 91, 12. & h. l. Psal. 37, 5. & 55, 23. Prov. 16, 3. Lutherus sensum respiciens vertit, & qvidem metaleptice, qvia dicit se Deo niti, & in eum sua rejicere, age illum jam invocet, er klags dem HErrn! ideoq; malè eum reprehendit Piscator. LXX. ἤλπισεν ἐπὶ κύριον, & inde latinus vulgatus, speravit in Domino, longius recedunt, & qvod non semper ex græca versione usitata citent Evangelistæ, hic est iterum locus evidens, qvia Matthæus c. 27, 43. hunc versum ita exponit, πέποιθεν ἐπὶ τὸν θεὸν, ῥυσάσθω νῦν αὐτον, εἰ θέλει αὐτόν. Devolvit se & sua ad Jehovam, *liberet eum*, vel plenariè, vel *eripiat eum*, saltem mitiget hæc mala, *qvandoqvidem deleatur eo*, hat Er Lust zu ihm! ubi geminatio affixi emphasin illusionis acerbissimæ habet, eum, eum, den! den elenden Menschen. SiDEUS, utipse falsò sibi persuadet, ipsum ex corde diligit & verè amat, cur differt auxilium, cur moratur, cur denegat? dicat hoc, si potest: aut qvia NB.

qvia in conſcientia victus (loqvor ex ſententia blaſphemorum) tacet, ſciat, qvod Deo carus non ſit ac deſperet. חִפֵּץ De verbi חָפֵץ ἐμφάσει & in Pſal. 1, 2. & alibi fuit dictum prolixius, unde qvæ hic deſunt, peti qveunt. Notat enim non qvemcumq; amorem, ſed vehementiſsimum, qvalis erat in Sichem depereunte Dinam Gen. 34.

Uſus.

Chriſti pietas.

I. Notetur hic Chriſti pietas, qvi etiam in media morte ac malorum labyrintho omnem ſuam ſpem in Dei providentia fixam ac locatam habet, & cum montes mali ei incumbunt, ipſeq; non eſt oneri ferendo, devolvit in Jehovam omnipotentem, idq; propterea, ut nos poſſemus deinde omnia mala culpæ vera fide in ipſum devolvere, qvi tollit peccata mundi Joh. 1. cujus humero adeſt principatus Eſa. 9, 6.

Populi impietas.

II. Populi impietas, qvi etiam optimè dicta ac facta Chriſti in deteriorem partem rapiunt, ac ſarcaſticè ei illudunt. Qvid enim melius, qvàm ad mandatum ac promiſsionem Dei in die mali ad Jehovam confugere? & tamen hoc exagitant impii, qvid verius, qvàm Chriſtum eſſe filium Dei, vide Matth. 27, 43. ſub finem, & tamen hoc eunt negatum improbi? Sed olim malè pro Deo ſe venditare volebat Adam prior, Gen. 3. hoc ut expiaret poſterior, nec ille cum omnibus ſuis in æternum à diabolis iſtis ludibriis vexaretur, *ecce DEus factus eſt Adam*, has acerbas ſannas propter nos pertulit.

Auxilii Dei diverſitas.

III. Auxilii divini diverſitas. Vel enim planè liberat, vel ſaltem mitigat, utrumq; autem multis modis præſtat. Aut pios abſcondit Pſal. 27, v. 5. & 31, 21. Jer.

Jer. 36,19. vel adversariis caliginem offundit Gen. 19, v. 11. 2. Reg. 6,18. aut tyrannicis conatibus malorum impedimenta & obstacula ponit Gen. 31,24.29. & 33,10. 1. Reg. 23,26. aut eos in suo proposito pergentes punit Exod. 14, 14.27. Esa. 37,36.2. Maccab. 3, 25, 26. aut vim causarum secundarum inhibet Exod. 14, 21. Jos. 10, 13. Dan. 3, 29. & 6, 22. aut suis saltem spiritu fortitudinis solatia interiùs exhibet, ac gustum vitæ æternæ præbet Act. 5, 41. & 7,56. & 16,25.

IV. DEI patris in filium suum unigenitum amor ac caritas, qvippe qvam cœlitùs ipse declaravit Matth. 3, 17. & 17,5. 2. Pet 1, v. 17. (in qvibus locis omnibus satis benè vis vocis hebrææ חָפֵץ exprimitur per εὐδοκεῖν) & resurrectione ex mortuis, ac ad dextram suam collocatione satis comprobavit, ac nos in illo dilecto dilectos reddidit Eph. 1, 5.6. unde & per illum omnis Dei εὐδοκία hominibus obtingit Luc. 2,14. & 12,32. Col. 1,19. Heb. 10,6. 7.8.9. & ut posset illa Dei benevolentia antea offensi, generi humano rursus obtingere, Deus חָפֵץ הָכְּאוֹ delectatus est eum ita conterere ac derelinqvere Esa. 53,13. ut ejus vulneribus sanaremur. *Patris in Christum εὐδοκία.*

Ex toto autem versu discimus, pravum esse illud mundi judicium: Hic à Deo affligitur, Ergò ab eo non diligitur, hic castigatur E. non amatur, cum malis conflictatur E. Deus illo non delectatur; potest enim inverti Heb. 12, 5.6.7. *Mundi judicium.*

Vers. 10.) Hucusq; prior filii Dei in cruce pendentis qverela, qvod à Deo derelinqvatur, & ab hostibus illudatur: & qvoniam hi in dubium vocabant illius providentiam ac φιλανθρωπίαν, qvæ etiam in tantis malis non

ita benè agnoscitur ab afflicto, qvi tamen in ea suam collocat fiduciam, nunc illam probat, sibiq; in memoriam revocat Dei beneficia gratis sibi præstita in partu, & infantia v. 10. ac deinceps in tota vita v. 11. Putant illi me abs te planè non curari, nec liberatum nec ereptum iri unqvam, qvùm me non delecteris: Ego verò fide verâ præditus longè aliter colligere didici. *Quia* enim *tu* es, qvi me antea, ubi nulla spes salutis supererat, mirabiliter eduxisti, & *extraxisti me ex utero*, heb. גֹּחִי eductor meus, qvod convenit cum גֹּחִי Psal. 71, v. 6. (qvi totus versus, imò locus cum hoc conferatur diligenter) & notat miraculosam ac potentem Dei vim, qvæ in partu infantes avellat ex unguibus ac faucibus mortis, tibi, ô Deus, debeo hujus vitæ primordia, ergo etiam nunc sub ejus finem me juva, ut ita abs te principium, tibi desinat. Hinc porrò postqvam in luminis auras sum editus, tù eras ille. *qvi faciebus ut securus agerem*, מִבְטְחִי vide supra v. 5. *ad ubera matris meæ*, in te sperans, tuoq; præsidio nixus omnia reliqva spernens. Piscator: Verbis sacerdotum sarcasticis, qvibus ei v. 9. exprobrabant vanitatem fiduciæ in Deo collocatæ, opponit jam asseverationem ejus, eamq; confirmat ex antegressis.

Psal. 71, 6.

Usus.

Dei providentia.

I. Observanda hic est Dei potentia & providentia ordinaria (ut ita cum nonnullis, pace aliorum, vocemus) qvâ naturæ cursum conservat, & in primis hominis vitæ ingressum, progressum & egressum semper curat, confer cum hoc loco Job. 10, 8. 18. Psal. 139, 15. 16. ubi elegans comparatio Sap. 7, 2. præcipuè autem fidelium

1. Tim

11Tim.4,v.10. Cum itaq; Deus nos mirabiliter creet, & sine nostro auxilio, imò nobis ignorantibus, nos ex latebris uteri materni extrahat in lucem, deinceps non deseret Psal.103,13.14. Esa. 49, v.14.15. Hagar siccis oculis aspicere non poterat filii interitum Gen.21,16. mater non ferebat sui fœtus exitium 1.Reg.3, v.26. & Deus, qvi est amor ipse 1.Joh.4,16. nosq; ardentiùs diligit, qvàm pater Mal.3,17. mater Jer.31,20. frater Hebr.2,12. Joh.20,17. nos suum figmentum abjiceret?

II. Ejusdem præveniens qvædam gratia, dum nos suos inimicos Rom.5,10. & iræ filios Eph.2,3. vita donat naturali, & qvidem in Ecclesiæ gremio, ubi possumus etiam beneficio Sacramenti initiationis donari vita spirituali. Nondum enim nati pueri qvid faciant aut meream̃tur? vide Apostolum Rom.9,v.11. & rectè huc accommoda. *Dei gratia.*

III. Christi humanæ naturæ veritas. Qvia enim ἀπόῤῥως καὶ ἀφθόρως (Damasc. l.1. de orth. fid. c.2.) in utero Mariæ est conceptus, & inde protractus, est verè ille שִׁילֹה promissus Gen.3,15. & 49,10. Abrahæ benedictum semen Gal.3,16. Heb.2,16. & mirificum germen Esa. 4,1. Jer.23,5. & 33,15. Zach. 3,8. & 6,12. ejusdemq; Christi in embryones parentum in Ecclesia benignitas, qvam in L. de Baptismo sic explicat Dn. D. Hunnius: Christus in utero infans fieri dignatus est, ut declararet, se etiam in utero existentes parvulos, qvando ad ordinarium lavacrum renascentiæ pervenire non datur, sanctificare posse. *Christus* שִׁילֹה *In embryones Dei amor.*

IV. Dei bonitas, qvi ita est spes nostra, ut sperare nos faciat, atq; ita nostræ salutis ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς Heb. *A Deo omnia.*

Hebr.12,2. is qvi dat velle & perficere pro suo beneplacito Phil.2,13. Ubi igitur sunt illa conficta opera & merita congrui & condigni? ubi liberi arbitrii vis in bonis spiritualibus? ubi gloriatio? excluſa est Rom.3,v.27. 1. Spes nostra. Cor.4,7. sperare verò nos facit suâ liberalissimâ promissione, humanissimâ invitatione, aliorum ex magnis periculis liberatione, & tandem æternæ beatitudinis pollicitatione. Qvis itaq; non speret, cum sit verax? qvis non accurrat, qvum sit benignus? qvis non confidat, qvùm sit potens? qvis non toleret mala, qvum tanta restent in cœlis præmia?

Vers.11.) Enarravit duo insignia beneficia Christus sibi in vitæ hujus exordio collata à Deo, nempè qvod ipsum mirabiliter ex utero produxerit in stabulo, ubi aliarum piarum mulierc ularum aberant ministeria, & qvod cum mater esset virgo, tamen de lacte sibi in uberibus matris prospexerit: nunc porrò addit mirabilem Dei in toto vitæ cursu defensionem ac sustentationem, qvando de viatico ipsi prospexit per longè disitos magos, in fuga in Ægyptum tutum à latronibus deduxit, ibiq; aluit, ac salvum reduxit, Judæorum ac Herodis manibus subduxit Matth.2 & 14. Luc 4,v.29.30. Joh.8,v.59. Luc. 13,31.32.33. &c. Objiciant igitur illi impii illusores, devolve te ad Jehovam, alludant item ad illud Psal. 55, v. 23. Psal. 55. 23. הַשְׁלֵךְ עַל־יְהוָה יְהָבֶךָ rejice in Jehovam, qvicqvid dat & immittit tibi, ego in fidei schola edoctus inverto illud opprobrium in meum solatium, & dico, עָלַיִךְ הָשְׁלְכָתִי *Inte*, ô DEUS mi v. 2. revera *rejectus sum*, cum à matre mea ab omnibus relicta velut expositicius tibi fui traditus (Vide Drus. in Q. & R. l. 2, q. 43.)

tum

tum à meipso tibi commendatus, totus tuus, tuæ curæ ac fidei commissus ex fœdere tuo, cujus tu qvoq; memor me semper defendisti, & velut tuis humeris atq; manibus incumbentem ac in te rejectum (vide qvædam in Psal. 2, 3.) gestasti, *ex utero* dilectæ matris מֵרֶחֶם vide Amos 1, 11. Psal. 58, v. 4. ubi מ notat tempus, & significat ferè idem qvod post, sicut etiam Hos. 6, 2. q. d. ex eo tempore usq; qvando ex alvo materna eductus sum suprà v. 10. tibi innixus omnia mala superavi, qvia *tu inde ab utero matris meæ DEus fortis meus*, ego in te credidi, tibiq; me concredidi.

מ post.

Usus.

I. Docentur hîc Anabaptistæ, Pontificii, Calviniani & alii, qvod infantes possint πιστεύειν seu credere, qva de re dictum est pluribus Comm. in Jonam, cap. 4. vers. ult.

Infantium fides.

II. Monentur matres, qvod debeant ipsæ, si ullo modo qveant, τιθηνεῖν seu infantes suos alere, exemplo Evæ, Gen. 4. Saræ Gen. 21. matris Mosis Exod. 2. Hannæ 1. Sam 1. Mariæ, qvod h. l. Salvator laudat. Si qvæ verò ex superbia, socordia, aliisq; malis causis malunt imitari corvos, qvi dicuntur suos pullos implumes derelinqvere, qvàm hasce matres pias & φιλοτέκνους, suo fatuo fruantur judicio, & sæpè effectum vident in funesto à scortis educatorum liberorum exitio. Vide Wolf. Musculum Dusanum Comm. in h. l. p. 233. 234. Si qvibus id donum lactandi à Deo negatum est, satis excusatæ sunt, aliæ non item.

Matres debent, τιθηνεῖν.

Vers. 12.) Ex his autem omnibus hactenus adductis con-

conficitur jam hæc conclusio, Ergò Deus à Christo procul abesse non debet, sed eidem succurrere, & illa præcedentia rationibus duabus jam includuntur, qvarum una est desumpta à periculi propinqvitate, altera à Dei promtitudine & proprietate, qvod possit solus juvare. Ne itaqve deinceps, ut jam ad tempus feciſti pater, dum me dereliqviſti & longinqvus à salute mea fuiſti v. 2. *procul abesis à me* propter peccata, per qvæ homines abs te abierunt Jer. 2. & 3. Luc. 15, 13. ne absis præsentia liberationis, qvi præsentia conservationis semper ades, *dum angustia propinqva est*, צָרָה angustia, qvalis est, qvando urbs vel alius locus munitus undiq; obsessus tenetur ab hostibus, vide in Psal. 3, 2. Indignum autem est te, qvi salus ipsa es, abesse à me misero, & calamitatem adesse ei, qvi vult alios salvare. Et meritò ad te me recipio, *qvia* præter te *non* est ullus *adjutor*, ubi notanda est illa Grammaticorum observatio dextrè intellecta, qvod אֵין participio junctum notet certam & totam speciem, & h. l. facilè potest concludi, qvod ex tam præsenti malo nullus alius, nisi verus Deus possit eripere. Vide Buxt. thes. l. 2. c. 19. p. 499. & 502. Græci emphaticè, οὐκ ἔστιν ὁ βοηθῶν μοι, non est qvi ad vocem meam inclamatus accurrat, qvasi dicas οὐκ ἔστι βοὴν θέων.

אֵין

Βοηθέω.

Usus.

I. Proponitur hîc considerandâ fidei natura, qvæ est in piis etiam qvandoq; infirma, & cum pavore filiali benè consistit Phil. 2, 12. Prov. 28, 14. & Deus infirmum in fide assumit Rom. 14, 1. linumq; fumigans non exstinguit Esa. 42, 2. confidat igitur, qvi in se cum multis aliis de-

Fides infirma.

deprehendit ὀλιγοπιστίαν, siqvidem cum non sit ἀπιστία, salvat, qvùm magis & minus speciem non variet.

II. Dei de piis cura, qvibus ipse est adjutor in oportunitate Psal. 9, 10 & 10, 14. & qvod verum sit illud Philonis, ubi desinit auxilium humanum, ibi incipit divinum. Postqvam enim desiit venti horror, concussionis tremor, & ignis ardor terrere, incipit Deus apparere, 1. Reg. 19, 11. 12. Hic enim habitat cum eo, qvi attritus est, & demissus spiritu Esa. 57, 15. DEI cura. 1. Reg. 19, 11. 12.

Vers. 13.) Angustiam esse propinqvam conqvestus est salvator, nunc qvæ, qvalis & qvanta illa sit, explicat, dum hostium suorum numerum, ferociam & potentiam similitudine â tauris indomitis desumptâ declarat, & non deesse suis hostibus nocendi facultatem v. 12. neqve voluntatem v. 13. probat, qvia sunt tauri & leones. Dixi, inqvit, esse me velut obsessum, & meritò dixi, qvia *circumdederunt me*, qvasi circulo & ab omni parte (qvæ est verbi סָבַב ἔμφασις) confer vers. 17. & ea qvæ dicta sunt Psal. 3, 7. ut elabendi nulla sit potestas, græci benè, περιεκύλωσάν με, circumdederunt me *juvenci multi* פָּרִים רַבִּים inimici robusti ac ad instar juvencorum ferocientes, mei hostes, qvi mihi in horto comprehenso certant illudere capto,

& præcipuè illi, qvibus
melior vires sanguis dabat,
seu qvi sunt in junioribus.

Lutherus considerans, qvod sæpè vox רַבִּים notet validos, vertit, große Farren / atqve ita simul alterum vocabulum hebræum exprimit. Qvin & senes potentes, velut pontifices & similes, etiam qvod suum est, faciunt, & robu-

robusti tauri *Baschanis cinxerunt me* instar coronæ כִּתְּרוּנִי præpingues & valdè obesi, ut juvenci in Baschane monte fertilissimo pasti, qva de re actum est Amos 4,1. Lutherus sensum respiciens reddit, fette Ochsen haben mich umbringet/qvomodo etiam LXX. habent ταῦροι πίονες.

Usus.

Piorum fortuna.

I. Discimus, qvæ sit piorum in hoc mundo fortuna, nempè qvod habeant ubiq; θλῖψιν Matth.7,14. Joh.16,33. Act.14, v.22.

dum, qvicum certet, mens pia semper habet

Job.7,1. contra diabolum Ephes.6,12. mundum 1. Joh.2,15. carnem 1. Cor.9,27. confer 2. Cor.6,4.5.6. Sunt tibi multæ velut bestiæ, cum qvibus jugiter depugnandum, crudelis leo 2. Tim.4,17. immundus sus vel impudens canis 2. Pet.2,22. Vide in Psal.10. & Hab.1,8.

Concionatorum παῤῥησία.

II. Qvæ debeat esse ministrorum verbi, ubi incidunt in auditores corrigi nescios, παῤῥησία, nempè ut malos cum malis comparent, & non-bonos non-bonis seu odiosis ornent titulis, ut h. l. Salvator Judæos vocat juvencos, Paulus pseudoapostolos canes, Phil.3,2. Johannes Baptista Pharisæos progeniem viperarum Matth.3,7. Christus eosdem hypocritas appellat Matth.23. Videndum tamen, ne illa in arguendo libertas degeneret in calumniam. Vide D. Gesnerum in h.l. Com.p.228.

Hominum πονηρία.

III. Qvæ sit hominum multorum κακία καὶ πονηρία, dum divinitus sibi concessa bona ac dona ad Christum ejusq; membra opprimenda convertunt, philosophi suam sapientiam Act.6 & 7.1. Cor.1. Col.2. tyranni suam potentiam, Pharao, Saul, Sennacherib, Herodes &c.

con-

centra qvos vide qvædam in libro sapientiæ, præcipuè c. 6. perpende ea, qvæ sunt Deut. 32, 25. & confer Hos. 2, 8. Psal. 2, 10. 11. 12. Joh. 19, 11. Rom. 13, 1. cogitent autem tales, qvod sint robusti tauri Baschan, qvi sicut, ubi Domino visum est, mactantur, ita & ipsi ab omnipotente delentur, qvando illi placet.

Vers. 14.) Eandem autem suorum hostium crudelitatem ac nocendi ardorem Salvator aliâ similitudine à leone desumptâ explanat, ut ita ex omni parte appareat, qvàm insigniter improbi illi fuerint. *Dilatant* פצה pandunt ut beluæ diducunt rictum, vel aves pandunt rostrum Esa. 10, 14. vel potiùs, qvia hoc nondum satis est ad indicandum ingens Christi perdendi desiderium, ut terra, qvando magno hiatu dehiscit & absorbet, qvemadmodum usurpatur hoc verbum Gen. 4, 11. Num. 16, 30. Deut. 11, 6. confer autem cum h. l. Thren. 2, 16. & 3, 46. dilatant illi juvenci multi ac robusti *contra me os suum*, Lutherus juxta subjectam materiam egregie, ihren Rachen sperren sie auff wider mich / qvando ut canes venatici prædæ avidi contra me cervam matutinam clamabant, imò vociferabantur, crucifige, crucifige. Vide miram concertationem, ego, ut agnus Dei, non aperui os meum, Esa. 53, 10. 1 Pet. 2, 23. Act. 8, 32. illi autem aperto gutture me adoriuntur *tanqvam leo* (ubi particulam similitudinis rectè interpretes inserunt) *rapiens & rugiens*, qvem omnes timent Amos 3, 4. & 8.

Usus.

I. Observetur hîc hostium Christi malignitas, qvi ut innocenti nocerent Act. 10, 38. imò benefactori malam repo- *Hostium Christi malignitas.*

reponerent gratiam, maluerunt brutis ac feris beluis, qvàm hominibus ad Dei imaginem conditis esse similes, & ut antea pedes veloces ad effundendum sanguinem, contritionem ac miseriam in omnibus viis eorum declarabat taurorum naturâ illis attributâ, vide Rom. 3, 15. 16. ita nunc leonis imago guttur eorum esse sepulchrum apertum, ibidem v. 13. Ps. 5, 10. ostendit. Dilataverat olim suum os non admodum prudenter Jephta, qvando insciius filiam devovebat Jud. 11, 34. 35. (ubi eadem omninò phrasis hebræa) sed longè truculentiùs ac crudeliùs pandunt hi suum rictum, qvando non ignorantes omninò Christum ad mortem insanis clamoribus deposcunt.

Christi benignitas.

II Christi ipsius benignitas, qvi ut nos ex ore leonis infernalis rapientis ac rugientis 1. Pet. 5, v. 8. eriperet, hanc leoninam oris dilatationem patienter sustinuit, atq; ut ipse esset verus noster מפיע eripiens nos ex præsenti mortis periculo ac faucibus orci, qvemadmodum David gloriatur ac precatur Psal. 144, v. 7. 10. 11. hanc dilatationem oris, inferni, diaboli, & hominum malorum pro nobis toleravit, atq; ita per mortem suam abolevit eum, penes qvem erat mortis robur, hoc est, diabolum, Hebr. 2, 14.

Rei indignitas.

III. Rei ipsius, de qva agitur, indignitas. Christus os suum aperuerat Matth. 5, v. 2. & verba vitæ protulerat Joh. 6, v. 68. & hi pandunt labia, ut sententia mortis contra eum decernatur! Ipse erat agnus Dei Joh. 1, 29. & contra eum insurgunt hi leones! Ipse consilii Dei arcani interpres Joh. 1, 18. cogitur tacere Esa. 53, v. 10. & hi improbi permittuntur vociferari! Ipse nihil rapuerat, & solvere cogitur Psal. 69, 5. ipse, qvi, ut verus David, nos

miseras oves errantes eripit ex ore leonis ac ursi, confer 1. Sam. 17, v. 34. 35. Luc. 15, v. 4. Johan. 10, v. 11. ex terrâ viventium abripitur Esa. 53, v. 10. 11. Actor. 8, 32. 33. sed ne fleamus. Ecce ita mirabiliter vicit leo ille de tribu Juda Apoc. 5, 5. & ut nos possimus os nostrum cum fiducia coram Deo aperire, ac gratâ mente ac lætâ voce cantare θριαμβον 1. Cor. 15, 54. 55, 56. 57. hæc pro nobis Salvator perpessus est. A Jehova est hoc, estq; mirabile in oculis nostris Ps. 118. 23.

Christi patientis miseria.

Vers. 15.) Hactenus hostium depinxit malitiam & potentiam, nunc suam ipsius porrò exaggerat miseriam, & afflictiones describit, qvas experitur in omnibus ferè membris, ut ita seqvatur nunc cruciatuum immanitas, postqvam est explicata hostium inhumanitas. Magnus erat Israelitarum dolor, qvando ob cladem in bello acceptam propter scelus & furtum Hachanis adeò consternabantur ac lachrymabant, ut liqvefactum sit cor populi, adeò ut in aqvam abiret Jos. 7, 5. & qvando iidem ad veram resipiscentiam à Samuele adducti haurientes aqvam effuderunt coram Jehova 1 Sam. 7, 6. longè major tamen est Christi dolor, qvo factum, ut ipse verè dicat, *sicut aqva effusus sum*. Notatur hâc phrasi simul (1) à Judæis Christo illata injuria, dum velut aqvam ejus sanguinem profuderunt. Vinum & oleum, aliiq; liqvores solent studiosè servari, & Christus illorum creator, ut vilis aqva effunditur (2) Dei mira providentia: qvemadmodum enim aqva effusa purgat sordida, & irrigat arida; ita Christi sanguis mundat ab omni peccato, & arefacta æstu iræ divinæ corda reficit (3) notatur sanguinis effusi copia, qva de re fuit dictum copiosiùs in Comm. Joel. 2, v. 28, p. 117. ed. 2. & *dissipantur se omnia*

Ut aqva effusus Christus.

ossa mea, *quomodo etiam Lutherus noster*, alle meine Gebeine haben sich zertrennet / Passivè autem Græci & Latinus interpretes. Qvod ad phrasin confer Psal. 141, v. 7. *est & cor meum simile ceræ, ac liqvefit in visceribus meis*, qvod maximè impletum, qvando cor cum latere lanceâ fuit perfossum.

Usus.

Sanguis Christi.

I. Sanguinis Christi profusio est nostra salutaris perfusio, & hostium nostrorum confusio. Qvando enim in circumcisione, Sacramento initiationis, sanguinem profundit, vim abluendi ab omni peccato originis & actuali, nostro qvoq; baptismo, qvi illi succesit, tribuit. Confer Tit. 3.5. Eph. 5,27. Colos. 2, 11. 12. Qvando deinceps in horto sanguinis grumi in terram decidunt, Luc. 22,44. peccatum Adam in horto admissum expiatur. In flagellatione totum corpus sanguine dum madet, omnia nostra membra peccato languida sanantur Ezech. 16. Qvando manus & pedes in cruce perfodiuntur, etiam illa peccata, qvę magno numero illis perpetrantur, expiantur, & qvando deniq; latus apertum effundit sanguinem, alterum N. T. Sacramentum inde profluit 1. Joh. 5,6. Olim verò, qvando exterminator videbat postibus ædium sanguinem agni paschalis illitum, nocere non poterat Exod. 12. multò magis diabolus ac infernus hoc sanguine cordi fide aspersо ita repelluntur, ut nullum damnum aut malum dare possint Heb. 9, 12. 14.

Christus defecit.

II. Christi defectio est nostra refectio. Cum n. propter peccatum non erat pax in ossibus nostris Ps. 38, v. 4. ne Deus, tanqvam leo, frangeret omnia ossa nostra Es. 38, 13.

Chri-

Christi ossa disparare se debuerunt. Ossa Elisæi mortua, qvando contingebat alius jam vitâ functus, reviviscebat, 2. Reg. 13, 21. qvantò magis igitur omnia nostra ossa hinc inde post mortem dispersa meritô hujus Salvatoris colligentur, ut ad vitam æternam cum corpore & anima resurgant. Vide qvendam restitutionis typum Ezech. 37. & confer inter se Joh. 19, 26. 1. Cor. 15, 53. 54. Propter hanc disparationem ossium Christi Deus pater hominis pii omnia ossa conservat, ne ullum sine ejus voluntate frangatur Psal. 34, 21.

III. Cordis Christi apertio & mortifera liqvefactio, est nostri cordis salubris & vivifica immutatio. Nam qvum cor nostrum erat peccato, securitate & callo qvodam labis originalis ob ductum ac in spiritualib9 cœcum Esa. 6, 9 Matth. 13, v. 15. merito ac vi hujus transfossionis est illa suffusio sublata, ac pro saxeo datum cor cereum & carneum Ezech. 11, 19. & 36, 26. pro stulto intelligens Luc. 24, 25. 38. 45 Deut. 29, 4. 1. Reg. 8, 59. Nunc enim, dum in ipsum cor Christi apertum intuemur, amorem DEI erga nos immensum contemplamur Rom. 5. dum vita moritur, mors destruitur Hos. 13, 1. Cor. 15. Heb. 2. Etiam hoc notari potest, ceræ facilè aliqvid imprimitur ac inscribitur, ideoq; ut nos possemus facilè verbi divini sensum percipere ac credere, Christus suum cor ceræ instar liqvefieri voluit, & in illo esse legem Dei perfectè pro nobis observatam Psal. 40, v. 9. Heb. 10, v. 5. Cera facilè liqvefit, & Christi cor ardore fidei & precum ad omnia salutaria nobis concedenda facilè flecti potest Hos. 11. v. 8. *Christi liqvefactio.*

Vers. 16.) Ubi cor ipsum tanqvam vitæ sedes languet,

guet, reliqvæ vires non possunt supereſſe in corpore: id tamen ut tantò magis ſit conſpicuum, per qvandam ἀναμονὴν & enarrationem ſigillatim deinceps exponit ſalvator. Qvondam David ſentiens ſuorum peccatorum onus ita ingemiſcebat Pſal. 38, 11. Cor meum palpitat, derelinqvit me virtus mea: ſed ego (inqvit Salvator) totius mundi peccata ſufferens rectiùs exclamo, meine Kräffte ſind vertrocknet / Luth. ſatis benè, qvando eſt in textu, *Vis* & potentia *mea*, atq; adeò ipſe humor radicalis, unde vita ſuſtentatur, *areſcit*, & ita qvidem, ut igneiræ divinæ penitus omnis ſuccus extrahatur, ſicut ex luto omnis humor per ignem magnum in fornace expellitur, areſcit *ut teſta*, & qvemadmodum fieri amat in magno æſtu, ut ſeqvatur ſitis vehemens, ita etiam ego ſitio Joh. 19, 28. & qvidem ſiti magna Pſal. 69, 22. (ut Lutherus ratione ſubjectæ materiæ rectè vertit) *& lingua mea adhæret firmiſſimè faucibus meis*. Luth. klebet an meinem Gaumen / ubi in textu hebræo eſt verbum emphaticum דָּבַק & apud Græcos interpretes, κεκόλληται, de qvibus vide plura in Exerc. bibl. 3. ed. p. 40. qvandoqvidem notatur maximè firma connexio aut adhæſio, qvæ fit glutine. Et qvid moror? aut plura profari molior? ad ſummam. Tantus eſt hìc meus cruciatus, ut inde mors ipſa ſtatim ſit ſubſecutura, qvia *in pulvere lethali*, לַעֲפַר־מָוֶת *collocas me*, תִּשְׁפְּתֵנִי à Rad. שָׁפַת, qvæ notat diſpoſuit, ordinavit, ut indicet, peculiari DEI conſilio factum, ut jam his doloribꝰ ſuccumbere ac mori cogeretur Chriſtus, qvomodo hujus vocis egregium commentarium invenies Actor. 2, 23, & 4, 20. qvibuscum confer, qvæ extant Luc. 22, 53.

Uſus.

Usus.

I. Notetur Christi interna & externa afflictio. Ecce enim virtus altissimi Luc. 1,35. & brachium Domini Esa. 53,v.4. adeò infirmatur propter nos, ut in cruce deficiat, vel certè ad tempus conqvieſcat, dum opus redemptionis perficiat. Ille fons vitæ hîc aqvâ ſolatii deſtituitur: fluvius qvi paradiſum Dei irrigat, exareſcit, ille qvi in deſerto ex petra produxit potum, imò potavit Iſraelitas, hîc ſiti torqvetur. Adamus & multi ejus poſteri viribus ſuis abuntur turpiter; alterius igitur hujus Adami vires oportuit ad tempus infirmari, ut tanta ſcelera expiarentur. Multi lingua ſua Deum blaſphemant, aut turpia aut vana proloqvuntur: Ecce Chriſtus, in cujus ore non eſt inventus dolus, pro iis delictis ſatisfacit. Multi cum divite epulone linguam & guttur nimis irrigant: Chriſtus ſiti enectus culpam luit, & vocat, ut reſipiſcant. *Christi afflictio.*

II. Dei patris æterna ordinatio & paterna directio. Dictum erat verbum ſeverum, qvâ die comederis, morte morieris, Gen. 2. & in comminatione Gen. 3, v. 17. 18. 19. כִּי־עָפָר אַתָּה וְאֶל־עָפָר תָּשׁוּב, ideoq; hîc fit mentio עפר מות. mortis reus erat homo primus, & jam mira qvadam diſpenſatione pro eo occiditur ſecundus, pro peccatore innocens, pro ſervo filius, pro rebelli obediens, ut ille cum ſuis vitam & omnium rerum copiam habeat Joh. 10, 10. Sunt autem hîc ſimul illa qvatuor obſervanda (1) mortis Chriſti veritas. Qvi enim in pulverem ſeu terram reconditur, verè exſpiravit, animamqve exhalavit. (2) Dei providentia, qvi qvod omnia gu- *Dei directio.*

ber-

bernet vel κατ' οἰκονομίαν, vel κατ' εὐδοκίαν, vel κ' συγχώρησιν, omnes calamitates qvoqve immittit, & nihil nocent alii mali, nisi qvando & qvantum ille permittit (3) inter actionem DEI, diaboli & malorum differentia, de qva pluribus in tractatu de fœderibus. Videatur etiam Gesn. com. in h.l. p. 230, 231. & sic pro diversitate principii, objecti, finis, circumstantiarum Deus & probat & non probat crucifixionem filii, ut exponit etiam D. Hunnius L. de providentia. (4) & præcipuum, Dei Patris de filio etiam mortuo cura, & in eum ineffabilis benevolentia. Ille enim volebat eum pro alienis peccatis conterere & affligere ex justitia: sed etiam simul decreverat eum honore & gloria ornare Heb. 2. Phil. 2. Propterea tam sollicitè omnes sanguinis guttas conservavit, carnemqve à corruptione immunem præstitit, ut tertia die gloriosè eundem occisum filium resuscitaret Psal. 16, 9. 10. 11. Act. 2, 24. 25. Qvod si ita est & si tanta cura Deus posuit suum filium in pulvere mortis, graviter errant Calviniani, qvi putant, Christi sanguinem, qvi est pars assumtæ naturæ humanæ, qvam Christus nunqvam deponit, qviq; non corruptibilis 1. Pet. 1, v. 18. 19. in terra computruisse. Qvid verò sibi ipsis dicent, qvando ajunt, sanguinem Christi fide in cœlo apprehendi? Vide Dn. Hunnium in L. de Cœna. obj. 7. Hinc adeò fit, ut etiam Deus nostri curam gerat post mortem, qvum non sit Deus mortuorum Matth. 22, 32. nostrumq; corpus sibi olim in templum dicaverit 1. Cor. 3, 16. 17. & 6, 15. 19. Proinde etiamsi jacuerimus in hac vita inter duas strues lapideas בין שפתים in summis angustiis, sordibus & sqvalore, ut calones & lixæ castrenses, qvi ntcumqve se de-

Sanguis Christi non computruit.

Psal. 68, 14.

defendunt à cœli injuria inter lapides focarios delitescendo, tamen olim erimus similes alis columbæ, tectæ argento Psal. 68, 24. confer porrò, si libet, Gen. 49, 14. Jud. 5, 16. qvia Jehova disponit, שָׁפַם, pacem nobis Esa. 26, v. 12.

Vers. 17.) Dixerat Christus, nihil aliud se expectare qvàm mortem: id ne frustrà seu temerè asseruisse videatur, rationes adducit, ex qvibus de veritate illius effati satis constare qveat. Nam circumdederunt me, confer v. 13. *canes* כְּלָבִים, vulgatus ex græca versione addit ad emphasin, multi. Aqvila autem & Theodotio olim verterunt κυνηγέται seu venatores, qvod ut rectè intelligatur, conferantur ea, qvæ suprà habuimus in Psalmi hujus titulo, & eventus ipse, siqvidem, ut canes, turba militum advolavit, incitata & ducta à Juda & aliis primariis præfectis, tanqvan venatoribus. Unde ille dicitur fuisse ὁδηγὸς τοῖς συλλαβοῦσι τὸν Ἰησοῦν Actor. 1, v. 16. hi in horto undiq; Christum circumsidebant, ut canes lingua mordebant impura, calumniisq; porrò falsi testes detrahebant coram Pontificum conciliabulo & Pilato, jam blasphemum, modò seditiosum eum appellantes, & sanctum Domini homines nihili in juriis lædebant atrocissimis, qvemadmodum aliàs homines viles, abjecti & impuri canis nomine veniunt Deut. 23, v. 18. 1. Sam. 17, v. 43. & 24, 15. 2. Sam. 3, 8. & 9, 8. & 16, 9. Matth. 15, 26. Philip. 3, v. 2. infrà v. 21. Matth. 7, v. 6. Apoc. 22, v. 15. 2. Reg. 8, 13. vide Drus. lib. 5. obser. c. 22. D. Chemnitium Harm. Evangel. cap. 80. p. 272. præcipuè autem in urbe ipsa *cœtus* seu congregatio (עֲדַת enim, ut & vocabulum קָהָל qvamcunq; collectionem hominum denotat, etiam

Canes.

עֵדָה

iam malorum Psal. 26,5. & 86,14. & 106,17. confer Actor. 19,32. 39. 40.) *maleficorum*, LXX. συναγωγὴ πονηρευομένων *circumvenerunt me & circumegerunt me*, ab uno judicio ad aliud protrahentes, (utrumq; enim denotat verbum

הִקִּיף hebræum הִקִּיף) sacerdotes omnes ac scribæ convenerunt, & plebs undiq; concurrit; & postqvam tandem, qvo jure, qvaq; injuria, sententiam mortis à præside extorserunt, cruci me affigentes *ut leo* (confer v. 17.) *foderunt*, gręci ὤρυξαν, Chaldæus נָכְתִּין (qvasi esset כָּאֲרוּ כָּאֲרִי qvorum unum puncta, alterum literæ præ se ferunt) *manus meas & pedes meos*, dum clavis extensi perterebrarunt membra illa exteriora, qva de re videndus Lipsius in lib. de cruce. Meas autem & meos dum dicit, singulari emphasi affixa illa non carent, siqvidem non sunt manus & pedes hominis nudi, sed ipsius Filii Dei, unde Deus suo sanguine dicitur redemisse Ecclesiam Actor. 20, v. 28. Qvod si ita est, Calviniani valdè errant, qvi putant, tantùm humanam naturam pro nobis esse passam.

Probatur illa expositio. Sed ad veritatem hujus lectionis atq; expositionis breviter confirmandam nos accingamus. Eam enim non

1. tantùm (1) probat argumentationis ordo & simplicitas constructionis, qvorum ille reqvirit, ut cum de consiliis actum fuerit, etiam de effectu subjiciatur, & cum de antecedentibus, ac seqventibus crucifixionem agatur, hic ipsa crucifixio prædicatur, qvæ optimè perfossione ac perterebratione manuum ac pedum (qvippe qvæ in nullo alio supplicio contingebat) designatur. Hæc autem id vult, qvemadmodum in præcedentibus est & subjectum & prædicatum, hic qvoq; idipsum, saltem in mysterio & sapienti lectori indigitetur: sed etiam

(2) au-

(2) autoritas veterum interpretum approbat, ut de 2.
Chaldæo, græcis, latino probatum confidimus (3) pa- 3.
trum magno numero in ea conspirantium consensus
confirmat (4) qvod contra id, ubi multi putant & inter 4.
eos Bellarminus l. 2. de verbo Dei c. 2. biblia hebræa esse
corrupta, vel maximè posset obduci, eam lectionem tue-
tur Masoretharum testimonium, ad qvod duo Judæi
conversi, baptizati & hebræas literas ac Rabbinismum
egregiè docti Immanuel Tremellius in notis in h. l. & Jo-
hannes Isaac in responsione ad libros Lindani de optimo
genere interpretandi scripturas provocant, qvibus ad-
jungendus est Galatinus ab aliis jampridem citatus Dn.
Hunn. Gesnero &c. (5) accentuum ratio & numeri 5.
diversitas efflagitant, ut aliud qvid præter בְּאֵרִי lega-
tur, prout exponit lib. 2. Joh. Isaac p. 112. & in correc-
tissimis nonnullis codicibus & alios & se in textu vi-
disse בְּאֵרוֹ, in margine autem בְּאֵרִי testatur, qvod indi-
cat, Judæos qvosdam ita hunc locum olim legisse & in-
tellexisse, (6) sub כ id innuit, qvùm posset aliàs suf- 6.
ficere - ex regula generali, gutturalis punctuat se & præ-
cedentem, ut idem ostendit, & cum eo Schindlerus in
Lexico pentaglotto. Qvæ ratio est probabilis ob lo-
cum Esa. 38, 13. licet non sit sola apodictica. De קְרִי autem
& כְּתִיב vide præter Eliam Levitam, aliosq;, Buxtor-
fium in Tiberiade, & invenies, qvod non, ut vulgus exi-
stimat, propter errores in omnibus libris repertos, sed in
multis libris, præsertim privatis, occurrentes ademen-
datiores codices correctio illa sit adjecta, & potius osci-
tanti aut nimis curioso Grammatico nota posita, esse ali-
qvid præter vulgatum verbi sensum, ac usitatam flectendi

di rationem hìc reconditum & diligenter inveſtigandum. Ad ſummam. Rabbini ſeu Maſoretæ ſuum judicium circulo ſuſpenderunt, non verò eſſe mendum indicarunt. Vide de his Junii animadverſiones in locum Bell, paulò ante citatum, ubi qvoddam egregium eorum, qvæ prolixè tractat Iſaacus, habet compendium. His porrò addimus haſce veriſimas hypotheſes. (1) Biblia hebræa non eſſe corrupta in omnibus exemplaribus, & plerumq;, ubi hoc factum eſſe creditur, vel latere aliqvod myſterium, vel ſaltem id qvorundam librariorum incuria, non autem Judæorum deſtinata malitia eſſe factum, qvùm illi potius vitam ſibi eripi paterentur, qvàm punctum aliqvod corrumpi, imò ne hoc ullo modo fieret ante multa ſecula non tantùm dictiones, qvoties cum hoc vel illo accentu, cum hoc vel illo puncto, hac aut illa ratione, &c. occurrerent, diligenter in Maſora, qvæ propterea ſepes legis appellatur, annotarunt: ſed etiam, qvot verſus uniuscujusq; libri eſſent, ſub finem adjecerunt, imò qvoties unaqvæq; litera in totis bibliis occurreret, numerarunt, ut ℵ reperitur 42377. ב 38218. &c. Vide Arcam fractarum tabularum, & carmen, cujus autor eſſe creditur R. Saadja Gahon, reperitur in Buxtorfii Tiberiade. Elias Levita in præfatione tertia libri Maſoreth Hammaſoreth, ſicut & hinc inde in toto hoc libro. Falſus igitur eſt Calvinus, Bellarminus & multi alii, qvando exiſtimant & hic & alibi hebræa biblia in odium Chriſti ac Chriſtianorum eſſe corrupta, qva de re aliàs cum Deo pluribus.

Hypotheſes.
I.
Biblia hebræa non ſunt corrupta.

2. (2) Qvemadmodum imperiti Critici in profanis autoribus putant ſtatim eſſe mendum & temere pro

ſua

sua inscitia, qvam plerumq; comitatur audacia, corrigunt, ubi aliqvid à constructione vel flexione vulgari deviat, ut doctiores hinc inde demonstrant, nec meæ professionis est illa persequi pluribus, ubi tamen sæpè magna subest causa, eaq; soli industrio ac perito lectori nota, videlicet qvando poetarum princeps ad gravitatem senis indicandam ponit olli pro illi, 1. Georg. v. 295. decoqvit humorem, versum hypermetrum, & 3 Georg. v. 377. robora totasq;, ad plenitudinem denotandam, sicut 1. Georg. ad rapiditatem declarandam v. 482. in prima regione proceleusmaticum adhibet & alibi, genua labant,

tenuia nec lanæ per cœlum vellera ferri,

ibi ad timiditatem & tremorem, hîc levitatem & celeritatem indicandam. Horatius, Lucretius, & alii, qvomodo sint ab imperitis harum rerum corrupti in suo indice Lucretiano, seu potius collectaneis, docet Obertus Gifanius, qvem adisis, & rectiùs de his ac similibus, qvàm vulgus, judicabis. Sic scitè in persona Gnathonis jactabundi ac vani comicus, videt me in tantum honorem, non tantùm jam in eo esse, sed etiam ad majorem posse deinceps evehi, & hoc magis aures verberat seu implet, qvàm illud in tanto honore. Sexcenta alia hujusmodi apud Plautum, Terentium, Ciceronem, Virgilium licet observare. Ita etiam qvidam, qvi vel non possunt, vel nolunt diligentiùs inqvirere ac scrutari sacra biblia, & omnes eorum literas ac apices (qvod esse οὐκ ἀργῶν εἰς εὐσέβειαν Basilius, jure magnus, in proœmio de Spiritu S. qvondam asserebat) malunt accusare Judæorum malitiam, qvàm suam emendare negligentiam, malunt de-

pravationem codicum prætendere, qvàm ſuorum cordium pravitatem & ſocordiam emendare, qvibus jam porrò de cruce Chriſti agentes hanc crucem ponimus:

Anomala in bibliis hebraïs.

In bibliis hebræis etiam vel propter myſterium (ſæpè adhuc nondum cognitum, ſed à poſteris qvoq; inveſtigandum) in N.T. dilucidius propoſitum, vel euphoniæ, vel dialecti gratia à vulgata ſcribendi, loqvendi, formandi, flectendi, conſtruendiq; vocabula ratione receditur, ubi propterea non ſtatim error admittitur, qvum hic ſit præter rationem, illa autem gravi de cauſa & juſta. Nota ſunt illa de ב clauſo Eſa. 9, 7. & alia qvàm plurima videantur atq; expendantur in tertia Gram. hebrææ Avenarii. Syra, Chaldæa &c. cur textui purè hebræo qvandoq; inſerantur in Pſal. 2, 12. & 74, 6. Jerem. 10, 10. 11. & alibi, partim explicuerunt ſeduli interpretes, partim alii deinceps, volente Deo, exponent.

Verùm hæc ipſe eqvidem ſpatiis excluſus iniqvis,
Prætereo, atq; aliis poſt me memoranda relinqvo.

Irregulares conſtructiones, ſanum qvibus eſt ſinciput, potius indagant & evolvunt, qvàm corruptum eſſe textum clamitant. Vide præter alios Buxtorfium lib. 2. theſ. Gramm.

De verbis compoſitis ex diverſis conjugationibus, temporibus, perſonis &c. neq; ſanè ſine ſua emphaſi qvędam egregia habet Cevallerius tractat. 2. cap. 6. pag. 72. & 73. Junius lib. 2. Gram. heb. c. 19. pag. 166. forte non ita in vulgus nota, aut certe à nonnullis interpretibus nunqvam animadverſa, aut rarò uſurpata. Vide etiam Schindlerum lib. 6. Gram. qvi mihi poſſunt eſſe ſuccenturiati hoc tempore, ſi qvid deficio, qvò etiam trahoFor-

ſte-

sterum in Lexico sæpè, & unum alterumvè exemplum adduco, ubi dum puncta & literæ non satis congruunt juxta Gram. mysterium subesse piè credimus. Cur Gen. 49,10. שִׁילֹה ex Lutheri sententia in Exercit. bibl. p. 547. edit. 3. יְחוּרֵם ibid. pag 369. edit. 3. עֲנִיֵּים Psal 9, 13 positum esse putem, modestè olim ad illum locum & alibi indicavi, videri esse hanc rationem, qvod Deus non obliviscatur clamoris עֲנִיִּים afflictorum (qvod literæ innuunt) nempe qvi ipsi sunt עֲנָוִים (qvod puncta significant legendum esse) mansueti, ipsi aliorum miserentur, atq; ita suam fidem operibus probant, non verbis jactant. Confer Judic. 9,7. Joh. 9,31. Zach. 7,13. Psal. 41,2. Esa. 1,15. 16. 17. Hæc itaq; & similia plus habent in recessu, qvàm primâ fronte promittunt, nec sunt tam levi, ut sæpè fit, tractanda brachio.

(3) Ut accedamus propius ad hanc vocem, & ו 3.
sæpe ἐυφάσεως causa inseri verbis, Avenarius exemplis docet, part. 3. Gram. pag. 523. vide Hos. 10,14. Zach. 14. 10. & ו in fine scribi ac legi ibidem ו Vau declarat pag. 585. ut non adeo hoc sit in sacris literis insolens, ac multi existimant, ut ita facilè hoc loco verbo בָּרוּ ו ad magnitudinem fossionis indicandam inseri, & ad truculentiam, crudelitatem, atq; violentiam leoninam simul intelligendam ob commutabilitatem literarum אהוי frequentem, ו pro ו à Spiritu S. in tam notabili mysterio poni potuerit, imò debuerit, præcipuè nobis in N. T. qvi ex eventu veterem scripturam Evangelii luce ac face collustramus, diligenter observandum, &, ut habet Lutherus nobis, qvi in Christum credimus, & hunc Psalmum totum de Christo duntaxat Evangelicâ autoritate tene-

tenemus, facile esse probare, legendum foderunt. Nos enim non rem gestam è scripturarum mysteriis sed scripturarum mysteria è re gesta, hoc est, veterem scripturam Evangelio illustramus & non contrà: & in Christum ceu duos Cherubin in propitiatorium spectare facimus, sicut dicit Jer. 23. in novissimis intelligetis consilium ejus, & ad Mosen Ex. 33. posteriora mea videbis. Confer itaq; Joh 20, 25. 27. Luc. 24, 39. 40.

Parum ab his abeunt D. Gesnerus Comm. in h. l. & cum eo D Gerhardus Harmon. passionis c. 13. p. 637. existimantes legendum esse כָּאֲרִי in regimine, ut sit Benoni irregulariter formatum, qvi punctulum unum in fine addunt, ֑ planè ociosum esse statuunt, q. d. perfossores manuum mearum & pedum meorum. Verùm hanc correctionem non admittunt D. Glassius in Philologia sacra pag. 111. sub finem, nec D. Waltherus in scripturæ harmonia p. 282. qvem utrumq;, illum à pagina 107. usq; ad 115. hunc à pagina 275. usq; ad 285. eruditè & prolixè de hoc loco differentem qvæso lector diligens probè evolvat, & cum hisce meis, qvæ ante eos anno 1623. mense Februario & Martio sunt publicè prælecta conferat. Mihi non placet eos suis defraudare laboribus; & pro meis venditare, qvę mea non sunt. Ut tamen aliqvid de hac D. Gesneri correctione dicam, aliqvantò altiùs est exordiendũ. Statuo igitur nostrum esse in textu hebræo posita anomala observare, non autem ullo modo ea fabricare. Jam constat verò כארי cum ֑ sub כ esse semper scriptum, ut testatur Masora, ergo cholem ibi non supponamus. Addo & hoc: Hebræa lingua imitatur naturam, qvia ipsa in natura integra fuit sola, & ex gratia tantùm debetur naturæ,

turæ. Hinc invenias ab נָשִׁים אֲנָשִׁים, יְרוּשָׁלַם ob mysterium, Psal. 139,6. פְּלִאיָה μετάθεσιν, qvia nos transponimus multa in illa scientia, non verbum aut fiduciam in Deum præponentes, sed experientiam. Sic in bibliis qvandoq; litera est major, aliqvando minor, aliqvando supra lineam suspensa, de qvibus Buxt. in Tiberiade & alii. Huc igitur eo, qvum in illo Benoni nil sit mysterii aut reconditi, cur non more aliorum simpliciter formaretur כּוֹרִים vel in regimine כּוֹרֵי, Radix enim est כָּרָה non כור, & si inde descenderet, esset כָּרֵי. Verùm כָּרוּ extat Psal. 57, v. 7. & 119, 85. Jerem. 18, 22. Benoni autem nuspiam invenio. Sed missis his redeo ad id, unde sum digressus. Hactenus, qvi כָּאֲרֵי legunt, & illi, sicut & Bellar. dum contendit, legendum esse tantùm כָּרוּ, versionem illam vulgatam nobiscum stabiliunt: hic verò malè inde cupit suam thesin διαφυλάττειν, qvasi fontes sint corrupti, & propterea traditionibus ac Ecclesiæ autoritate potius standum, qvàm ipsis sacris literis. Judæi autem qvando כָּאֲרֵי tantum esse in textu contendunt, mysterium, qvod hîc latere credimus, inscii approbant, cum putem utrumq; voluisse Spiritum S. innuere, uti dictum est, & jam olim conjunxit Chaldæus interpres. Qvod verò nonnulli idcirco hoc vel illo modo legi posse credunt, qvod puncta sint recens Judęorum inventum, falsa nituntur hypothesi, qvum rectius statuatur, ea cum lege à Mose esse tradita, & postea semper in Bibliis publicis (nam privata ob nimium laborem scribendi olim iis carebant plerumq;) adjecta fuisse, qva de re vide Buxt. Thes. l. 1. c. 5. Chevallerium in notis ad Cevallerium & alios. Illa omnia excutere est alterius loci & ocii.

Nos h.l. concludentes, liberum cuiq; permittimus judicium. Sive enim hanc sive illam lectionem qvis seqvatur, nobis non contradicit, qvi utramq; conjungimus. Id tamen qvod eo in genere ἀυθάδως Piscator habet, aliiqve non pauci credunt, falsum esse existimo, nec ullo modo acceptandum. Jod pro Vau surrepsit sive per errorem scribæ propter figuræ affinitatem, ut & alibi accidit (nempe uti incertus Piscator sentit, aliàs nunqvam hoc probavit, & qvomodo tam diversis in locis ac temporibus scribæ omnes in uno mendo consentirent ac in uno loco biblico conspirarent?) sive per corruptelam alicujus Judæi (neq; is omnia exemplaria habuit) ad negandum, Jesum crucifixum esse Christum, qvod etiam falsum esse, suprà vidimus; nunc porrò videbimus, qvis sit horum verborum

Piscator errat.

Usus.

I. Attendenda est Salvatoris in recensendis Judæorum conatibus severitas, dum eos vocat canes & maleficos: canes ob mordacitatem, maleficos ob iniqvitatem. Sicut enim canes sunt impudentes: ita hi omnem pudorem exuerunt, dum suum Messiam, qvem ex miraculis satis norant, & benefactorem capiunt, mendaciis & calumniis onerant, ac tandem crucifigunt Actor. 10, 38. 39. & cum in conscientia convicti nullam veram mortis causam invenirent, rogarunt Pilatum, ut eum tolleret è medio Actor. 13, v. 28. ita sui (vel potius sues) die Seinen/ ja die Säu und Schweine / ipsum in sua venientem non receperunt, Johan. 1, 11. Confer Luc. 19, 14. 27. Matth. 21, v. 37. 38. & porrò ut canes allatrant & invadunt ignotos, sic

Judæi canes

sic illi Christum, fide non agnitum 1. Cor. 2, 8. ejusq; verbum blasphemabant Joh. 8. malefici autem, qvod vox hebræa ex conjugatione Hiphil indicat, illi sunt, qvi cum ipsi mali sint, malo etiam alios afficiunt, & ut mare cœnum, sic illi omnis generis vitia eructant ac facere affectant Esa. 57, 24. 25. Licet itaq; ad exemplum Christi Joh. 10. Matth. 6, 2. & 23, 13. Prophetarum hinc inde, Johannis Baptistæ Matth. 3, 7. Pauli Actor. 23, 3. & 13, 10. superiores graviter reprehendere, etiam, si verbis lenioribus nolint corrigi, asperioribus titulis ornare, præcipuè si Dei gloria & hominum salus, qvi veri fines sunt & utiles illius increpationis, id postulat.

II. Malorum in malo damnata concordia & mutua caritas, qvando hic cœtus maleficorum fit mentio. Ita enim olim Sodomitæ contra Lothum, Ægyptii contra populum Israeliticum, Saulis aulici contra Davidem, mundus contra Christi ministros conspirat. Hinc Christus rogat, ut sui dilecti in se & patre sint unum Joh. 17, 21. Paulus vovet, ut Ephesii studeant servare unitatem spiritus, & qvidem illam, qvæ in uno corpore Christi mystico & uno Spiritu S. Eph. 4, 3. 4. 5. 6. *Malorum concordia.*

III. Prophetiarum divinarum veritas, qvum hæc omnia hactenus prædicta examussim ita sint impleta, sicut hic fuerant prædicta, ubi simul notanda Dei providentia & omniscientia, qvi tot seculis antè exactè novit suorum miserias & vulnera, qvod nos animabit, qvia sine illius voluntate ne qvidem capillus cadit de capite Matth. 10, 29. 30. Luc. 21, 18. *Prophetiarum veritas.*

IV. Cruciatuum, qvos Christus pro nobis sustinuit, immanitas & salubritas, qvarum illa Dei iram, *Cruciatus Christi.*

hæc ejusdem erga nos commendat infinitam misericordiam. Eva & Adam manus extenderant contra Dei præceptum Gen. 3. alter Adam hic manus transfoditur & ligno affigitur; pedes istorum vias malas institerant, Christo pedes clavo perterebrantur, atq; ita nos ejus vulneribus sanamur. Hinc igitur vos seduli verbi præcones manus remissas & genua soluta surrigite, rectasq; facite orbitas pedibus, ne, qvod claudum est, deflectat de via, sed ut sanetur potius Heb. 12, 12. 13.

Vers. 18.) Jam actus erat in crucem Salvator, perdebat ut verus mediator inter cœlum & terram, qvi erat Deum & homines dissidentes suo sanguine reconciliaturus, & qvis putet, tantam alicui creaturæ, nedum homini innatam esse vecordiam, ut malis gaudeat creatoris! imò sol faciem obvelat, ne tam indignum facinus contueatur, saxa durissima dehiscunt ac disiliunt, terra immota contremiscit, sol luce mundi patiente, lucem mundo dare non sustinet, & Judæi cum delectatione aspiciunt tam triste spectaculum, corda non scindunt, nec tam grande nefas horrent. Hujus rei indignitas jam porrò à Christo ipso exaggeratur. Cum enim corpus illorum, qvi crucifigebantur, machinis solebat distendi, & vestibus nudari, ut tantò dilucidius ipsa crucifixio Christi prædicatur, ipse sic infit: *Enumerabo*, qvod futurum ex usu linguæ sanctæ sæpissimè potentialiter vertendum est. Vide Schindlerum in instit. hebraic. lib. 2. in futuro Cal. p. 76. Flac in regulis hebr. sermonis, enumerare possem, pro qvo non tantum vulgatus latinus habet, dinumeraverunt ex græco vitioso ἐξηρίθμησαν, Lutherus autem eleganter, Ich möchte alle meine Beine zehlen *omnia ossa mea*, nõ

qvi-

qvidem præmacie, qvod frigidum est Tremellii & Junii additamentum; qvia Christus erat pulcherrimus hominum, non pellis atq; ossa, ipsaq; macritudine miser, sed eò qvod ita nimium omnia membra velut in fidiculis extentus pendeo, & totus pelluceo, qvæ sanè est misera atqve ad συμπάθειαν facilè movens mea conditio.

Verùm his sunt silicis circum præcordia venæ,
Et rigidum ferri semina pectus habet,

ipsi Judæi siccis & fixis oculis respiciunt in me gaudentes de malo meo, *ipsi intuentur*, יַבִּיטוּ vide Psal. 10, v. 13. Com. p. 255. *ac respiciunt in me* יִרְאוּ בִי, id est, cum delectatione summa, ac voluptate maxima oculos tam tristi spectaculo pascunt. Vide Obadj. v. 12. 13. Psal. 37, 34. & 54. ult. & 35, 21. Lutherus iterum rectè: Sie schauen und sehen ihre Lust an mir/ sie kühlen ihr Müthlein an mir. Minus emphaticè græci, κατενόησαν καὶ ἐπεῖδόν με, sicut & latinus vulgatus: consideraverunt, & inspexerunt me.

Usus.

Ecce hic I. Christum φερέκακον. Licet enim ut in typo olim erat adumbratum, & à Deo satis prospectum probe curatum, ne ullum Christi veri agni illius paschalis 1. Corinth. 5, 7. os frangeretur Exod. 12, 46. Num 9, v. 12. Joh. 19, v. 33. 36. omnia ossa ejus sint servata, ne unum ex iis frangeretur Psal. 34, 21 tamen ita sunt miserè distenta, ut nihil supra; qvo docentur Christiani licet calamitate premantur, tamen eos non posse ulterius, qvàm Deus permittit, opprimi. Confer Luc. 22, 51. 53. Joh. 18, 8. *Christus φερέκακος.*

Usus II. Ecce hic cœtum Judæorum χαιρέκακον, Sol justitiæ patitur & horum animus tam tristi spectaculo pascitur *Judæi Christi χαιρέκακοι*

tur, vita moritur, & his inde lætitia oritur. Unde Diaboli ejusq; mancipiorum natura potest declarari. Confer Davidem in sua miseria maledictis à Simei impetitum & aliis aulicis Saulis cum summo ipsorum gaudio hinc inde fugatum. Simul id notatur, non tam referre, qvid aliqvis faciat, qvàm qvomodo & qvalis. Christum enim intueri omnino omnes debebant, sed qvum ex malo principio, invidia ac odio, ob finem malum, ut is è medio tollatur, id fit, pessima ista est visio, qvæ aliàs, si fide fiat, beat, Luc. 10, 13. Matth. 13, 16. Compone cum his malis piam Christi matrem & familiam Luc. 23, 48. 49. Joh. 19, 25. & scies etiam, qvid discriminis sit, qvando multi templum freqventant, & ad sacram Synaxin de more accedunt hypocriticè, & alii ex animo ac rectè idem faciunt. Nimirum sunt sepulchra dealbata, uti eos vocat Salvator Matth. 23, 27. & parietes dealbati, uti eos appellat Apostolus Act. 23, 3. cum tamen Deus cor ipsum & essentiam intueatur 1. Sam. 16, 7. Mich. 6, 9.

Vers. 19.) Vidimus hactenus Christum in cruce pendentem membra omnia distentum, audivimus eum de gravitate dolorum, qvos in anima & corpore sentiebat, conqverentem: supereſt adhuc aliud malum, qvo caput reclinaret Matth. 8, v. 20. & præter victum ac amictum vilem 1. Tim. 6, v. 8. nil ipsi erat, hîc verò pro alimento dant amarorem, ac pro potu acetum Psal. 69, 22. Joh. 19, 28. 29. Matth. 27, v. 48. myrrha dilutum Marc. 15, v. 23. & vestibus omnibus eum spoliant Matth. 27, v. 35. Marc. 15, 24. Luc. 23, v. 34. Johan. 19, v. 23. 24. Hoc tam nefandum facinus hîc à Spiritu S. prædicitur, & à Salvatore his verbis exponitur: *Partiuntur* (ita enim per ecthlagen

gen temporum freqventem futurum יַחְלְקוּ ob præcedentia verti rectè potest cum Luthero, Buxtorf. thes. l. 1. c. 12. pag. 95.) *vestimenta mea sibi*, græci ἑαυτοῖς, Lutherus dilucidius unter sich seu inter se, qvod Evangelistæ emphaticè composito verbo Διαμερίζειν exponunt, & *super indumentum meum* seu togam oblongam insutilem ac à summo contextam totam Joh. 19, v. 33. *projiciunt sortem* יַפִּילוּ גוֹרָל, ἔβαλον κλῆρον.

Usus.

I. Christi nuditas nos induit. Eramus per Diabolum in lapsu protoplastorum spoliati veste justitiæ & tunica salutis, atq; ex eo tempore omnes vestes fuere verè בְּגָדִים, nostræ in Deum perfidiæ monumenta ac testimonia (siqvidem radix בָּגַד notat, perfidus fuit) postqvam verò Christus pro nobis ita sustinuit suas vestes sibi eripi, nobis per eum illa vestimenta preciosa, qvibus teguntur nostra peccata Psal. 32, 1. sunt reparata Esa. 61, 10. Confer 2. Cor. 8, 9. Apoc. 3, 18. & 16, 15. olim autem in cœlos adducti plenariè superinduemur, si hîc non nudi fide reperiemur 2. Cor. 5, 2. 3.

Christi nuditas.

בְּגָדִים

II. Qvum dicit Salvator vestimenta MEA, indumentum MEUM, rerum proprietatem stabilit, qva de re in præcepto decalogi septimo.

III. Militum inhumanitas nos instruit: primùm, afflicto non esse addendam afflictionem Sir. 4, 2. 3. ne in nostram æternam ignominiam hæc immisericordiæ opera olim recensentur in extremo die Matt. 25, 43. Secundò judicum esse, ut metas carnificibus aliisqve justitiæ publicæ ministris in exeqvendis sententiis præscri-

Militum inhumanitas.

Meta ministris

publicis præscribenda.

scribant, nec sinant eos grassari in bona aut proximos rei, qvod Christus in passione vetat & hic damnat. Tertiò, ut si nostra nobis eripiuntur, Christum nudum nudi seqvamur, centuplicia recepturi Matth. 19, 29. Allegorias eorum verborum ut varias, ita & qvasdam non satis probas, ut censet D. Gerhard. in Harmonia passionis p. 693. vide apud alios D. Gesnerum in Com. pag. 233. D. Hoffmannus ita scribit: Hic versus per allegorias varie contortus varias peperit sententias.

De sortibus.

IV. Sortium mentio nos erudit. Sunt enim ut paucis contrahamus, qvæ alibi prolixè solent declarari aliæ honestæ & licitæ, qvæ bono fine & forma à Deo probata adhibentur: aliæ inhonestæ, turpes & illicitæ, qvæ pietati & dilectioni erga proximum repugnant. Honestæ vel sunt consultoriæ, cum de futuro eventu, qvi scitu est necessarius, & humanâ sciri neqvit prudentiâ, sine superstitione consulitur Deus, ut si duo tresve præsententur Ecclesiæ donis pares, uter tum sumendus: vel sunt distributivæ, cum dubitamus, qvid cuiq; tribuendum sit, vel de bonis externis, qvæ vulgò vocantur fortunæ, vel de honoribus, vel de pœna: ut in hæreditate cernenda sorte

permultæ magnæq; secantur judice lites.

De his Salomo Prov. 16, 33. Inhonestæ communi nomine dictæ divinatoriæ, qvarum species recenset Peucerus Comment de divinationibus, titulo de sortibus pag. 226. qvò etiam referunt nonnulli sortes lusorias, præcipuè qvæstuosas. Primum ergo & secundum genus non improbantur, sed tertium: Illud constat ex factis Dei Levit. 16. Jos. 15, 16, 17. capp. 1. Sam. 10. & hominis pii

Jos.

Jos.7. Actor.1. Luc.1, 9. vide August. lib. 1. de doctrina Christiana c. 28. Lutherum in c. 1. Jonæ, sicut & alios interpretes, Aretium in problematibus loco 180. pag. 605. 606. Gesnerum in hunc Psalmi hujus locum. Junius in cap. 1. Jonæ eleganter ex regula generali (ex eo, & aliis, in tractatu de fœderibus) de omnium actionum bonitate vel malitia rectè dijudicanda rem totam ita deducit: nempe qvum sortitio sit res per se media, cujus qvædam bona, & laudabilia, qvædam mala & reprehensione digna extent exempla, dijudicanda hæc esse omnia ex istis tribus. 1. Ex qvo fonte profluat. 2. qvomodo. 3. qvo fine. Fons bonus est Deus, & qvisqvis agitur Dei testimonio, tam ordinario, qvàm extraordinario. Malus est Diabolus ac hominum curiositas temeraria. Modus bonus, qvi secundum Deum adhibetur sine pietatis & justitiæ fraude: malus, qvi contra. Finis bonus, qvi ad demonstrandam veritatem Dei, & caritatem proximi, pacemq; spectat: qvæ præterea fiunt, injusta sunt in sortitione. Cautelæ sunt hæ, I. ne temere, II. ne superstitiosè. III. nec de rebus illicitis. IV. nec ad qvæstum. V. nec fraudulenter sortes usurpemus.

Vers. 20.) Qvàm præsens, & qvàm multiplex malum Salvatorem oppresserit, ipse exposuit: nunc etiam adjicit, qvodnam illi opponat remedium, nimirum Dei omnipotentis auxilium. *Tuergo* (וְאַתָּה, ubi vau ratiocinativè rectè vertitur, qvum hoc loco ipsa propositio in conclusione repetatur. Confer v. 2. 3. & 12. sicut usurpatur Amos 5, 27. Zach. 8, 18. Hos. 10, 14. Psal. 2, 10. & 18, 47. & καὶ in N.T. Marc. 6, v. 12. & 9, 5. & 12, 30. 1. Corinth. 12, 26. 1. Johan. 1, 5. & 2, 28.) *Jehova*, qvi

l. e. ergò.

facies etiam tandem exstare tuam promissionem, teqve esse Deum meum, re demonstrabis ipsâ, & opere. Confer Exod. 6, 2. *ne procul abſis*, dum propinqva est tanta angustia, me conserva clementer & sustenta potenter sub hoc tanto onere, tu, *ô virtus mea*.

Sancte parens, mea vis, mea sola potentia, turris, ego אֵלַי miserè vexata & undiq; coanguſtata v. 1. ad te אֵלֶיךָ vers. 2. & hoc versu אֵלוֹתַי confugio, ad te anhelo. Confer Psal. 42, 1. *ad auxilium meum festina*, appropera & appropinqva, ut me eruas. Græca versio ita reddit hunc versum: Σὺ δὲ κύριε μὴ μακρύνῃς τὴν βοήθειάν σε ἀπ' ἐμοῦ, εἰς τὴν ἀντίληψίν μου πρόσχες: & inde vulgatus latinus suo more extulit: Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum à me, ad defensionem meam conspice, ubi & sensus aliqvantum immutatur, & emphases verborum non explicantur, aliqvid demitur, aliqvid additur. Lutherus autem rectè reddidit hebræa, Du HErr sey nicht ferne/ meine Stärcke eyle mir zu helffen.

Usus.

Fiducia pii. I. Adverte hîc, qvæ reqviratur in homine pio fiducia, nempe qvam antecedit notitia, qvod sit Jehova, & in qva est singularis ac fidelis applicatio, qvæ Deum audacter alloqvitur, *tu ergò*. Vide Psal. 27, v. 8. & postulata ab eo, qvæ vult, filialiter, *ne procul abſis*, à filio, ab hærede, à templo tuo, jam in anguſtias delapso, cui te affore pollicitus es Psal. 91, v. 15. etiam in media morte durans, ut in Christo hîc, & Stephano, Actor. 7. & Jobo, 13, 15.

II. Qvæ

II. Qvæ sit in Deo potentia & clementia? Potentia qvidem, qvæ ad omnia mala (nulla enim possunt esse graviora, qvàm qvæ Christus pertulit) satis fortis, אילות fortitudo & virtus ipsa, qvæ nunqvam deficit, Exod. 15,2. Psal. 18,2.3. Psal. 28,7. & 43,2. & 118,14. Habac. 3,19. cujus manus nunqvam abbreviata Num. 11,23. Esa. 59,1. Clementia, qvod velit non tantùm adesse, sed etiam approperare, & ad auxilium festinare, ut pater vel mater accurrit, qvum filium videt in præsenti mortis periculo constitutum. Sic festinavit ad auxilium Lothi in instanti incendio, Mosis, Israelitarum concluforum inter rupes & undas ad Pharaonis adventum, Davidis, cum appropinqvaret Goliathus horrendus, trium Danielis sociorum in igne, ipsius Danielis in fovea leonum, Petri in carcere, & inde seqvente die producendi ad supplicium Act. 12.

DEI potentia.

& clementia.

Vers. 21.) Generatim auxilium rogaverât Salvator, versu præcedente: nunc verò speciatim indicat, qvod illud in hoc jam possit elucere, si ab hostibus suis violentissimis servetur: *Eripe*, inqvit הַצִּילֵ֫ה, de cujus verbi, sicut & phraseos hujus totius, emphasi atq; vi inspiciantur, qvæ dicta sunt in Psal. 7, v. 2. Com. p. 148. 149. eripe per tuam immensam potentiam, ô Deus, & per tuam immutabilem justitiam *à gladio*, vulgatus, à framea מֵחֶרֶב, ex morte, qvæ gladio solet inferri violenter, Synecdoche speciei, *animam* seu vitam *meam*, imò me ipsum, synecdoche partis. Vide qvæ dicta sunt in Psal. 6, v. 6. anima enim gladio occidi non potest Matth. 10, v. 28. & eripe *è manu canis*, id est, ex vi atqve potentia, qvemadmodum qvæ homines tenent manibus, non faci-

Manum.

facilè sibi eripi patiuntur, sed firmiter asservant. Confer Gen. 9, 5. 1. Sam. 21, 14. Jud. 8, 6. 15. Num. 11, 23. Exod. 14, ult. & 18, 9. & ea, qvæ allata in Psal. 10, 12. Hag. 1, 1. & 2. 1. 10. explicatione. Confer etiam ubi habetur מִכַּף Psal. 18, 1. & 71, 4. & vide in Psal. 7, 4. Illustrari hæc possunt illo Comici; uxor qvid faciat, in manu non est mea, & illo Ciceronis: Verùm hæc non sunt in manu nostra, id est, potestate. Eripe *unicam meam*, solitariam meam vitam, imò me solum relictum, omniq; adjutore destitutum supra v. 12. sub finem, qvemadmodum etiam dictum est de significatione vocabuli canis sup. v. 17. Lutherus manum hoc loco satis eleganter ad rem ipsam spectans, vertit, qvasi notaret manipulum von den Hunden/ sicut aliâs dicimus, manus militum, qvod tamen alii malunt per enallagen numeri esse factum. Qvod autem Vatablus h. l. ex Hebræis seu Rabbinis notat, unicam vocari animam, qvæ sola cœlestis sit, habitans in domo lutea, non satis ad hanc rem qvadrat: qvin etiam ex sensu Hebræorum, qvasi anima sit cœlestis, qvia à Deo immediatè infundatur, verùm non est simpliciter, sed potius solus is omnis dicitur, qvi ab amicis, notis atq; cognatis deseritur, auxilioq; destituitur, ut ille apud Comicum loqvitur, sola est mulier: & alibi peregrina, sola sum, habeo hîc neminem, neq; amicum, neq; cognatum, hoc est, ἐρημος: qvod Lutherus elegantissimè vertit, meine einsahme. Non itaq; anima, qvà talis, vel aliam obrationem יחידתי nominatur h. l. qvàm qvod sit ab omnibus derelicta. Nunc institue collationem horum locorum biblicorum, ut verum eruas, etiam in hoc parvo Psal. 25, 16. & 35, 17. & 68, 7.

Solus.

Usus.

Usus.

I. Videatur hic Christi constantia, qvi etiam morti vicinus, Deum invocat, & Dei auxilium sperat Joh. 13, 15. & certè non fuit vana hæc precatio, siqvidem tertia die gloriosè excitatus omninò per Dei potentiam fuit ereptus ex morte Rom. 1, 14. Act. 2, 24. & 13, 32. 33. *Christi constantia.*

II. Ejusdem notetur παῤῥησία, qvando suos hostes corrigi nescios vocat canes, ob impietatem, mordacitatem, neqvitiam, impudentiam, & versu seqvente leones, ob potentiam, qvâ abutuntur ex Dei permissione, Unicornes ob superbiam ac ferociam. Vide Mich. c. 5. 8. L. C. in Ps. 10. L. C. 2. generali pag. 252. 253. *Παῤῥησία.*

III. Ejusdem summa miseria, siqvidem à Deo ad tempus sup. v. 2 & omnibus creaturis derelictus fuit solus in illo agone, qvem cum Diabolo subiit, qvæ omnia inserviunt I. nostræ *institutioni*, ne fiamus similes brutis Psal. 32. homines ad imaginem Dei conditi, siqvidem canes, aliæ feræ aũ bruta extra palatium cœleste summi regis erunt Apoc. 22, 15. in qvod soli admittuntur ejus filii. *Miseria.*

II. *Consolationi*, siqvidem, ne nos separaret à Deo gladius Rom 8, v. 35. 38. 39. oportuit Christum gladio ita subjici, eoq; percuti Zach. 13, 7. & ne nos terreat solitudo ac hominum nos derelinqventium perfidia, Christus solus est relictus, qvi jam semper suis præsens adest Psal. 91.

Vers. 22.) Persistit in precibus Messias, & sibi salvatori mundi salutem dari petit in summo exinanitionis statu, qvando Deus illum tradiderat in manus crucifigen-

figentium. *Salva me*, inqvit, הוֹשִׁיעֵנִי & ſerva Pſal. 69, 2, qvia perveniunt aqvæ usq; ad animam, atq; adeo ut mox ex corpore hoc migrare cogatur, ſalvum me præſta *ex ore leonis*, cum infernalis, tum hujus populi leonino animo præditi ſup. v. 14. & 17. Lutherus, hilff mir aus dem Rachen des Löwen *& exaudias me*, hebr. reſpondiſti mihi, vide in Pſal. 3, 5. pag. 72. & reipſa ſalvaſti me, ſiqvidem tuum dicere eſt facere, & qvando jam reſponſum dediſti ad alicujus preces benignum, dictum factum ſeqvitur ipſa liberatio, *à cornibus* ſeu potentia, qvam habent animalia potiſsimùm in cornibus (vide Amos 6, v. 13. Mich. 4, v. 13. Zach. 2, 1. ubi hæc explicata phraſis) *unicornium* רְמִים elatorum ac ſuperbientium (q. eſſet à רוּם, cum tamen ſit radix ipſa רָאַם Num. 23, 26. Deut 33, 17. Pſal. 92, 11. Unde plurale integrum eſt, רְאֵמִים Pſal. 29, v. 5. Eſa. 34, v. 3. contractum verò ſingulare Joh. 39, 8. 10. & hic plurale extat) cum ipſa animalia ſint indomita & admodum ferocia, ut patet ex locis allegatis, & Plin. l. 8. c. 21. & 11. c. 46. Ariſtot. l. 2. hiſtoriar. animal. c. 1. qvibus adjunge, qvæ ſunt apud Franzium. Cum verò jam ſpei plenus hanc partem concludit his verbis: exaudies, & ſervabis me, via ad ſeqventem partem ſternitur, qvia hæc ad gratiarum actionem ſpectant, qvæ ſolet apud pios liberationem ſeqvi. Qvando iterum Græci male verterunt, τὴν ταπείνωσίν μου, errantes ſuo more ſeqvitur vulgatus interpres reddens, humilitatem meam, qvod forma vocis ſatis refutat. De conſtructione, ne illa te moretur, vide Buxtorf. th. l. 2. c. 17. ſub finem p. 487. 488.

Cornua.

רְאֵם

Uſus.

Usus.

Præterea, qvæ superioribus versibus sunt notata, & hic eodem modo recurrunt, notanda sunt 1. Salutis origo, qvæ est apud Deum, unde ad ipsum in extrema angustia conversus dicit Salvator, serva me, tu exaudies me. Sic David concludit Psal. 3,9. & 13,6. & 6,9.10. in publicis calamitatibus Judæi orantes confugiebant ad templum 1. Reg. 8. nos rectiùs ad templum seu palatium Dei properamus, seu in cœlum oculos convertimus 2. Chron. 20, 12. Psal. 121,1.2. & 123, 1.2. *Salutis origo.*

II. Mentis humanæ caligo. Cùm enim poterant multi spiritu Dei per verbum illuminari atq; ex mancipiis Diaboli, Dei filii, & hæredes fieri, ipsi non tantùm non hoc agunt, ut salutem suam cum tremore operentur Phil. 2. sed etiam datâ operâ omniq; conatu humanitatem prorsus exuere præoptant, ut dictum est suprà, leonibus crudelitate, unicornibus feritate similes, ut merito exclames cum poëta: *Nostra caligo.*

ô mentes hominum cœcas, ô pectora cœca!

Piscator: Nihil absurdi fuerit, si per canem & leonem intelligamus Diabolum, per unicornes reliqvos malos spiritus. Verùm non temerè id asserendum, qvum de illis, qvæ Diabolus Christo in passione inferebat, v. 2. potissimùm agatur.

Secunda Pars.

Vers. 23.) Qvod Psaltes regius aliis inculcat, ut à Deo adjuti ipsum glorificent Psal. 50, 15. & suo exemplo cum

cum hinc inde, tum verbis explicatis fideiq; plenis probat Psal. 118, 17. non moriar, sed vivam, & enarrabo אֲסַפֵּר opera Jehovæ, id in salvatore etiam observare licet. Postqvam enim jam satis prolixè ac diserté suam miseriam explicuit, Deiq auxilium in fide imploravit, jam porrò spei bonæ plenus ac de optimo eventu certus suo patri pro exemtione ex molestia agit gratias, hinc suum Propheticum officium post resurrectionem orditur ipse prædicans Act. 1, 3. & prædicare alios mandans Matth. 28, 10. 19, 20. Hactenus in morte constitutus conflictabatur cum summis malis, & hic erat ἀγὼν, ubi qvum superabat, siqvidem fieri nullo modo poterat, ut teneretur tandem à morte, aut vinceretur Actor. 2, v. 24. adest νίκη, seqvitur jam ἐπινίκιον, qvo de bonis illa morte partis gloriatur, & in tota hac secunda Psalmi parte sunt hæc duo, prius ex parte Christi, annunciatio: ex parte nostra, acceptatio. D. Scultetus & hoc qvidem versu hæc habet, qvomodo, qvid, qvibus, & ubi sit prædicaturus. Primum explicat voce אֲסַפֵּר, qvæ & vi sua, qvâ significat accuratè etiam minutissima qvæq; pertractavit ac recensuit, ut industrii faciunt mathematici, & ר paragogico aucta, notat valdè sollicitis velut articulis computabo ac *enarrabo*, atq; ita qvidem, ut ἐξήγησιν luculentam instituam Joh. 1, 18. de rebus tam excellentibus catalogum insignem texam, atq; adeo ob oculos graphicè depicta proponam, qvod satis evincit nominis cognati סֵפֶר, id est scribæ Psal. 45, v. 2. significatio, ut ita hic uno vocabulo uterq; modus propagandi Evangelii in N. T. indicetur, siqvidem Apostoli & viva voce tanta mysteria explicantes & scriptis exponentes, alios erudierunt, ac

כפר

disci-

discipulos Christi fecerunt. Qvid verò enarraturum se ait Salvator (confer Hebr. 2, 12.) enarrabo, inqvit, ô Deus, qvem suprà toties invocaverat, *nomen tuum* hoc est, qvicqvid ad tuæ essentiæ ac voluntatis declarationem spectat, & qvicqvid ad celebrationem tuæ laudis pertinet, utrumq; enim vocabulo nominis scriptura indicat, qvando de Deo loqvitur, vide. Commentar. in Psal. 5, v. 12. p. 120. & Mich. 6, v. 9. & cap. 5, 4. Qvibus? omnibus utiq; hominibus per meos ministros Matth. 28, v. 19. ipse verò *fratribus meis*, dum potissimùm in Judæa doceo, minister circumcisionis Rom. 15, 8. hactenus non missus, nisi ad oves perditas domus Israeliticæ, qvas ipse θεάνθρωπος immediatè præconio meo in terris degens congregem & miraculis juvem Matth. 15, v. 24. & fratribus meis, qvibus post resurrectionem apparui, declarans, jam Deum esse ipsorum patrem, Johan. 20, v. 17. qvod dum ipsi credunt ac vera fide acceptant, redduntur filii Dei, mei fratres ac cohæredes Johan. 1, v. 12. Gal. 3, v. 26. & 4, 7. Rom. 8, v. 17. Hi enim sunt ac censentur veri mei fratres spirituales, ubi non attenduntur carnales propinqvi Luc. 8, 21. Matth. 12, v. 48. 49. Marc. 3, v. 35. ubi hoc futurum sit, si qvis rogat? sibi dictum putet, non in angulo hoc futurum aut clam, sed *laudabo te*, ô DEUS, *in medio congregationis*, בְּקֶרֶב qvod vocabulum licet generaliter qvemvis cœtum aut conventum denotet, tamen de Ecclesia sæpe usurpatur, qvæ nomen habet ἀπὸ τῦ ἐκκαλεῖν, καλέω autem ab ista Radice videtur descendere, ut ita hoc loco ita exigente subjecta materia ad ipsum nomen cœtus piorum in N. T. solenne alludatur, qvando synagoga desiit & Ecclesia ex Judæis ac gentibus simul collecta cœpit, qva de re viden- Ecclesia.

dus Dn. Chemnit. in L. C. part. 3. sub initium loci de Ecclesia.

Usus.

Fides.

I. Docemur primùm qvæ sit fidei natura, & hominis pii in laudando Deo cura. Fides enim vera tandem in laudem Dei erumpit omnibus remotis remoris, postqvam satis diu cum infidelitate seu diffidentia est colluctata, ac demum ope Dei superat etiam tum qvando omnis materia laudum in calamitatibus videbatur perire. Confer v. 4. & 7. ac Psalmum 6. v. 3. 4. & 9. Pietas etiam sincera benè Dei operum meminit, eaq; rectè ac sedulò sibi proponit, aliisq; exponit. Utriusq; vivum exemplar habemus in Davide hinc inde in Psalmis, idq; imitari nos decet, ne in tentationibus succumbamus, & laudibus Dei post latam opem omnibus viribus incumbamus. Vide saltem Psal. 7, v. 11. 13. 15. Sir 43, 32. 34. Hinc pius omnes mundi ætates percurrat, ac inde petat exempla calamitatibus oneratorum & liberatorum, ut & fidem suam confirmet, & gratitudinem Deo in repetendis ac recensendis ejus beneficiis probet.

Dei majestas.

II. Qvæ sit Dei majestas & potestas. Majestas summa inde elucet, qvod sit ipse suum nomen, ut dicunt hebræi, hoc est, nihil aliud, qvàm qvod se revelavit in suo verbo ratione attributorum verè divinorum, & qvod omnia, qvæ sunt in eo, nominis celebritatem immensam meritò pariant. Potestas verò inde liqvet, qvod solo nomine suo salvet, unde & hoc celebratur, qvando ipse salutem præstitit. Huc spectant illæ phrases sacræ, nomen Dei invocare, in nomine Dei benedicere, in nomine

Dei

Dei venire &c. ubi includitur notitia, præstantia, potentia.

III. Qvæ sit Christi benignitas, & nostra per illam dignitas. Illa satis apparet, qvando ex amore nostram naturam assumit, & frater noster fit, qvando per omnia, excepto peccato, nobis similis evadit, & fratres suos nos vocare non erubescit Hebr. 2, v. 11. Hæc claret, qvando qvod nobis hinc in malis sperandum auxilium, & hæreditatis præmium cogitamus Josephus fratres malè de se meritos terræ bono beat: Christus nos cœlo. David ad regnum evectus suos cognatos ad dignitates extollit: Christus credentes sacerdotes & reges efficit, omnibusq; dominari facit.

Jesu, rogamus anxiè,
fratres tuos ne desere.
Dictos tuo de nomine
Hoc, Christe, serves tempote,
Qvo Mars furit, qvo mors fremit,
Et dura sors tuos premit.

Christiani fratres sunt.

Qvum autem omnes Christianos vocat fratres suos, vult ut & ipsi fraterno inter se amore sint devincti, & in vera caritate juncti Ephes. 4, 2. 3. Olim in tabernaculo Mosis aulæa erant annulis, ansulis & loramentis connexa Exod. 26 in Ecclesia etiam omnia membra sint conjuncta caritatis vinculo Ephes. 2, 21.

Gentium Ecclesia.

IV. In N. T. desinit synagoga, incipit florere Ecclesia, Judæisq; præfractè verbum prædicatum à se repellentibus, gentes magno numero ad Christum confluunt, juxta Noachi efficacem benedictionem Gen. 9, 27. Dei veracem promissionem Gen. 17, v. 4. 5. & 22, 18. Prophetarum

rumq; multiplicem prædictionem Esa. 2. Joel. 2. Actor. 4. qvibus adde istarum omnium insignem impletionem Johan. 10, 16. Actor. 2, 10. 13. & seqq. capp. Ephes. 2, 12. Confessio fraudis potest fieri soli Deo Psal. 32, 3. 4. 5. & 6. Confessio laudis præcipuè coram multis in cœtu pio Psal. 138, v. 2. hic enim finis congregationis publicæ non est postremus, ut Deus ab omnibus simul & pro acceptis beneficiis laudetur Psal. 42, 3. 5. est enim templum domus orationis Esa. 56, 7. & gratiarum actionis Psal. 43, 3. 4.

Gratiæ agendæ publicè.

V. Calvinianorum hoc loco glossa est: Evangelium ex consilio Dei tantùm pertinere ad electos, qvi sunt Christi fratres: verùm distingue inter Dei intentum & eventum, inter universalem vocationem & particularem applicationem, & ratione naturæ humanæ omnes homines sunt Christi fratres.

Vers. 24.) Qvod rectè monet Rex sapientissimus Salomo Eccl. 5, 3. qvum nuncupaveris votum Deo, ne differto persolvere illud, & rite observat rex piissimus David Psal. 66, 13. 14. 15. & 116, 14. id sibi qvoq; non negligendum esse existimat Salvator, & postqvam superiori versu voto pio se obstrinxerat, fore ut liberatus Deum publicè celebret, id non procrastinat, sed statim nunc rem tam sacram aggreditur, & qvibus verbis sit usurus, seu qvæ summa laudis sit futura, indicat. Laudabo te, ô Deus, dicens, ad illos, qvi ad me confluxerint, tuo beneficio & meo officio, alios ad pietatem exstimulabo, & in hæc verba prorumpam lætabundus: *Timentes Jehovæ* timore filiali Deum colentes (qvomodo stylo scripturæ synecdochicè timore Dei totus cultus sacer denotatur) *laudate eum* mecum, qvi unme juvit, sic etiam vos

in

in vestris malis non deseret, imò propter me exaudiet ac eripiet, & vos *totum semen Jacobi* spirituale nimirum, qvod fide Jacobum imitatur Rom. 9, 7. 8. Gal. 4, 28. Confer v. 31. hujus Psalmi, *honorate eum*, & bonis vestris operibus ipsum glorificantes Matth. 5, 16. 1. Pet. 2, 12. ubi in textu elegans rythmus הַלְלוּהוּ כְּבֹרוֹהוּ. Honorare autem Deum possumus corde, beneficia præstita agnoscendo, ore, aliis prædicando, opere, nos gratos Deo & proximo declarando. Hoc ipsum innuere videtur sequens Comma וְגוּרוּ *timete ab eo*, Lutherus eleganter für ihm scheue sich, metuat semper, ne malis operibus, in qvæ facilè qvis potest prolabi, tam benignum patrem, ac potentem opitulatorem offendat, *totum semen Israelis*, qvod ad emphasin bis repetitur sine ulla inani aut ociosa tautologia, & ut in priori phrasi, qvæ sint facienda, indicantur, ita qvæ sint fugienda veris Christianis, hoc posteriori loqvendi genere videntur designari, ubi simul notatur, qvod dum hanc vitam vivimus & sumus in Ecclesia militante, peregrinamur à Domino 2. Cor. 5, 6. non tam propè ei adhærentes ac olim in Ecclesia triumphante futurum est, ubi ipsum videbimus de facie ad faciem. גֵּר enim peregrinum denotat Psal. 39, v. 13. & 119, 19. 54. & qvidem illum, qvi nondum ipsam arcem Sionis atq; cœlestem Jerosolymam occupavit, sed hic cum Israelitis ac semine Jacobi in deserto oberrare velut cogitur. Confer Gen. 47, 9. Hebr. 12, 22. 23. & historiam eductionis Israelitarum ex Ægypto, & introductionis in terram sanctam, ac videbis, qvod ubi illi Deum suum timuerunt ac honorarunt, præmiis, ubi non timuerunt ab eo, pœnis affecti sint gravissimis, qvomodo Salvator sui regni cives ad officii partes sedulò obeundas excitat.

Honorare Deum.

מִמֶּנּוּ

גֵּר

Usus.

Concionum scopus.

I. Discimus, qvis esse debeat doctorum Ecclesiæ præcipuus in concionibus scopus, nempe Dei gloria, ut homines Deum celebrent, dictis ac factis. Ideo enim securos minis legalibus terrent, & consternatos promissionibus Evangelicis erigunt, ut olim in æternitate Deum omnes laudent, ubi jam sunt in cœlum translati, qvi hic in pietate fuere sedulí. Simul etiam id indicatur,

Deo placet laus pii.

qvod tantum laus Deo grata & accepta sit in ore pii Psal. 33,1. ab impio autem profecta non placeat Psal. 50,16. Sir. 15,9 qvicunq; igitur cupis tuas laudes & vota Deo probare, vide ut vero Dei timore vitam possis ornare.

Opus bonum

II. Qvodnam esse debeat auditorum, in omnibus præcipuum opus, nimirum qvod ait Psaltes Psal. 2, v. 11. exultare cum tremore: exultare ob Dei favorem, misericordiam ac benignitatem, tremere ob suam ipsorum malitiam & indignitatem, atq; ita sedulò cavere, ne omnem gratiam impietate ac flagitiis effundant, & hoc non uni aut alteri tantum dicitur, sed toti semini Israelis, omnibusq; iis, qvi cupiunt esse, ac haberi veri Dei filii, ut sanè sit de nihilo cum Calvinianis statuere, qvosdam in peccatis contra conscientiam viventes Deo placere.

III. Digni Dei præcones sunt Dei timentes, sicut homo probus non vult laudari à neqvam. Lætus sum, inqvit, laudari me, sed à laudato viro. Ea enim laus grata & vera est, qvæ ab iis proficiscitur, qvi ipsi in laude vixerunt, qvæ horsum rectè sunt applicanda.

Vers. 25.) Dixerat Salvator, fore ut ad laudem Dei excitentur pii sub initium N. T. igitur, qvodnam sit præcipuum

cipuum laudis argumentum, & qvæ ratio, cur Deo sint agendæ gratiæ, subjicitur, videlicet id prædicabunt meritò omnes, qvod Deus Pater singulariter Christum exaudivit & eripuit, qvando ad eum clamavit atq; ita redemtio generis humani per eum peracta est Heb. 5, 7. & qvod propter eum communiter ejus membra qvoq; juvet in suis afflictionibus clamantes. Propterea enim Deum honorabunt atq; eum timebunt, *qvia non spernit*, non facit nihili, *neq; abominatur* (ubi posterius verbum שִׁקַּץ longè plus notat, qvàm בָּזָה, siqvidem, qvæ abominamur, planè aversamur, qvæ autem tantum spernimus, pro nihilo reputamus saltem, negligimus & contemnimus, illa reprobamus, hæc tantum non curamus) *afflictionem afflicti* עֳנִי עָנִי, ubi qvum vulgatus vertit, pauperis, præter rem pontificii, & pauci alii de spirituali paupertate egregiè philosophantur, *neq; abscondit faciem suam*, (de qva phrasi vide Psal. 10, v. 11.) *abeo* מִמֶּנּוּ (ubi vulgatus personam mutat, ponens à me, sicut etiam postea sub finem versus idem primæ personæ pronomen assuens) hactenus ἄφσις, ponitur θέσις, *sed qvum* afflictus *vociferatur ad ipsum*, & voce maximè intentâ clamat, hebr. בְּשַׁוְּעוֹ אֵלָיו Psal. 5, v. 3. *exaudivit* שָׁמַע simplex more hebræorum pro composito, subjecta materia ita exigente.

Usus.

I. Ecce qvanta à numine seu Deo præstetur attentio & amor, dum ipsi funduntur preces, has ille non negligit, ut res viles, non abigit, ut voces inutiles, non aures claudit, sed orationes suorum exaudit, non faciem abscon

DEUS EXAUDIT.

scondit, sed vultum gratiosum ostendit huic serius, illi ocyus, unumqvemq; autem juvat tempore maximè opportuno Psal. 9, 10. Act. 1, 7. ut enim sol & luna diei & noctis vicissitudines ac stata tempora regunt, sic Deus lætitiæ ac tristitiæ, calamitatis ac felicitatis vices pro suo arbitrio dirigit, ut illæ ad sublunarium, sic hæ ad piorum salutem, & qvisqvis non exauditur ad voluptatem vel voluntatem, cogitet se voti compotem fieri ad utilitatem, qvod hoc loco notatur, qvando in genere dicitur, qvod Deus exaudiat preces, qvando autem & qvomodo, non additur.

Orantis ardor.

II. Ecce ex natura relatorum, qvanta in homine pio reqviratur intentio & clamor, qvando Deum suum dignè vult invocare. Multi enim, dum ipsi qvid dicant inter orandum, non percipiunt aut norunt, qvomodo à Deo sine ulla devotione demurmuratum audiri sibi frustra persuadent? Qvando itaq; tuæ preces spernuntur à Deo, cogites non esse fusas animo intento vel pio, corrige istam tuam socordiam, sic Deus tibi porriget suam manum ac misericordiam.

III. Vide qvanta sit Dei benignitas, qvi nullius afflicti vel miseri preces spernit. Dives epulo Lazarum negligebat ob paupertatem: Deus maximè illum in ista amabat. Hic igitur est laudandus à pauperibus, qvi cum altissimè habitat, demississimè perspicit, erigens ex pulvere tenuem Psal. 113, 1. 5. 6. 7. est timendus à divitibus & magnis, siqvidem eos, abutentes sua felicitate perdit, & de throno detrahit, Luc. 1, 51. 52. 53. Confer Pharaonem & Mosen, Davidem & Saulem.

IV. Vide qvanta sit Diaboli malignitas, qvi solet homi-

hominibus afflictis insusurrare, ipsos à Deo non curari, ipsorum preces sperni. Contrà audis hîc, qvisqvis es afflictus, qvod à Deo sis dilectus Esa. 57, 15. Prov. 3, 13. Heb. 12, v. 5. 6. 7. perpende, qvod in has ærumnas devenias, ne cum mundo pereas 1. Cor. 11, 32.

V. Hinc etiam probatur Dei omniscientia, qvum cujusvis afflicti orationem audit, & omnipotentia, cum nullum sit tantum malum, cui ipse non noverit adhibere remedium, Esa. 59, 1. Desinat itaq; blasphemare Lucianus, Deum certis tantùm horis audire preces; & Calvinianus, Deum non posse præstare, qvæ promisit, aut non velle juvare omnem, qvi ei se dereliqvit.

Vers. 26.) Qvod dixerat in genere Salvator, nunc sibi applicat, & qvum inclamans Deum ardenter ac constanter exauditus ac liberatus sit ex inferni faucibus, orci periculis ac mortis manu, futurum spondet, ut se gratum præbeat, aliisq; præluceat exemplo, qvi iisdem, ut Deum laudarent, autor fuerat præcepto. Simul autem denotatur hîc vera laudis causa efficiens, & materialis seu fundamentum, nempe Deus, à qvo ut omnia bona proveniunt, ita etiam omnia ad eum dirigenda sunt vota, & omnis gratiarum actio, atq; encomia. Qvod si ita est, ut patet ex scopo & cohærentia hujus versus cum præcedenti, facilè possunt variæ versiones atq; explicationes plerorumq; interpretum rectè conciliari, qvæ oriuntur ex conciso loqvendi genere, qvod extat hoc loco in textu hebræo, מֵאִתָּךְ תְּהִלָּתִי. sive enim hoc exponas cum nonnullis, à te, ô Deus, venit, qvod ego laudo te, notetq; causam efficientem: sive cum vulgata versione interpreteris, apud te est laus mea, sensu eodem, sive

sive cum Luthero dicas ac exprimas objectum laudis, dich wil ich preisen / qvomodo etiam reddidit Piscator, ex te prodibit laus mea, ut notetur materia laudis, qvi versionem Tremellii & Junii refutat. An rectè? jam non disputo: sive cum Tremellio ita efferas periphrasticè, de bonis obventuris abs te futura est laus mea, seu, qvod malim, reddas, *de* bonis *abs te* datis est atq; existit hæc *laus mea*, eodem res redit, siqvidem ut illa, qvæ de fide dici solent,

absumus à te,
vivimus ex te,
fidimus in te,
tendimus ad te,
non nisi per te,
optime Christe,

paululum immutata huc traducamus

qvæ bona de te,
cepimus ex te,
tollimus in te,
reddimus ad te,
non nisi per te,
optime Christe.

Ubi autem hoc futurum est? supra v. 23. dixerat in medio congregationis, nunc *in congregatione magna* seu multis hominibus ornata vel valida, hebr. בְּקָהָל רָב, notaturq; Ecclesia N. Test. ex gentibus potissimum collecta, qvæ respectu multitudinis pereuntis est pusillus qvidam grex Luc. 12, 32. sed tamen in se, & respectu Ecclesiæ Vet. Test. ac beneficiorum ac bonorum in ea dispensatorum, est verè magna Dei domus 1. Tim. 3, 15. & 2. Tim. 2, v. 20.

ac

ac congregatio magna Psal. 87. qvibus si velis etiam jungere myriades angelorum præsentes, longè major adhuc evadet laudantium Deum numerus. Idem autem aliis verbis ita profert, *vota mea retribuam*, persolvam, reddam perfectè, שלם coram omnibus veris ac vivis Ecclesiæ Dei membris, hoc est, נגד *in conspectu reverentium* seu colentium *eum*, confer v. 24.

Usus.

I. Notandum hic, qvæ sit laudis piorum præcipua atq; adeo unica materies, nempe Deus cum suis beneficiis, cum iis, qvæ communiter toti generi humano, tum iis, qvæ privatim unicuiq; sunt præstita, qvandoqvidem ab eo, per eum, in eo sunt omnia, confer Rom. 11, 36. 1 Cor. 8, 6. Eph. 4, 6. & ut ex mari oriuntur omnia flumina, omniaq; eò revertuntur Eccles. 1, v. 7. ita etiam qvum omnia bona dona à Deo Jacob. 1, 17. velut ex fonte inexhausto Psal. 36, 7. qvasi promanant, omnia etiam nostra ad ejus laudem vicissim meritò sunt dirigenda. Nam si qvis divinæ gratiæ radios frustra sibi spargi patitur, nec fructum labiorum ac bonorum operum reddit, propè est ut excindatur. Confer Luc. 13, v. 6. 7. Hebr. 6, v. 7. 8. & 13, 15. Laudet igitur Deum nostra anima, nostra lingua, nostræ vires, nostri mores Psal. 87, v. 7. & 9, 2. & 103, 1. Matth. 5, 16. *Laudum materia.*

II. Qvæ ejusdem publica sedes, nempe congregatio magna timentium Deum. Cur enim non publicè velimus hoc cum gratiarum actione profiteri, qvod Deus voluit palam largiri Servus abscondens talentum à Domino concreditum, graviter punitur Matth. 25. & Dei dona

dona ingrata habens, vel oblivione sepeliens, eis plerumq; privatur. Nam ita hac de re sentit magnum illud numen omnibus benefaciens Actor. 14,7. ut habet Psalmi qvinqvagesimi conclusio, qvi laudem sacrificat, honore afficit me, & qvi componit viam, faciam ut is fruatur salute Dei. David olim ab hostibus reportatas manubias templo Dei inferebat: nos beneficiis affecti publicè agamus gratias, ut ita nostro exemplo alii excitentur Psal. 34, 3. 4.

III. Qvæ esse debeat eorum, qvi vota reddunt, integritas, & qvæ eorum, qvi spectant, pietas. Illi persolvant vota sua perfectè, hi congratulentur rectè: illi Dei benevolentiam erga se declaratam præcinant, hi illis concinant, ut ita in corpore Christi mystico laudet omnis anima omnipotentis Jehovæ mira opera Psal. 150, 6. In sacrificiis V. T. reqvirebatur maximè, ne qvis defectus, nævus aut vitium deprehenderetur: in N. T. postulatur veritas, vitæq; sanctitas. Confer Heb. 11, 6. Rom. 12, 1. Levit. 19, 2. 1. Thess. 4, 3.

Vers. 27) Salvator suo exemplo voluit excitare alios plures in Dei laudem: sed ne illi materiam ejus sibi nullam esse prætenderent, qvæ bona ipsos divinitus ex hac liberatione per ipsum parta maneant, & qvæ laudes indè meritò promanent, subjicit. Postqvam enim cubuit hic Leo de tribu Juda, multam prædam & dona suis peperit. Confer Gen. 49, 9. Psal. 68, 19. Ephes. 4, 8. 9. Col. 2, v. 14. 15. mortuis vitam, perditis salutem, esurientibus cibum, sitientibus potum reportavit, & qvemadmodum post partam victoriam milites dispertientes prædam, se cibo ac potu exhilarant, ita etiam in regno Chri-

Christi futurum est, ubi, qvia ipse aderit, nil qvicqvam deerit. Participes autem horum bonorum fiunt tantùm illi, qvi feritate naturæ suæ domitâ & abdicatâ se ipsi dedunt, ac cum mansueto ac humili mansueti ac humiles evaserunt Zach. 9, 9. Matth. 11, 29. Sumitur ratio loqvendi ex V. T. ubi sacrificiis addebantur epulæ & convivia pia, in qvibus lætabantur coram Deo: sic sacrificiis N. Test. id est, laudibus piorum addatur hoc sacrum, de qvo in hoc versu, convivium: *Comedent mansueti & saturabuntur*, ad satietatem donis Dei replebuntur Psal. 36, v. 9. qvia enim regnum Dei non est cibus aut potus, Rom. 14, v. 17. cibus corporalis hîc qvoq; ubi de ampliatione regni Christi agitur, non intelligitur, sed is, de qvo Christus loqvitur Joh 4, 32. 34. & 6, 27. mansueti autem sunt illi, qvi spiritu Dei se regi ac duci patiuntur, proximumq; sincerô amore complectuntur, qvemadmodum aliàs in V. T. vox hebræa עניים usurpatur, ut sanè sit de nihilo ex malâ versione latinâ hîc iterum de paupertate spirituali multis agere, præsertim illa, qvæ in usu est apud monachos, humiles sine despectu, pauperes sine defectu. Et porrò ut cibo repleti lætantur, ita etiam spiritualiter refecti cantabunt, & *laudabunt Jehovam* studiosè *qværentes eum* hebr. דרשיו, de cujus vocis emphasi dictum est Psal. 10, v. 15. & de persev. sanctorum thes. 44. & hoc facient in regno gratiæ: effectus verò ultimus in regno gloriæ potissimùm apparebit, siqvidem hic cibus durat in vitam æternam, ut Johan. 6, 27. dicitur, qvod h. l. per enallagen personarum ac apostrophen ad pios conversos directam ita declaratur, *vivet*, benè ac feliciter aget, uti hæc exponit Johan. Drusius *Vivere.*

sius in Q. & R. l. 2. q. 42. & l. 14. obs. c. 16. 17. sic Job. 21, v. 7. Psal. 38, 20. vide Habac. 2, v. 4. pag. 51. *animus vester* לְבַבְכֶם cor vestrum, Luth. euer Hertz/*in sempiternum* לָעַד vulgatus כ ejecto videtur legisse לְבַבָם, qvod tamen num sit in usu, meritò dubitari potest.

Usus.

Gratia Dei qvinam fiant participes.

I. Notetur, qvodnam sit gratiæ DEI & meriti Christi subjectum, nempe mansues ex fera Matth. 25. belua factus, & is, qvi comedit, ac comedit ut saturetur. Non enim hædi petulci tam sacrati pabuli reddunt participes Psal. 23. Luc. 15. non rabidi canes, non avidi lupi, non crudeles ursi, sed oves Joh. 10. non vultures, sed columbæ Matth. 10. hoc est, ut dicam apertè, diligentes Deum ac proximum, illum agnoscentes ac reverentes ut patrem, hunc diligentes ac juvantes ut fratrem, & hi qvidem tanta bona habent recipiendo ore fidei, edendo id est, ut Joh. 6. declaratur, credendo, ubi pluribus convenientia inter nutritionem corporalem ac spiritualem potest declarari. Qvia verò multi cum canibus (sit venia verbo, qvod tamen in re turpi adhibet Spiritus Sanctus 2. Pet. 2, 22.) iterum evomunt vel rejiciunt salubrem cibum gustatum Heb. 6, 5. non saturantur, nec salvantur æternùm. Reqviruntur itaq; hæc tria, malæ naturæ & pravitatis depositio, novæ creaturæ ac spiritus recti donatio, ac demum perseverantia ac fiduciæ conservatio.

II. Qvod ejusdem gratiæ ac meriti Christi effectum, nempe laudis Dei propagatio, & vitæ æternæ collatio. Solent autem alias laudare, non qvi aliqvid qværunt,

sunt, sed qvi qvæsitum invenerunt, hîc autem qvia omnis, qvi rectè qværit, invenit Matth. 7, 7 8. qværentes statim laudant, atq; ita imitantur angelos Esa. 6. Belsazar cum suis aulicis jam satur laudabat suos Deos argenteos & aureos, ac inde mortem sibi consciscebat præproperam Dan. 5. pii laudantes Deum verum, vitam consequuntur æternam, ac mortem non vident Joh. 8. Confer Psal. 84, 5. & 21, 5.

III. Qvæ Deum rectè qværendi ratio, videlicet si verbum ejus diligenter meditemur, ruminemur, scrutemur, more eorum singula expendentes verba, qvi scribunt doctissima Commentaria. Confer Deut. 6, v. 7. 8. 2. Timoth. 3, 15. Joh. 5, 39. & superioris metaphoræ occasione hîc evolve typum, qvando Ezechiel cap. 2, 9, 10. 11. & Johannes Apoc. 10, 8, 9, 10. jubetur librum devorare, & ostende, qvomodo verus Theologiæ studiosus, ac pietatis amator, debeat esse librorum sacrorum heluo. Exemplo suo præit David in Psal. 119. ac insignis Theologus ac martyr Savonarola in procem. exposit. secundæ in orat. dominicam hucadhortatur egregiè: per lectionem, inqvit, jam aliqvid intelligentiæ consecuti debemus deinde verba sanctissima meditari, & spicas cum Apostolis manibus confricare (alludit ad historiam, qvæ legitur Matth. 12, 1.) ut relictis paleis ad grana perveniamus, insuper & grana terere dentibus, ut medullam eorum elicientes panem ex ea dulcem conficiamus. Hæc ille. Imitari ergò hîc, imò superare, nos decet diligentiam agricolarum, qvi multum laboris ac sudoris suscipiunt, ut sit, unde vivant: spectandi ac seqvendi hactenus sunt milites, qvi, ut reportent lucrum, non horrent adire periculum,

Qvomodo Deus qværendus?

lum, ac turpe est, mercatores ac institores tanta maria circuire, ut corradant pecuniam, nos autem nolle probare nostram industriam, in mari scripturæ obeundo, ut conqviramus nobis æternùm duraturam scientiam, qvemadmodum hoc aliqvot parabolis declaratur Matt. cap. 13. Multi igitur, qvod non inveniant Deum, in causa est, qvod non rectè nec sedulò qværunt.

Christianorum consolatio.

IV. Qvæ Christianorum summa consolatio, nempe resurrectio & vita æterna. Pereant bona hujus mundi, eò tandem deveniunt, ubi Deus est omnia in omnibus. Intereat hoc corpus, resurget in gloria, qvod hic cecidit in ignominia 1. Cor. 15. hîc accidant multa adversa, transferentur eò, ubi gaudiorum & bonorum copia Psal. 16. & 17. doleant hic oculi, qvod cogamur sæpius aspicere, qvæ nolumus, ibi lætabitur cor nostrum, qvia habebimus omne, qvod volumus Joh. 16. Qvia autem vita hæc obtingit verâ fide Hab. 2, v. 4. de illa omnium primò simus solliciti, ita futurum est, ut qvum hujus mundi Jericho ceciderit, cum Rahab credente, & filum dibaphum in fenestra domus suspendente nos Christi sanguinem nobis applicantes salvemur, ac reliqvis æternùm occisis sempiternum in verè sancta terra seu potiùs patria cœlesti vivamus. Homo ad vitam creatus vitam expetit: accurrat ad eum, qvi verè eam promeruit & promisit.

Vers. 28.) Paucos tantùm, eosq; præsentes videbatur alloqvi Salvator illis verbis, vivet animus vester sempiternùm: id ne cui scrupulum injiceret, num ipse qvoq; in eorum esset numero, qvi possent super mensam Domini comedere spiritualiter & saturari, generatim

ad

ad omnes tantum beneficium se extendere adjicit, & hanc esse Dei voluntatem, ut omnes hujus jugis convivii sacri memores ex omnibus terræ finibus debita cum reverentia accedant. Pertinet hoc Christi beneficium ad Judæos & gentes v. 28. ad divites & pauperes v. 29. ad natos & nascituros v. 31. Ut enim ex occiso leone examen apum nascebatur & mel optimum Jud. 14, v. 8. 9. ita ex leone de tribu Juda in cruce crudeliter interfecto multi nati sunt Christiani, & de latere aperto hujus secundi Adami in ligno obdormientis illa Eva vera ac mater omnium viventium spiritualiter & æternum est ædificata. Confer Gen. 2, v. 21. 22. & 3, 20. ac postea mel illud spirituale per examen Apostolorum fuit hinc inde hominibus communicatum. Confer Psal. 19, 11. & 119, 103. Proverb. 14, 13. 14. Cant. 5, v. 1. *Recordabuntur*, Lutherus optativè & non malè, qvasi sit etiam votum Ecclesiæ matris pro suis filiis sollicitæ, es werde gedacht / fiat mentio hujus convivii sacri instructi pro omnibus per Apostolos, & alios ministros verbi, ut veniant invitati, vide parabolas Luc. 14, 17. 23. Matth. 22, v. 3. qvod ubi factum per Evangelii præconium, fieri non potest, qvin multi in memoriam regrediantur, excitati illa sacra doctrina, qvod tanta ac talia bona in Adamo primo habuerint atq; amiserint, nunc autem in Adamo secundo recuperare fide qveant, hujus rei multi tum recordabuntur, etiam qvod illa omnia, qvæ hactenus per umbras legis præfigurata ac per prophetas prædicta, in Christo sint impleta, sibi in memoriam revocabunt, atq; ita eventum, cum vaticiniis conferentes, concludent, Jesum Nazarenum esse mundo promissum Messiam, atqve ita *convertentur*

ad Jehovam per veram ac salutarem pœnitentiam *omnes fines terræ*, ex omnibus mundi angulis, multi se Ecclesiæ aggregabunt, qvando Deus omnes vocabit, omnesqve vult salvare juxta vaticinium Esaiæ cap. 45, v. 22. ubi ita Jehova loqvitur, respicite ad me, & servemini omnes fines terræ. De voluntate igitur antecedente Dei & Ecclesiæ voto hæc optimè ita, ut sonant, possunt explicari. Si qvis verò eventum ipsum spectat, cum Dn. Gesnero in h. l. collectivè id est accipiendum, de omnibus terræ familiis, qvarum nulla excluditur à Deo voluntate antecedente, non distributivè de omnibus hominum individuis συνεκδοχικῶς, non completè universaliter, qvia nunqvam fuit ex vitio, ex malitia hominum, qvando omnes crediderunt. More autem suo psalmographus, idem bis repetit ad emphasin, & priora ita interpretatur, & honorem exhibentes *incurvabunt se coram te*, לְפָנֶיךָ in conspectu tuo, ô Deus, *omnes familiæ gentium*, כָּל־מִשְׁפְּחוֹת omnes familiæ cupientes Domino inservire, ut ancilla שִׁפְחָה suo hero vel heræ. Confer Psal. 123, v. 2. Luc. 1, v. 39. Lutherus, für ihm anbeten / in eadem persona tertia sensu eodem. In textu verò hebræo ut superiori versu ultimo erat apostrophe ad credentes, ita hic est eadem directa ad Deum, & personarum enallage manifesta.

Esa. 45, 22.

Usus.

Vocatio in N. Test.

I. Perpende hîc, qvæ sit vocationis gentium, regniq; Christi in N. T. universalitas. Non enim id Judææ amplius fuit inclusum finibus sed circumscriptum terræ totius limitibus Psal. 2, 8. qvemadmodum David, primùm

mùm in fola tribu Juda, deinde verò totius Iſraelis regnum tenebat 2. Sam. 5, 1-5. ita primùm in Judæa Deus fuit notus Pſal. 76, 1. deinde ubiq; lætus Evangelii nuncius eſt prædicatus Col. 1, 23. Noachus cum ſuis ex arca egreſſus totum terrarum orbem incolis replevit Gen. 9. & 10. capp. Chriſtus ex carcere & coarctatione mortis liberatus ſuos apoſtolos in univerſum mundum emiſit, & ubiq; cœli incolas fecit. Ελεγχ& hinc fluit ille, qvod Eccleſia non tantum in Africa ſit, ut putabant Donatiſtæ, nec tantum Romæ aut in Italia, ut exiſtimant Pontificii. Vide Actor. 17, 30. officia autem illorum, qvi cupiunt eſſe regni Chriſti cives, & ſuum nomen ſcribi in cœlo, ſunt hæc, noſtræ miſeriæ & Dei miſericordiæ recordari, ac ſe a tenebris ad lucem, à mendaciis ad veritatem, à Diabolo ad Deum convertere, qvorum illud eſt theoriæ, hoc praxis Chriſtianæ Act. 26, 17, 18. 20. illud doctrinam, hoc vitam ſpectat. Maximè autem fides vera reqviritur, & qvidem ἐνεργουμένη Gal. 5, 6.

Eccleſia uni loco non eſt alligata.

Officia Chriſtianorum.

II. Attende hîc, qvæ ſit Dei de hominibus ſalvandis voluntas. Vult enim omnes vivere in ſempiternum, verſu præcedente, nec delectatur ullo modo morte morientis Ezech. 18, 32. & 33, 11. ſed non abſolutè, ut malè docuit Huberus ſuperiori ſeculo, ſed tum demum, ſi ſui & Dei rectè recordentur, ac ſe convertant, ita neminem abſolutè morti æternæ deſtinavit, ut blaſphemant Calviniani. Qvia autem pleriq; mortales ſunt Dei obliti (vide in Pſal. 9, 18. Amos 6, 10. Jon. 2, v. 8. & adde Pſal. 20, v. 8.) neq; volunt ad Deum converti, qvantumvis invitati Prov. 1, v. 24. mirum non eſt, qvod multi pereant, qvum ad agnitionem veritatis non veniant, ſuâ culpâ & vi-

Vult DEus homines ſalvari.

& vitio. Est enim Christus Salvator, sed corporis sui Ephes. 5. & proinde ipsi debetur יִקְהַת עַמִּים, id est, aggregatio & morigeratio populorum: qvod etiam notatur voce hebræa מִשְׁפָּחוֹת ut dictum est. Possunt adjungi illa, qvæ allata sunt Mich. 4, v. 2. Hag. 2, v. 8. Joel. 2, v. 28. &c.

Vers. 29.) Qvænam esse debeat cujusq; hominis erga Deum reverentia, cum tanta sit Dei erga ipsum benevolentia, ut æternùm beare velit suos cultores fideles, dictum est: & ne qvis suam potestatem vel dignitatem prætendat, causa nunc apponitur, cur omnes familiæ se meritò incurvent Domino seu Jehovæ, *qvia Jehovæ est ipsum hoc regnum*, de qvo dixi, ipse pater filium suum regem inunxit, eumq; præfecit suæ Ecclesiæ Psal. 2, 6. imò ipse est rex ille magnus in tota terra Psal. 47, v. 3. Jer. 23, v. 5. & *dominium habet in gentes*, qvas Evangelii præconio sibi subjecit, convertit v. 28. mansuefecit v. 27. de voce מְלוּכָה vide qvædam in Psal. 2, 6. de vocabulo מוֹשֵׁל Mich. 5, v. 2.

Usus.

Regnum Christi.

Hìc breviter possunt notari (qvum superiùs aliqvoties de eadem materia actum sit pluribus) qvæ sint regni Christi 1. honorifica attributa 2. qvæ magnifica statuta 3. qvæ beatitudo 4. qvæ amplitudo. Si enim est hoc regnum Jehovæ, est regnum æternum, corrumpi nescius, in nulla re deficiens, misericordia & justitia fultum, sapientia & veritate stabilitum, & si est regnum Jehovæ, verbum ejus est lex ac lux, verbum verum, verbum clarum, verbum durabile, verbum penetrabile. Et

si,

si Rex terrenus suos fideles servos remuneratur, hic Rex regum præmia se condigna tandem largitur, ille peritura, hic nunqvam interitura bona offert ac confert, & non modò Judæorum, sed etiam gentium Deus est Rom. 3, 29. estq; Christus solus ac unus ex se legis explanator Matth. 23, v. 10. solus ac unicus Salvator Roman. 5, v. 15. 2. Cor. 5, 15. unicus mediator 1. Tim. 2, 5. unicus dominator 1. Corinth. 6, 8. unicus omnium imperator Psal. 24, 8. 10. unicus omnium judiciorum disceptator, Johan. 5, v. 22.

Vers. 30.) De numero civium regni Christi vidimus, & inde, qvàm amplum id sit futurum, facilè conjecturam capimus: qvia verò supra v. 27. significabatur, fore, ut mansueti qværant dominum, & ii plerumqve etiam tantùm sint humilis ac vilis conditionis, & cum rebus adversis conflictati homines, de iis, qvi in dignitate ac præeminentia sunt constituti, rebusq; fruuntur prosperis, remanebat dubium, num etiam ex illis qvidam sint se huic regi spirituali subjecturi. Id dubium nunc solvitur, & ostenditur, tam summos qvàm infimos qvosdam, tam prosperè agentes qvàm malè agentes, ac vitam per extrema omnia ducentes, atq; adeo nulla obstante vitæ conditione qvoscunq; admissum iri, unde Apostolus pro omnibus istis vult pios orare 1. Tim. 2, 1. 2. Nam qvando spiritualiter fide *comederunt* de agno paschali in ara crucis mactato ac immolato. Vide qvæ supra sunt dicta v. 27. & 1. Cor. 5, v. 7. 8. *statim incurvabunt illi se* honorem Deo exhibentes (verba hebræa ita habent, אָכְלוּ וְהִשְׁתַּחֲווּ & qvæ hic notari ad genus loqvendi poterant, alibi sæpe sunt declarata) *omnes pingues terræ* magni ac

Pinguis terræ.

ac florentes (vide Ps. 78, 31. Es. 10, 16. Ezech. 34, 20. qvod ad rem Psal. 45, 3. & 72, 10. 11.) ubi particula universalis eodem modo explicanda, qvo superiùs versu 27. Aliàs simpliciter & sine ulla limitatione verum non est, qvod omnes pingues terræ sint conversi vel se conversuri. Vide qvod ad rem Psal. 73, 4. Illi autem, qvi errant ante conversionem pingues terræ, fiunt postea pingues cœli, ut exponit prolixiùs D. Gesnerus: in qvam sententiam possunt videri hæc loca biblica Psal. 23, 5. & 36, 9. & 63, 6. & 92, 15. Esa. 55, 2. Ita se gerent magnates, nec tamen sibi deerunt infimates, qvandoqvidem coram eo, seu *in conspectu ejus procumbent genubus* flexis hebr. יִכְרְעוּ לְפָנָיו *omnes descendentes in pulverem*, hebr. כָּל־יוֹרְדֵי עָפָר. de particulæ universalis commoda explicatione dictum est suprà vers. 28. & paulò ante: nunc verò phrasis hæc ex locis similibus est exponenda potius ex Psalmistæ scopo, qvàm interpretum nonnullorum opinionibus incertis. Optima ex omnibus est eorum & certissima sententia, qvi eam accipiunt de pœnitentia vera, siqvidem aliqvando soliti sunt veteres pulverem capiti aspergere vel imponere, qvando de suis peccatis in animo anxiè Dei implorabant opem. Qvamvis autem hæc explicatio proximè ad veritatem accedat, differunt tamen nonnihil hæc à nostra phrasi: nec servaretur oppositio illa, qvam rectè notat B. Lutheri glossa marginalis, Fetten/ das sind die Reichen und Großen/ Die im Staub liegen/ sind die Armen und Geringen / die übel und kümmerlich leben oder zum Todt bereit sind / Alle sollen sie Christum anbeten. Alii putant intelligi mortuos, & indicari regni Christi amplitudinem, qvod se etiam ad mortuos extendat Rom.

Descendentes in pulverem.

14, 9.

14,9. qvod licet sit verissimum, tamen scopus hujus loci aliud innuit, ac oppositionis ratio ita planè perit. Bellarminus omnes mortales intelligit, planè sine ullo fundamento aut ratione. Sunt qvi ita explicant, subjicientur imperio Christi, qvi illum agnoscere nolent, ideoq; interibunt, & morte æternâ morientur. In qvibus verbis videtur esse qvædam contradictio, qvum qvi Christi regno gratiæ (de qvo v.29. ut cohærentia textus evincit) subjiciuntur, salventur & non intereant. Si autem de regno potentiæ id velis accipere, verum qvidem dicitur, sed huc non qvadrat, ubi de hominum erga Deum reverentia, non Dei in præfractos ira agitur. Qvid itaqve demum notat illa phrasis, inqvis? id credo, qvod jam ex Luthero attuli, significari homines miseros ac calamitate in pulverem velut depressos, qvi pinguibus terræ opponuntur. Hoc notat (innuente eodem B. Luthero) seqvens loqvendi genus, in qvo tamen est enallage numeri in sacris non infreqvens, qvam ad evidentiam in plurali legimus in nostra versione, und die so kümmerlich leben/ & qvi *animam suam non vivificavit*, seu in vita seipsum (נֶפֶשׁ enim ita accipi, dictum est in Psal. 6, vers. 4. 5. p. 130.) non potest conservare, qvi cum nulla videt vitæ subsidia, ferè desperat, id est, וְנַפְשׁוֹ לֹא חִיָּה qvod legimus in textu hebræo, & proinde vulgata versio latina dupliciter perperam legit, ac verbum activum neutraliter malè accipit. Vatablus & alii de Christo hoc comma interpretantur h.m. Licet Christus morte turpissima moriturus sit, non propterea deterrebuntur gentes à fide in ipsum. Junius de eo, qvi studio gloriæ Dei abjecerit vitam suam, & sibi renunciaverit. Uterq; bene

Animam suam non vivificat, qvid?

benè currit, sed extra viam: ille, qvia Christi in tertia persona hìc nulla facta est mentio, qvo se referat pronomen affixum: hìc, qvia neq; phrasis, neq; materia subjecta simpliciter id innuit. Bellarminus autem vertit, non vivet, & textum hebræum dicit esse corruptum, cum ipsius judicium de lingua sanctâ & bibliorum hebræorum integritate sit longè corruptissimum. Sed redimus ad phrasin declarandam ex locis scripturæ similibus, de qva nondum satis sumus edocti. In genere conferri possunt, qvæ sunt allata Joel.1,v.13. Jon.3,v.6. Mich.1,v.10. Phrasis autem hæc ipsa יוֹרְדֵי עָפָר qvum non amplius extet in bibliis, ex hisce cognatis locis, ubi notantur summè afflicti, & non adeò procul à morte remoti, explicanda est Jos.7,v.6. Joh.2,v.12. & 7,21. & 10,9. & 20,11. & 21, 26. & 42,6. Psal.7,7. supra in hoc Psalmo v.16. & 44. v.26. & 119,25. Esa.26,v.19. Thren.2,v.10. & 3,29. D. Gesneri itaq; sententia, qvæ est prima, & Junii hactenus possunt conciliari, qvod qvidam in vera contritione calamitatibus huc adacti de se desperantes sint qvidam ex illis, qvi descendunt in pulverem. Nonnulli enim in pulverem à Deo detrusi non agunt pœnitentiam. Et de his satis. Videndus est horum verborum usus breviter.

יוֹרְדֵי עָפָר.

Usus.

Divites & pauperes possunt salvari.

I. Divites in sua copia eâ non abutentes, 1. Timoth. 6,17. & pauperes in sua inopia Deo non diffidentes, possunt salvari Soph.3,12. Neq; enim ex cœlo excluditur dives Abraham, neq; ad infernum detruditur pauper Lazarus: uterqve enim cum affert ἀνυπόκριτον, 1.Tim.

1. Timoth. 1, v. 5. καὶ ἰσόλυμον πίστιν 2. Petr. 1, v. 1. & ἀγαθὴν συνείδησιν 1. Timoth. 1, v. 19. à Deo justificatur & salvatur. Qvod notandum contra nugas mendicantium monachorum, & effectum ab ipsis consilium paupertatis de vendendis omnibus bonis vel abjiciendis, si qvis velit salvari.

II. Qvi ipse in se vel aliis creaturis nullum videt supereſſe auxilium, credat Deum esse suum præsidium Ps. 18. & nihil deesse ei, cui ille adsit propitius. Ibi enim incipit auxilium divinum, ubi desinit humanum, uti suos Philo qvondam rectè consolabatur. *Deo fidendum.*

III. Qvod non impetrabat Dei in homines benignitas, sæpè impetrat ab eo justè immissa calamitas, videlicet ut in nobis oriatur vera humilitas, pietas Luc. 15, v. 13. 14. 17. *Calamitas.*

Vers. 31.) Crebrò autem, ut antea aliqvoties observavimus, psalmographus se refert ad præcedentia: idipsum videre etiam est in hoc versu, qvi partim ad v. 24. partim ad v. 23. etiam ipsis verbis alludit. In versu enim 24. qvod dicitur, totum semen Jacobi honorate eum, ne qvis de solis & unicis Judæis carne & naturali propagatione editis intelligeret, nunc postqvam gentes etiam v. 28. 29. ad hoc regnum pertinere indicavit, ita concludit, *hoc semen* (utrobiqve occurrit vox hebræa זֶרַע) ex Judæis & gentibus per Evangelii prædicationem collectum, ex omnibus familiis & ordinibus magnis ac parvis congregatum *colet eum* יַעַבְדֶנּוּ serviet ei. Confer qvæ habentur & qvæ allata sunt Esa. 53. v. 13. Vulgatus interpres more suo aliqvid assuit, & legit, semen meum serviet ei. Lutherus magis perspicuè & rectiùs

ctiùs, EX wird einen Samen haben der Jhm dienet/ & v. 23, qvando dicebat Salvator, אַסַפְּרָה enarrabo nomen tuum respectu prædicationis nunc eventum & effectum indicans subjungit יִסָּפֵר לָאֲדֹנָי לַדּוֹר *accensebitur Domino* tale semen, & velut milites pii ab ipso conscribentur, populoqve Dei ascribentur *in qvaq; ætate* seu generatione, seu dum durat hic orbis, ut ita ipso nomine hebræo Ecclesiæ duratio denotetur, vide Esa. 53, 11. & qvod ad rem, de qva hìc agitur, omninò confer Psal. 87, v. 3. 4. & in primis 6. Vulgatus malè conjungit huic versui vocem ex seqventi, ita vertens; annunciabitur Domino generatio ventura.

Usus.

Ecclesiæ propagatio.

I. Videmus, qvàm mira sit Ecclesiæ propagatio, ubi homines renascuntur per aqvam & spiritum Joh. 3. & ex semine incorruptibili verbi Dei Jacob. 1, v. 18. 1. Pet. 1, 23. & 2, 2. à matre Ecclesia Galat. 4, v. 26. confer Psal. 110, v. 3.

Christiani.

II. Qvæ vera sit Christianorum ratio, nimirum Domino suo serviunt ut strenui milites, ac servi utiles, ubi utrorumq; officia & præmia possunt explicari & ad hoc institutum rectè accommodari.

III. Qvæ Ecclesiæ duratio, Ps. 46. & 125. primùm suppeditat διδασκαλίαν: secundum νθεσίαν: tertium ἐπανόρθωσιν Ecclesiæ hostium, & παράκλησιν ejusdem civium.

Vers. 32.) Conclusionis loco tandem subnectit Psaltes suæ prædictionis hactenus explicatæ certitudinem, eamq; desumit ex hominum in N. T. spiritualiter regenito-

nitorum promptitudine spontanea, & DEI fortitudine immensa, ac veritate immota. *Venient*, inqvit, non est qvod qvis dubitet de complemento eorum, qvæ dixi esse futura, aderunt suo tempore, divinitùs excitati atqve à Christo ad id emissi in totum terrarum orbem Apostoli, qvi *annunciene* Christi *justitiam*, in Evangelio meritum ejus offerent *populo nascituro* seu convertendo, illiqve ipsi jam conversi venient etiam *& annunciabunt justitiam* DEI, qvæ fide ipsis est imputata, prædicabunt suis posteris & commendabunt hanc doctrinam per suos filios etiam iis, qvi post sunt prodituri in lucem (qvomodo Benoni more linguæ sanctæ pro paulò post futuro ponitur) id autem præcipuè exaggerabunt, כִּי עָשָׂה *qvod ipse faciat* utramqve paginam in conversione & justificatione hominum, imò & renovatione. Lutherus, daß ers thue/ satis benè, ut ita ad omnia præcedentia hoc epiphonema se referat, confer Es. 9,7. Vatablus, qvia fecit ac præstitit illam justitiam ac salutem hîc promissam per Christum, qvod verè dicitur, sed non solum hîc intelligitur, qvin etiam in Lutheri generali sententia hæc continetur. Junii glossa eodem modo potest admitti, qvæ ita habet, ipsum Deum esse autorem omnis justitiæ, tum illius, qvæ justificat impium in misericordia, tum illius qvæ in judicio damnat: hæc enim vera sunt, sed non tantum de illis agitur, sed potiùs id indicatur, omne qvicqvid hactenus est allatum, à Domino iri impletum, cui nihil sit impossibile, imò ne qvidem mirabile aut difficile, ideoqve omne sit certum & Amen. Vulgatus interpres bis peccat, qvando inserit vocem, & ultimum comma malè interpretatur hoc modo: Annunciabunt

cœli justitiam ejus populo, qvi nascetur, qvem fecit Dominus.

Usus.

Notanda hic sunt Apostolorum, omniumq; verorum verbi ministrorum promptitudo, piorum auditorum gratitudo, operumq; Dei magnitudo, ubi excitetur in nobis imitatio, hic attenta tantarum rerum consideratio Psal. 111. 2. Observetur etiam Ecclesiæ N. T. claritas, ac prædictionum divinarum veritas. D. Scultetus: Audivistis, qvid Christus promiserit patri & suo & nostro nomine; suo, fore ut gratiam Dei disseminet; nostro, fore ut inde in nobis fides germinet. Illud ipse præstitit, hoc nos de nobis, licet non ex nobis præstemus. Si facimus, sic fratres Christi habebimur, & vita æterna recreabimur, & tandem ibi, ubi Judæi & gentes, divites & pauperes, nati ac in N. T. nascituri laudabunt Deum, & nos eum laudabimus, qvod fecerit, peccatores justificârit, impuros sanctificârit, contemptos glorificârit, illi justissimo justificatori, sanctissimo sanctificatori, glorioßissimo glorificatori sit laus justitiæ, honor sanctitatis, decor gloriæ in æternum. Etiam ultima verba nostram excitent fiduciam, ut exemplo Christi v. 9. nostram viam devolvamus super Dominum, qvi faciet Psal. 37, 5. & 55, 23, Prov. 16, 3. ut ita læti canamus tandem ejus justitiam, qvando omnes hostes nobis subjecit 1. Cor. 15. & beati dicamus, Ipse Fecit, Amen.

Ἀνακεφαλαίωσις hujus partis.

DEus facit.

Enar-

Enarratio

PSALMI QVADRAGESIMI.

Hebræ. 10. *v.* 5.

Διὸ εἰσερχόμενος εἰς τὸν κόσμον λέγει, Θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι.

vers. 6.

Ὁλοκαυτώματα καὶ περὶ ἁμαρτίας οὐκ εὐδόκησας.

vers. 7.

Τότε εἶπον, Ἰδοὺ ἥκω (ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπταί μοι περὶ ἐμοῦ) τοῦ ποιῆσαι, ὁ θεός, τὸ θέλημά σου.

QVia meritò unusqvisqve, qvando sacras literas scrutatur, sibi subjicit, Ἆρά γε γινώσκεις ἃ ἀναγινώσκεις; num etiam intelligis, qvæ legis? Actor. 8, v. 30. prima utiqve cura nostra & qvæstio hæc esse debet, qvæ ibidem v. 34. exprimitur (& qvæ antea, qvoqve à nobis in Psalmo 16. & 22. est instituta) *de qvo Propheta dicit hoc, num de se, an de alio qvopiam?* Et sanè si de Psalmo qvadragesimo roges Rabbinos, hoc responsi feres, Davidem fuisse ægrotum atqve ita de se illum composuisse sacrum hymnum. Ab his non ita multum abit Calvinus, aliqve nonnulli ejus sectatores, qvi de David primario & literaliter verba fieri existimant, posse tamen qvædam ad Christum referri, eò qvod iste hujus fuerit typus, qvæ etiam Musculi & Junii sententia est, & cum iis Sculteti. Verùm qvum

De qvo hic Psalmus agat.

1. *sententia Rabbinorum,*

2. *Calvini*

Davidi nullatenus multa posſint verè tribui, qvæ hic dicuntur, hic sanè Christi typum non gesſit. Pleriq; patres partim de Eccleſia seu corpore Christi mystico, Col. 1,24. partim de capite ejus Jesu Christo agi sentiunt: satius autem est ob allegationem aliqvot versuum in Epistola Heb. c. 10. factam, cohærentiam textus, subjectam materiam & locorum parallelorum in Psalmo 22. & 69. convenientiam eum totum de solo Christo primariò explicare. Ubi tamen, qvia ejus actio est nostra institutio, nil impedit, qvò minus alii pii suo modo hæc sibi etiam applicent, in calamitatibus usurpent, ac dominum, præeuntem verba, subseqvantur.

3. Patrum

4. vera.

Psalmus continet prophetiam de passionibus Christi & administratione officii prophetici. Et Christum loqvi in hoc Psalmo, clarum est ex Hebr. 10, 5. & ex forma atq; serie sermonis, in qvo omnes sententiæ cohærent, & ab uno eodemq; dicuntur. Ita Piscator: & longè ante eum Brentius. Negari qvidem non potest, qvin David multis in rebus fuerit typus Christi, sed in hoc Psalmo Christus ipse de se juxta literam per os Davidis loqvitur.

Argumentum.

Argumentum

Summa hæc est: Salvator Dei cùm sibi tùm aliis paratum celebrat auxilium, suum vicissim promittit promptum obseqvium, & ut Deus exerat suam auxiliatricem manum, rogat, cum in se aliisqve piis liberandis, tùm improbis obstinatis ignominia ac pœna afficiendis.

Primùm de Dei erga se benevolentia sibi gratulatur eamq; omnibus credentibus spondet: secundò suam erga totam

totam legem obedientiam perfectam declarare ac præstare delectatur, ac in Deo gloriatur: tertiò in malis Dei opem precatur in suum & aliorum credentium ex malis exitum ac gaudium, in improborum corrigi nesciorum exitium ac cordolium perpetuum.

Partes hujus Psalmi possunt constitui tres: I. est Messiæ certa spe liberationem prævidentis gratulatio. II. ejusdem de sua satisfactione pro genere humano præstanda, ac prædicatione Evangelii per totum terrarum orbem divulganda pollicitatio. III. pro sui liberatione hostiumq; confusione fusa oratio. In primâ observatur priùs ὑπόθεσις v. 2. 3. 4. deinde θέσις v. 5. & 6. In hypothesi explicatur & salvatoris in sperando & orando fortitudo, & Dei opitulatoris in exaudiendo atq; eripiendo promptitudo v. 2. qvam illustrat periculi, in qvo erat, magnitudo, auxilii præstiti firmitudo v. 3. & gaudii, in qvo est post liberationem, dulcedo, ejusq; exemplo excitatorum multitudo v. 4. In thesi exponitur aliorum omnium firmiter Deo adhærentium fide ac spe beatitudo v. 5. qvam probat exemplorum divinitùs ereptorum multitudo v. 6. Hactenus igitur sibi suisq; fidelibus gratulatur Christus. Idem verò in secunda parte causam tantæ benevolentiæ Dei apponit, qvæ est sola ipsius satisfactio, & justitiæ per illam partæ prædicatio atq; applicatio. De illa hæc habet, sacrificiorum V. T. in peccatis expiandis ex se spectatorum ἀδυναμίαν seu imbecillitatem, suam θυσίαν & passionem v. 7. Vaticiniorum V. T. ἀλήθειαν & veritatem v. 8. ac deniq; justitiæ suæ (ut vulgò loqvimur) activæ perfectionem v. 9. De hac observetur futuri præconii celebritas v. 10. & præconis integritas v. 11. Hæc autem omnia

Analysis. Partes tres.

I. *Gratulatio.*

1. *In hypothesi.*

2. *In thesi.*

II.

1. *Christi satisfactio.*

2. *Evangelii prædicatio.*

omnia ut posſint confieri, fieri neqvit, ut in morte teneatur Salvator, & qvamvis hac de re ſit jam certus ac ſecurus, ſui tamen officii eſſe putat, Deum ardenter pro ſui
III. Oratio liberatione orare. Oratio autem iſta vel eſt generalis, ut Deus ipſum tegat & regat v. 12. vel ſpecialis, pro gratiis privativis, ut eripiatur ex malis variis v. 13. idq; citò v. 14. & præfractis ipſi plenarium exitium minitantibus adverſariis v. 15. qvibus qvùm corrigi nolint, imprecatur confuſionem, ibid. & deſolationem v. 16. & pro gratiis poſitivis, qvomodo bonis precatur veram animi lætitiam v. 17. & ſibi Dei clementiam v. 18. Summa huc redit: Qvi conſtanter ſperat, & ardenter orat, à Deo exauditur. Salvator hoc facit, & cum ac per ipſum omnes credentes ejus merito juſtificati. E. Omninò autem conferendi ſunt cum hoc pſalmo pſalmi decimi ſexti verſus ultimi 7. 8. 9. 10. 11.

Verſ. 1.) Titulus ſeu inſcriptio Pſalmi ita habet: לַמְנַצֵּחַ לְדָוִד מִזְמוֹר *Magiſtro ſymphoniæ*, vel præfecto muſicorum ſeu cantorum, qvi *Davidis* eſt *Pſalmus*. De ipſis vocabulis dictum eſt uberius in titulis Pſalmorum 3. & 4. ubi etiam Bellarmini nugæ, qvas ad latinæ verſionis vulgatæ defenſionem agit, q. h. l. eſſet in textu hebræo לְנֶצַח de fine ſcilicet legis Jeſu Chriſto, ſunt breviter examinatæ & refutatæ. Videatur Comment. p. 65 66. 79. 80. 81. Hoc loco autem notandus eſt verborum ordo, ſi qvidem hìc non obſervatur vulgaris illa conſtructio & rectio, qvæ hinc inde in titulis, & de qva Buxtorfius theſ. lib. 2. c. 3. obſerv. 6. p. 333. Verum eſt ellipſis verbi ſubſtantivi, vide eundem l. 2. theſ. c. 20. pag. 515. unde fit, ut prior vox non ſit in regimine (vide exempla

Psal.16,v.1. & 17,v.1. & alibi) & proinde possit etiam citra solœcismum in lingua sancta fieri vocum trajectio, qvalis etiam est Psal.24,1. & 109,1. & 139,1. & 68,1. Sic Psalmo 90, v. 1. תְּפִלָּה לְמֹשֶׁה ut 1. Chron.17, v. 24. אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל אֱלֹהִים לְיִשְׂרָאֵל.

Vers. 2.) Verum his relictis ad ipsum Psalmum & nostram professionem magis concernentia accedimus, ubi statim salvator suum infractum in malis animum, spem firmam, fidem veram, atq; adeò Christianam patientiam & constantiam, qvæ tolerat mala, nec se subducit statim Hebr.10, v. 36. 38. nobis proponit, qvando inqvit, קַוֹּה קִוִּיתִי יְהוָֹה *Jehovam expectando expectavi*, id est, constanter, cum magnâ curâ ac diligentiâ domini opem præstolatus sum, qvod non modò vocis geminatio notat & phrasis, sed & ipsa verbi hebræi emphasis, qvæ est (ut patet ex cognatis vocabulis נִקְוָה confluxit, collineavit, קַו linea, מִקְוֶה confluges seu confluentia) qvando alicujus omnes cogitationes & preces ad unum diriguntur, & qvidem velut ad normam ac lineam certam sine ulla aberratione, & monet, qvod ad mare misericordiæ & amoris abyssum, qvæ est in Deo, omnes precum rivuli debeant fluere, non verò ad humana præsidia, aut malas artes ac technas delabi, qvæ sunt velut cisternæ sine aqva veri solatii. Vide Jer.2, 13. Piscator Expectavi consolationem à Jehova in angustia mea, qvam perpessus sum in monte oliveti, ubi anima mea tristis ad mortem graviter fuit luctata cum morte & sensu iræ Dei Matth.26,v.36. Marc.14, v.32. Luc. 22, 39. &c. Ubi autem ita præcedit pii patientia, certò seqvitur Dei benevolentia Hab.2,4. qvod ipsum hic qvoq;

celebrat salvator, qvando ait, &*statim*, qvando tempus juvandi ab ipso definitum advenit, *inclinavit ad me* Psal.17,6.&31,3. וַיֵּט אֵלַי ubi vau notat, mox, illicò, ut alibi sæpè annotatum est, etiam ellipsis qvædam cernitur, qvando per ἀνθρωποπάθειαν Deo tribuit, qvod se, qvi in altis habitat, vel suas aures ad eum inclinaverit, qvi est gestus audire libenter volentium, unde subnectitur, *& audivit vociferationem meam* שַׁוְעָתִי Psal.22,v.25. mittendo angelum, qvi me corroboraret. Qvod autem Christus ita firmiter in Deum speraverit in passione, constat ex eodem Psalmo 22. & passionis historia: qvod etiam ardenter oraverit, claret ex precatione fusa in horto Matth.26,v.39. Luc.22,v.44. Hebr.5,7. Pia qvidem est, sed non satis firma vel apposita explicatio illa patrum, qvâ hæc verba Ecclesiæ Vet. Test. Messiam unicè desiderantis, esse putant. Rectiùs juxta Bedam potest institui comparatio qvædam inter Adamum primum, qvi tantùm ad parvum momentum in summa felicitate Deo fuit obediens, & hunc secundum, qvi diu voluntati divinæ, etiam in malis, se subjecit, ac summa calamitate.

Inclinare aures.

Usus.

Patientia.

I. Notetur qvæ esse debeat hominis patientia, nimirùm viriliter agat & expectet Deum, etiam tum qvando moram facit Ps.27,14.

Dei benevolentia.

II. qvæ sit Dei præsentia Psal.91,15. &c.

III. benevolentia ac

IV. potentia, dum dicitur non tantùm aures inclinare, sed & juvare, ac res adversas prosperis mutare.

Nos

Nos itaq; Deo tempus juvandi aut modum ne præscribamus, neq; malis fracti succumbamus.

Verf. 3.) Exaggerat autem eadem, qvando suam, in qva fuit, miseriam, & Dei, qvæ ex liberatione orta est, amplificat gloriam. Qvando enim velut in profundum & abyssum malorum demersus jacebat Salvator, accessit DEus liberator, *& fecit ascendere me ex lacu tumultus* seu procellæ horrisonæ ex mortis horroribus ac inferni terroribus me protraxit, qvi me occupaverant tempore pasionis. Ut enim aliàs aqvæ & procellæ nomine notatur omnis generis afflictio, ita & hoc loco. Et ut in aqvis profundis qvis submergitur Psal. 69. v. 1. & procellis domus convellitur vel evertitur Job. 1, 19. Matt. 7, v. 27. navis autem in mari perit & fluctibus obruitur Matth. 8, v. 24. vel scopulis illisa frangitur Actor. 27, 41. sic homo cum magnis malis conflictans atq; colluctans, nisi sit, qvi ei succurrat, opemq; præstet, planè interire necesse habet, qvando abyssus abyssum advocat Psal. 42, 8. & nulla qvies cordi conceditur ibid. 6. & 12. Vatablus per lacum tumultus intelligi putat talem voraginem, in qvam ex præcipitio aqvæ decidunt cum magno strepitu, nec sanè malè. Facit enim id ad ἀύξησιν etiam, sicut & seqvens comma, eduxit me *ex luto cœni*, id est, maximè cœnoso, ubi omnis generis lutum ac cœnum, vel potiùs omne congestum videtur, ut censet R. D. Kimchi. Vide Buxtorf. thes. l. 2. c. 3. observ. 5. p. 332. rectio enim duorum synonymorum auxesin & evidentiam magnam notat. Qvemadmodum autem qvis ex lacu tumultuoso suprà descripto non potest enatare, sic neq; ex luto cœni progrediendo se potest proripere; qvò enim magis

Lacus tumultus.

tentat unum pedem extrahere, eò magis alterum immergit, seq; ipsum impedit. Et hæc est mali, in qvo fuit in passione sua Salvator, gravitas: attendamus, qvæ sit auxilii divinitus præstiti firmitas hoc versu, & suavitas v. 4. & qvando sic ipse suum narravit periculum, nunc etiam exponit Dei auxilium. Nam qvùm omnia videbantur præsentissimum intentare & plenarium interitum, θεὸς ἀπὸ μηχανῆς adfuit, meq; mirabiliter non eripuit modò, sed etiam in tutum ita collocavit, ut deinceps nulla mala ad me denuò pertingant, anteà demergebar, nunc me emersi divinâ ope adjutus, antea non poteram progredi, nunc firmiter incedo, antea variis, imò immensis obruebar curis & anxietatibus, nunc liberatus ovo, antea pugna & ἀγωνία acerrima me exercebat, nunc vici, & canam ἐπινίκιον. Ut enim naufragus, qvi enatando pervenit in petram ex mari prominentem, tutus à fluctibus & procellis ex animo gaudet, se mortem evasisse, sic ego post passionem in resurrectione, in cœlos ascensione, & ad dextram patris sessione de omnibus hostibus devictis triumpho, & qvùm antea non erat in tam procelloso lacu, ubi pedem figerem, Jehova *nunc statuit hebr.* עַל־סֶלַע *super petram pedes meos*, & qvùm antea in luto hærens non poteram incedere, *firmavit*, paravit & stabilivit, hebr. כּוֹנֵן (vide Psal. 7, v. 10.) *gressus meos*, ut feliciter progredi qveam, אֲשֻׁרַי, qvod non tantùm habet magnam cognationem cum אשר, id est, felicitas seu beatitudo, verùm etiam eandem Radicem ac originem agnoscit. Qvomodo h. l. est elegans oppositio, in cœno nutant gressus, in petra ac firma terra constant, in passione Deus Salvatorem ad tempus dereliqvit,

sed

sed paulo post gloria & honore eum coronavit Psal. 8, 6. si qvis etiam vel verbo hebræo יקם, id est, excitavit, surgere fecit, vel nomine סלע, id est, petra, ad ipsam resurrectionem Christi (subjectâ materiâ ita omninò exigente) diserte satis alludi dixerit, nihil à vero alienum attulerit, siqvidem sepulchrum, in qvo Salvator recondebatur, erat in petra excisum, ut habent verba expressa Matth. 27, 60. & si qvis etiam cum Dn. Gesnero gressus Christi felices ac firmatos de subsecuta Apostolorum in totum terrarum orbem emissione ac muneris felici expeditione interpretatur, scopo Psalmistæ favente, analogiam fidei nil violabit, modò principaliter illa, qvæ hîc dicuntur, Christo ipsi attribuat, qvam in rem accuratè expendenda sunt verba Marc. 16, 26. *Resurrectio Christi.*

Usus.

I. Deo sunt post liberationem gratiæ agendæ.

II. Eidem sunt res omnes nostræ committendæ, qvùm differat sæpè liberationem, ut illustriorem reddat suam auxiliationem, & ardentiorem in piis afflictis excitet precationem. Hinc est, qvod tum demum juvat, qvando omnis creatura opem negat, & tamen ejus manus est parata, qvando omnia sunt conclamata & desperata. Exemplo est Moses cum Israelitis ad mare rubrum. *DEI auxilium.*

III. A Deo immittitur calamitas, ab eodem proveni omnis felicitas. Ergò ille solus pro illa averruncanda, & pro hac clementer donanda rogandus est. Thren. 3, 38. Esa. 45, 6. 7.

Vers. 4.) Vulgatum est de rerum vicissitudine dictum,

ctum, qvod oriatur post nubila Phœbus, idq; verum esse, sæpiùs probat experientia : sed & idem testatur sacra scriptura, qvod non modò post ejulationes jubila piis obveniant, sed etiam magnus exundet cùm in afflictos tum alios fructus, ubi fuit magnus luctus. Vide Psal. 30, 6. Sap. 3, v. 5. Esa. 54, v. 7. 8. Exempla cum alia sunt illustria, tum haud scio, an ullum illustrius eo, qvod in salvatore nobis proponitur. Qvomodo ex malis suis innumeris ac immensis sit liberatus, audivimus, audiamus etiam nunc, qvomodo sit exhilaratus cùm ipse, tum alii, siqvidem hoc versu explicatur, qvæ ab ipso profecta sit Dei laudatio, & in aliis pietatis excitatio seu Ecclesiæ ædificatio. *Et indidit* (וַיִּתֵּן simplex pro composito) *in os meum canticum novum*, insignem laudandi Dei mihi tribuit materiam, eumq; mihi inspiravit animum, qvi vellet in laudes Dei erumpere, ac ore profiteri, qvod corde foveo. Novum autem vocat canticum h. l. sicut & Psal. 33, 3. qvod non modò nuper natum est, sed potissimùm, qvod in Ecclesia N. T. semper debet esse novum, qvod nunqvam senescit aut evanescit, verùm perpetuò viget, dum Christi beneficia meditatur ac piâ mente recolit piorum cœtus, nec ulla oblivio tantarum rerum delet memoriam. Hoc est illud canticum novum non in hominis honorem prolatum, aut deastri alicujus memoriæ consecratum, sed *laudationem Deo nostro* vero & vivo Deus ipse mihi indidit, Deo nostro, ô pii, meo & vestro per me vobis placato, inqvit Salvator h. l. & Johan. 20, v. 17. Ad vos enim hoc spectat qvod ago, qvod Dominum laudo & ipsi plaudo, hic est finis secundarius, *videntes multi* meam pietatem ac gratitudinem meo exem-

Canticum novum.

exemplo incitati Deum *timebunt* filialiter, seu reverebūntur *& confident in Jehovam*, unde & ipsi possunt itidem sperare auxilium, ubi verbi בָּטַח emphasis notanda, de qva cùm alibi, tùm Ps. 22, 5. 6. 10. & paronomasia elegans in textu hebræo observanda יָרְאוּ רַבִּים וְיִרָאוּ qvæ etiam legitur Ps. 52, 8.

Usus.

Calamitatis utilitas.

I. Notetur, qvæ sit calamitatis in nobis & aliis utilitas, nimirum pressus clamat, clamans exauditur, exauditus lætatur, lætans alios ad Deum colendum excitat Rom. 5, 2. 3. 4.

Fidei proprietas.

II. Qvæ fidei proprietas, dum omnia sibi applicat, & Deum cum omnibus bonis cœlestibus suum facit.

Hominum cœcitas.

III. Unde impietas? qvia homines spiritualiter cœci Dei opera non vident, aut si qvid ipsis innotescit, rident, non spectant Dei opera, hinc tanta in illis ἀσέβεια Esa. 5, 12. rogemus itaq; nos cum Psalmographo Psal. 13. illustra oculos meos, Domine, vel cum cœco ad mundi hujus Jerichuntem confidentes suspiremus Luc. 18. Domine, ut videam.

Vers. 5.) Petro qvondam præcepit Salvator, ut conversus fratres suos stabiliret, Luc. 22, 32. & suo exemplo David olim præmonstraverat in Psal. 34. qvomodo deceat unumqvemq; beneficia sibi præstita à Deo ita celebrare, ut alii qvoq; inde meliores evadant. Ad eum modum Messias ipse ab hypothesi ad thesin illa omnia transfert, qvæ hactenus de se liberato & Deum laudante protulit, declaratq; in genere, omnibus Deum præstolantibus in vera fiducia parata esse in omnibus malis apud omni-

omnipotentem subsidia. Beatus est vir ille, hebr. אַשְׁרֵי הַגֶּבֶר *beatitudines* omnigenæ (vide Psal. 1, v. 1.) sunt *viri illius* in DEO fortis (vide in Exercit. bibl.) qvod genus loqvendi occurrit etiam Psal. 34, v. 9. & 94, 12. & 127, 5. & similis locus Jeremiæ 17, 7. & contraria propositio ibidem per ἀνθυπόθεσιν explicata v. 5. *qvi ponit Jehovam fiduciam suam*, ipsi enim confisus non est pudore confusus, sed licet omnia videantur minari ruinam & interitum, tandem tamen liberatur, ubi Græci suo more, & inde errorem trahens vulgatus latinus interpres cognatione vocum שָׁוְא & שֶׁקֶר, qvod ad literas, decepti, hoc pro illo legisse putantur. Ut autem aliàs in oppositione tali & exscripturæ analogia vox solus adjici rectè solet, ita h. l. exclusivè sunt illa verba intelligenda, qvi Jehovæ soli & unico confidit. Id enim volunt hæc qvæ seqvuntur *& non respicit* וְלֹא־פָנָה non convertit suam faciem, aut oculos auxilii impetrandi aut postulandi saltem gratia (confer qvod ad rem Psal. 123, 1. 2.) *ad latos*, amplos; hebr. רְהָבִים id est, superbos, qvi seipsos jactitant & valde ostentant, imò sæpe divina concedente providentia se erumpunt ac diffundunt latè Psal. 37, v. 35. & 52, 3. v. & 92, 8. *aut declinantes mendacii*, vanis rebus adhærentes & artibus nihili, qvales sunt nimis curiosi astrologi, harioli & horum similes. Est autem in his duobus commatibus elegans auxilii humani, si qvod obtingit aliqvando, qvod rarò fit & non diu durat, descriptio, siqvidem illi, à qvibus id profectum, se jactant, & illis qvibus præstitere, exprobrant, vel tandem deludunt eos, qvi ipsis fidunt, necessarioq; se aperiunt & coacti, qvod non possint ita juvare uti sunt polliciti. Contrà autem se res habet

Lati.

Auxilium humanum.

bet in auxilio Dei qvi nunqvam fallit, ubi promisit, neq; exprobrat, si qvid dedit aut benefecit, Jac. 1, 5.

Usus.

I. Conspicitur hîc, qvæ sit Dei veritas.

II. Qvæ pii felicitas, nempè miser qvidem habetur in mundo, dum clamat de profundo, veruntamen ubi est vera fides, non possunt non esse omnigenæ beatitudines. Fides autem illa hìc describitur, qvod sit firma fiducia solô Jehova nixa.

III. Qvæ auxilii humani vanitas, nempe

Promissis dives qvilibet esse potest,
sed qvùm tempus est promissa perfici, rarò illa comparent.

IV. Qvæ mentis humanæ cæcitas: plerumq; enim Deo derelicto & creatore ad creaturas confugit, miserèq; spe suâ decidit. Qvi autem non vis falli, crede Deo soli.

Vers. 6.) Mira autem videtur rationi humànæ, sed tamen vera est propositio illa superiori versu asserta, qvod in mundo afflictus sit tamen verè beatus, ideoq; ab exemplis superiorum seculorum probatur, & à præcedentibus Dei operibus firmatur, ut inde fides in aliis excitetur. Confer Psal. 22, 5. 6. Meritò dixi beatum (verba sunt Salvatoris) qvi tibi ô Jehova, confidit, qvia tu, *ô Jehova, DEus mi, multa præstitisti* hactenus & adhuc præstas hodie, qvæ longè superant captum humanum, dum mirè tuos induxisti in mundum, duxisti in mundo & per eum, & demum eduxisti ex eo, ideoq; non est mirum, id non intelligi à mundanis hominibus. Tu verò ô Deus,

DEus *suos mirè ducit.*

ô Deus, licet non multum ad ea pleriq; homines attenderent aut non magnifacerent, nihilominùs ingratitudine aut cœcitate tanta nil deterritus multa feciſti *mirabilia tua & cogitationes tuas erga nos* אֵלֵינוּ, Lutherus dilucidè, die Du an uns beweiſeſt / tua judicia ſunt inſcrutabilia, tuæ viæ imperveſtigabiles Eſa. 55, 8. 9. Rom. 11, 33. & meritò, qvia *nemo tibi par* aut tuis factis ordine recenſendis & condignè, idoneus, ita ut coram te poſsit ſubſiſtere illa operum tuorum celebratio, qvi ſenſus locutionis conciſæ in textu hebræo אֵין עֲרֹךְ אֵלֶיךָ videtur eſſe optimus, & ſcopo ac cohærentiæ Pſalmi maximè convenire, q. d. tu qvidem Jehova Domine exercituum illa omnia optimo ordine velut acie producis, ſed homo nullus illum ordinem ſatis perſpicit, ideoq; multa putat inordinatè fieri, qvæ longè rectiſsimè ſe habent, optimumq; finem ſortiuntur. Vide Pſal. 5, 4. Interim non eſt qvod qvis ſuam negligentiam ita velit ire excuſatum, audio non poſſe fieri, ut perfectè enarrem Dei miranda opera, ideoq; hoc labore ſuperſedebo libens, ne incaſſum aut fruſtra me defatigem: non ita, meo exemplo aliis prælucebo, ut faciant qvod debent & poſſunt, *indicabo* ea coram aliis *& eloqvar*, qvamvis *numeroſiora ſint qvàm ut* alii *poſſint* ea *enarrare*, aut ſingula ordine recenſere accuratè, ne qvid deſit, ita ut hoc non de ſe, ſed de aliis φιλοῖς ἀνθρώποις dicat Salvator, unde Lutherus elegantiſsimè, wie wol ſie nicht zu zehlen ſind. Confer Pſal. 71, v. 15. Exercit. bibl. 3. edit. p. 186. hebr. עֲצְמוּ מִסְפֵּר de מ negativè exponendo vide Jon. 4, 3. de emphaſi verbi סִפֵּר Pſal. 22, 23. Vulgatus interpres latinus habet, annunciavi & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper nu-

DEI ordo.

me-

merum, ad qvæ verba jam ferè ante seculum graviter ita scripsit D. Bugenhagius: Qvi hic legerunt multiplicati sunt, mirum qvàm alienam sententiam adduxerint. Bellarminus tuetur eam versionem dupliciter. Prius ex patribus ita exponit, qvando ego Salvator prædicavi Evangelium, multi sunt conversi: posterius dicit respexisse interpretem ad græcum textum, ubi sit nomen Διαλογισμοί. Ut tamen videas Cardinalis in hisce certitudinem, etiam dicit, esse vitium scribarum, pro multiplicatæ cogitationes, vel multiplicata mirabilia. Sed ita contingit iis, esse semper incertos, qvi, qvæ sunt in textu authentico certa, relinqvunt.

Bellarminus est incertus

Usus.

I. Hîc exaggeratur Dei potentia.
II. Sapientia.
III. Clementia.
IV. Hominum imbecillitas.
V. Debita pietas. Ibi commendantur miracula priscis præstita à magnitudine, multitudine, juvantisq; promptitudine, hîc cernitur imperfectionis piorum agnitio in Deo declaranda gratitudine.

Vers. 7.) Qvia jam ante homiliticè hic & seqventes duo versus à me explicati sunt prolixiùs, nunc analyticè tantùm, ut cœpimus, paucis summa rerum fastigia seqvemur, &, vero verborum sensu indicato, usum demonstrabimus vel indice digito. Qvum verò multa alia sint miranda Dei opera, tùm illud longè mirificisimum est, qvod morte filii voluit redimi servum, & innocentem pro nocentibus, Deum pro homine pati, &

Miraculorum maximum.

qvod Christus tanto nostri amore exarserit, ut se sponte ad tantam miseriam, ignominiam, imò mortem acerbissimam offerret. Id itaq; hîc taceri non debuit, imò neqve commodè potuit, qvandoqvidem qvùm Deus sit ignis consumens & justus, homines autem omnes ex se velut stipula & peccatores maximi, qvi non possunt in conspectu ejus consistere, meritò poterat qværi, qvî & unde fieret, qvod Deus tam mirè suos in hac vita doceret, duceret, foveret, ac post eam felicitate æterna donaret. Hîc Christus summus noster doctor & mediator unicus exsurgit, &, explicante Apostolo, Hebr. 10, 5. ingrediens in mundum, dicit, ut non sit necesse cum Junio inserere particulam, inqvis, in secunda persona. *Sacrificio* זֶבַח (propriè mactato, qvomodo in genere verbum זָבַח accipitur Gen. 31, 54. 1. Sam. 28, 24. 1. Reg. 19. 21. & θύω in Nov. Test. Matth. 22, 4. Joh. 10, 10. ut ad primum locum notat Tremellius) *& munere* propriè spontaneo מִנְחָה ô Deus Pater *non delectatus es*, nempè in & per se, nisi in qvantum referrentur ad me agnum Dei mactandum in temporis plenitudine, non habuisti in illis beneplacitum q. per se & sua vi tollerent peccata, & hominem tecum redigerent in gratiam, unde non acceptasti illa aut grata habuisti sine fide in me oblata, qvantumvis seriò mandata, vide Amos 5, v. 21. 22. Mich. 6, v. 6. 7. Hag. 2, 14. non delectatus es iis umbris me præsente & mundum ingresso. Ita enim hæc non simpliciter esse accipienda multa alia scripturæ loca Vet. Test. clamant non tantum, sed & ipsa oppositio sequentis commatis innuit, secundum qvid hæc dici, & illis certis jam indicatis respectibus, sed me tuum servum fidelem, tuum filium unigeni-

Q.

R.

זֶבַח θύω.

Sacrificia qvomodo Deo ingrata.

genitum ac dilectum in obseqvium tuum consecrasti, ut olim solebant heri suos servos morigeros sibi perpetuùm auris perterebratione asserere, Exod. 21, v. 6. ita *mihi* jam propterea humanâ carne induto & nato, auribusq́; prædito *aures perfodisti*, ad indicium, te, qvùm nemo posset tibi grata præstare servitia, mea solius acceptare officia, & grata habere, qvæ facio, omnia. Videatur h. l. Tremellius & Junius in parallelis sacris, qvomodo hæc cum Apostolo Hebr. 10. sint conciliianda, ut non sit necesse dicere, per incuriam pro ὦτα σῶμα irrepsisse, vel pro אזנים scriptum fuisse עצם, vel cum Bellarmino hic magno conatu magnas nugas agere, qvasi hæc falsa sint, qvod Christo sint aures perforatæ, qvùm nunqvam habuerit clausas. Nescit enim qvid dicat Jesuita, siqvidem non illis servis in lege aures fibula perforabantur, qvi eas habuerant antea clausas, noluerantq́; heris suis obedire, sed in signum, qvod liberaliter & fideliter servierint hactenus, & deinceps, dum vivunt, sint servituri, ita Christo dicuntur aures perforari, qvod semper patri fuerit obediens, ejusq́; voluntatem fecerit, ut seqvitur. Verùm ubi semel animus alicujus cupiditate se devinxit illa, se mordicus velle defendere vulgatam versionem latinam, qvæ in multis est admodum prava, & hic tam hebræum qvàm græcum textum corrumpit, dum utrumqve conjungit, necesse est, consilia & conciliationes conseqvi consimiles, qvales valdè solennes & crebræ in Bellarmini expositione in Psalmos. Sed nobis redeundum ad textum & properandum. *Holocaustum* (inqvit porrò salvator) ut ita omnes vel saltem præcipuas synecdochicè sacrificiorum V. T. species enarret, *& peccatum* seu oblatio-

Bellarmini error.

tionem pro peccato Lev. 4, 3. חַטָּאת *non expetiviſti*, ut per ſe tollerent peccata, qvod neq; poterant Hebr. 10, 4. Obiter etiam nota, falſum eſſe Jeſuitam, dum putat verbum כָּרָה ſimpliciter notare; præparavit, qvùm ſignificet paravit convivium. Aures autem hominis de qvibus h.l. ſermo, in convivium non præparantur. Inſpice locum ex 2. Reg. 6, 23. allegatum, & adde Job. 40, 25. ac deprehendes Cardinalis inſcitiam.

כָּרָה

Uſus.

I. Obſervetur hìc ſacrificiorum V.T. in ſe conſideratorum impotentia, qvæ relata ad Chriſtum erant propter hunc ἱλασμόν.

II. Chriſti Salvatoris perpetua obedientia.

III. Chriſti incarnatio.

IV. Sacrificiorum Leviticorum in N.T. abrogatio. In primo fidei dignitatem, in ſecundo noſtram pravitatem & inobedientiam, pro qva Chriſtus ſatisfecit, in tertio humanæ naturæ veritatem, in qvarto N.T. perſpicuitatem etiam conſidera.

Verſ. 8.) Qvùm itaq; tanta fuerit V.T. elementorum infirmitas, tanta umbrarum obſcuritas, & propterea ut pro humano genere Dei juſtitiæ ſatisfieret, omniaqve prædicta & indicta à Deo complerentur, alium meliorem N.Teſt. mediatorem & ſolem clariorem adventare neceſſe erat, *tum dixi* ego θεάνθρωπος, *ecce*, qvæ eſt h.l. promptitudinis & certitudinis nota, *venio*, in virginis uterum, in mundum, in duram ſortem, diramqve mortem, ſponte mea me offero Joh. 10, 17. 18. idq; ut ſibi etiam conſtet Dei veritas in comminationibus de primo

Chriſtus venit.

Ada-

Adamo ejusq; posteris, qvô die comederis, morte morieris, & potissimùm in promissionibus & præfigurationibus ceremoniarum de me secundo Adamo a Deo factis & institutis, *in volumine libri*, qvod vertit Apostolus, ἐν κεφαλίδι in principio libri *scriptum est de me*, de me statim Moses agere cœpit. c. 3, 15. & sæpè promissionem de semine benedicto, Prophetaq; magno ac liberatore vero repetiit, qvem insecuti sunt omnes Prophetæ reliqvi Actor. 3, v. 18. 24. & 10, 43. qvi ad me velut caput Ecclesiæ primariò semper respexerunt, & de me velut subjecto, fine ac scopo præcipuo sacrarum literarum agunt inprimis, & ut multa sint hinc inde scripta, tamen summa eorum omnium, qvæ de salute generis humani dicuntur, huc deniq; redeunt omnia, in meo nomine tantùm esse salutem Act. 4, 12. qvomodo malim græcam vocem pro capite, qvò omnia reliqva suo modo debito sint referenda, accipere, conferens locum Hebr. 8, 1. qvàm cum multis aliis simpliciter, qvasi in principio libri sacri præcisè sit de Christo scriptum. Id enim qvum multi interpretes hîc dici præsupponerent, miras explicationes attulere. Qvidam acceperunt id de principio Geneseos; primaqve ejus voce בְּרֵאשִׁית vel simpliciter intellecta, qvasi Christus sit principium illud ἄναρχον καὶ ἄχρονον, in & per qvod sint creata omnia, vel cabalisticè ita lecta בַּר אֲשִׁית, id est, filium ponam. Alii de verbis Adami Gen. 2, 23. os ex ossibus meis hoc interpretantur, qvasi Christus ibi dicatur esse nobis ὁμοούσιος, qvùm tamen sonent verba de Eva. Alii principium Psalterii designari existimant, & vel primis verbis, Beatus vir, denotari Christum, qvi solus sit ex se beatus, vel seqventis versus illo commate eum

ἐν κεφαλίδι.

Miræ explicationes.

1.

2.

3.

4.

5.

6. eum describi, & in lege Domini voluptas ejus. Nonnulli de initio Evangelii Johannis hæc sonare arbitrantur, vel
7. ubi legimus, in principio erat verbum, vel ubi subjicitur, verbum caro factum est. Aliqvi librum vitæ hîc denotari credunt, q. in principio ejus libri sit Christi nomen præfixum per qvem omnes vitam recipiunt. Sed & hæc incerta suis autoribus relinqventes, dum ipsi textum authenticum deserunt, videamus majori cum fructu, licet brevius, qvis sit horum verborum usus.

Usus.

I. Hic annotetur Christi passio spontanea.

II. Scripturæ convenientia.

Christus passus est. III. Meta & materia primaria. Nam Christus pro nobis passus est decentur, libenter, patienter, innocenter, Er hat gelidten billig/willig/geduldig/unschuldig.

Decenter. Decenter primò, qvia decebat, ut qvùm pro nobis Patri spoponderat, se soluturum λύτρον, id qvoqve solveret, Psal. 69, v. 5. 2. qvia per eum tantùm poteramus recreari, per qvem eramus creati. 3. qvia in se receperat nostra
Libenter. peccata, Esa. 53. & infrà v. 13. Libenter ratione Patris, ut seqvitur v. 9. & ratione humani generis, qvod tanto complectebatur amore, ut mortem pro eo adire non
Patienter. vereretur. Patienter, qvia non aperuit os suum, non
Innocenter. se subduxit plagis, 1. Pet. 2, v. 23. Innocenter, qvia nihil mali fecit, nihil falsi dixit ibid. vers. 22. Luc. 23, v. 41.

n secundo prædictiones Vet. Test. cum complementis N. ex Luc. 18. & 24. & toto libro Actorum hinc inde, sicut & Epistolis Pauli ac Evangelistarum scriptis, typi & umbræ cum corpore, uti monstrat epistola ad Hebr.

rectè

rectè conferantur. De tertio nota sunt dicta Joh. 5, 39. 46. & 17, 3. Luc. 24, 27. 44. Rom. 10, 4.

Vers. 9.) Dixerat Salvator, se venire ex cœlo in mundum. Cur verò? nimirum qvia omnes homines in Adamo erant mortui, ut vivificarentur, oportuit hanc vitam in ligno mori, & legem complere, atq; ita satisfacere patiendo & faciendo, venio, inqvit, *ad faciendum voluntatem* ac beneplacitum tuum, *ô DEus!* Joh. 4, 34. & 6, 38. & qvidem non coactè, ut servus refractarius aut rebellis, sed ut filius, sponte ac magna cum lubentia, facere id omne, qvod vis, *delector* חפצתי ut ita meo qvoqve sacrificio & officio delecteris, qvi Vet. Test. typis & umbris non delectabaris amplius sup. v. 7. & qvæcunq; ago ac dico, non sunt simulata ac ficta opera, vel inania verba, sed in omnibus est serius affectus, qvia *lex tua est in medio viscerum meorum*, in ipso animo ac corde eam colo, non in labiis tantùm gesto, non ore tantùm profero eam, ut faciunt hypocritæ Matth. 15, v. 8. ubi notante Vatablo מֵעַיִם duale occurrit, idq; propterea in isto numero extat, qvod duo sint viscera supra diaphragma, cor & pulmo à reliqvis visceribus jecore, liene, ventriculo, renibus separata, eaq; hic nominentur, ut psalmista indicet, qvicqvid in tota vita speret ac spiret Salvator, id eum omne ad voluntatem Patris expediendam referre. In corde enim est vita, & pulmonum beneficio respiramus. מֵעַיִם

Usus.

I. Notetur Christi satisfactio.

II. Legis impletio ab ipso solo præstita.

III. Novæ obedientiæ Christianorum qvæ ratio, nimirùm omnia faciunt sponte, liberè, non coactè, verè, non simulatè. Illa & ista præbent contra Photinianos elenchum, contra Satanam solatium, hoc instructionem hoc tempore valdè necessariam, ubi pietas plerumq; in ore nascitur, non in corde noscitur, in labiis panditur, non in visceribus conditur.

Vers. 10.) Hactenus Christi sacerdotium: nunc subjicitur ejus propheticum officium, & qvidem satis convenienter, siqvidem qvùm nobis nihil prodesset Christi tantus thesaurus, nisi fidei manu arripiatur, hæc autem ex auditu Evangelii, præconium erat omninò necessarium ac libertatis per liberatorem partæ promulgatio. *Prædico*, inqvit, Ipse, dum in Judæa obambulo Luc. 4, 18. ex Esa. 61, 1. & postea Apostolos in totum mundum emittens, confer ea qvæ dicta sunt Psal. 22, 23: & hoc loco emphasin verbi hebræi בְּשַׂרְתִּי non neglige, qvandoqvidem ob cognationem, qvam habet cum nomine בָּשָׂר id est, caro, & h. l. ob subjectam materiam notat, annuncio Salvatorem venisse in carnem. Perpendantur qvæ habentur 1. Timoth. 3, 16. Ita commendatur hæc prædicatio à subjecto, qvod videlicet ipse θεάνθρωπος ac generis humani Salvator eam perficiat, & ab objecto, qvùm non vulgaria, non vilia, non mundana & vana, sed ipsa Dei justitia celebretur ac offeratur hominibus. Adde etiam ab adjuncto duplici, nempe testium præsentia, & Dei scientia. Prædico, inqvit, *justitiam*, legis, qvam ego solus peperi ac præstiti, Evangelii seu fidei, qvæ credentibus imputatur gratis, unde vocatur justitia fidei Rom. 4, v. 6. Hebr. 11, v. 7. & novæ obedientiæ, qvam con-

converſi jugiter exerceant Deum timendo, proximum diligendo, idq; facio *in congregatione multa*, (qvæ verba ſunt explicata Pſal. 22, 23. 26. complementum vide Luc. 2, 41. & 21, 37. Joh. 2, 13. & 5, 1. & 7, 2. & 8, 2. & 10, 22.) *ecce*, vide in v. 8. *labia mea non cohibeo* לֹא אֶכְלָא, non claudo in laudes Dei aut hominum utilitatem, qvomodo ad emphaſin ſuperiori θέσει, qvâ ſe prædicare ac publicè celebrare Dei juſtitiam aſſerebat, hæc ἄρσις ſubjicitur ad emphaſin, qvia latius patet negatio. Et qvid multis hæc exaggero aut probo? ὠναρδιογνώστα *Jehova, tu noſti* hæc ita ſe habere, ut dixi.

Uſus.

I. Nota qvàm ſolennis in N. T. Evângelii prædicatio.

II. Qvæ tum univerſalis gentium vocatio.

III. Qvæ reqviratur à nobis laudum divinarum promulgatio.

IV. Qvæ de Dei ſcientis omnia, providentia ſemper debeat eſſe noſtra cogitatio. Nihil enim illum latet, cui omne patet.

Verſ. 11.) Idem publicum Evangelii præconium pluribus explicat, & ſimul contra mundi ingratitudinem ſpernentis illum lætum ac ſalutarem nuncium atq; ita pereuntis proteſtatur, ſe non eſſe in culpâ, qvi omnibus fideliter id annunciandum curaverit, ſed proprio ſuo vitio ac malitia homines interire, qvi noluerunt obedire. *Juſtitiam tuam*, ô Deus, *non tego in medio cordis mei*, ubi eam obſervo, ſupra v. 9. ne aliis illuceſcat, non occulto tuam voluntatem, non abſcondo tuum verbum,

non gravor exponere tuum consilium, sed contrà *fidem tuam*, veritatem & bonitatem, *& salutem tuam* in me salvatore mundi omnibus paratam *dico* & satis diserte explico, qvàm tu sis in comminationibus & promissis verax, ac hominum amans, *non celo benignitatem tuam* aut misericordiam *congregationi multæ*, sed ubivis eam omnibus hominibus indico, ut ita bonitate tua allecti salutem suam procurent ipsi tam læto nuncio credendo, ac à peccatis recedendo.

Usus.

I. Observentur hîc & exaggerentur Dei justitia & veritas. II. ejusdem misericordia & bonitas. III. qvæ verbi ministrorum fidelitas, summum hunc doctorem Christum imitantium. Vide Actor. 20, v. 20. 27. 31. 2. Cor. 2, v. 17. Refutantur hinc Calviniani, qvi dicunt, Deum multis absoluto decreto suum verbum non revelare.

Vers. 12.) Summâ Evangelii & futuri præconii expositâ, ad preces redit Salvator, eademqve, qvæ in genere omnibus annunciatum & inculcatum iri asseruit, sibi inprimis applicat, & qvùm ipse sua labia non cohibet, qvò minus in laudes Dei jugiter pateant, rogat, ne Deus suæ gratiæ fontem cohibeat, ut ita ad ipsum multi defluant auxiliationis rivuli. *Tu Jehova ne cohibeas* לֹא תְכַלֵּא sup. vers. 10. *miserationes tuas à me*, hebr. רַחֲמֶיךָ paternum tuum affectum, & omnis benevolentiæ fontem, ne mihi obstruas, sed me tuum filium dilectum ac miseriis gravibus affectum liberes (confer v. seq. 13.) & ut ea feliciter expediam, ad qvæ missus sum sup. v. 8. & 9.

& 9. *benignitas & veritas tua jugiter custodiant me*, ac abs te mihi adjungantur velut stipatores, qvod græci emphaticè verterunt ἀντιλάβοιντό μου. Confer Luc. 1, v. 54. Actor. 20, 35. qvod ad verbi græci emphasin. Etiam Rom. 8, 26.

Usus.

Vides I. qvodnam nostrum esse debeat in malis refugium. II. qvemnam Deus erga nos gerat animum. III. qvæ sit nostra imbecillitas. IV. qvæ Dei potestas. In primo ad Deum ire compellimur, & orandum nobis esse cernimus, etiam tum qvando de eventu certi sumus, qvemadmodum Christus h. l. suo exemplo præit. In secundo cogitemus, qvantus sit Dei in nos amor, qvi nos ut pater & mater diligit. In tertio qvia Dei auxilio omnibus horis ac momentis indigemus, jugiter nos juvari rogemus. In qvarto, à Deo est omne salutare consilium, omne verum auxilium. Ipse est suorum rector, & fidelis protector.

Vers. 13.) Cur verò adeò instanter Dei opem imploret Salvator, causam subjicit, videlicet suas calamitates, qvas exaggerat exponens pœnarum multitudinem, peccatorum magnitudinem, cruciatuum ac passionum atrocitatem. Meritò, ô Deus, te inclamo, *nam circumdantia invadunt me*, qvemadmodum satis benè phrasin hebræam אָפַף־עָלַי reddit Tremellius, qvùm verbum hoc aliàs tantùm regat accusativum 2. Sam. 22. v. 5. Psal. 18, 5. & 116, 3. Jon. 2, 6. *mala* עַד־אֵין מִסְפָּר usqve ad non esse ullum numerum, h. e. *innumerabilia*, qvæ talia revera sunt creaturis, imò etiam mihi in statu exi-

exinanitionis summæ talia videri meritò poterant, qvæ si velim effugere, seqventes imò prementes *assequuntur me*, & comprehensum tenent *iniqvitates meæ*, qvæ mihi sunt verè imputatæ & in me conjectæ Esa. 53, 8.9.11.12.13. 2. Corinth 5,21. eæq; ita me cingunt ac angunt, *ut neqveam* vel exitum *dispicere*, vel mala aspicere sine summo dolore aut horrore, sed clamare necesse habeam, Deus mi, cur me dereliqvisti. Ita enim hæc de summo gradu exinanitionis & internæ passionis Christi juxta scripturæ analogiam rectè possunt accipi, cui rectissimè subordinatur illa Lutheri expositio, qvæ est in marginali glossa, das Gesichte vergehet mir vor großem Wehe. Nec mirum hoc est, me non facilè in ipsa ἀγωνία videre exitum, non facilè ferre tantum onus, qvia istæ iniqvitates & peccata sunt totius mundi, *& illæ numerosiores* sunt *capillis capitis mei*. (Confer qvod ad phrasin Psal. 69, v. 5.) & hinc adeò fit, ut *cor* & animus meus *me derelinqvat*, ac desperationi sim propinqvus (confer Psal. 38, v. 11.) imò in ea perirem, si solius cordis mei (qva id tale est) viribus standum. Verum qvùm sim etiam Deus & divina propria meæ carni communicata, non possum non tandem eluctari. Junius & Piscator, iniqvitates, id est, pœnæ: sed ita esset ταυτολογία, qvia præcedit de malis, qvorum causa hic adjicitur, & à propria significatione non temerè est recedendum.

Usus.

I. Ubi est peccatorum moles, ibi est malorum proles, ubi sunt flagitia, ibi cumulantur supplicia, ubi à lege hominum in justitia deflectit, meritò Dei justitia plectit. Et si non pepercit filio ferenti peccata aliena, qàvm gra-

graviter animadvertet in eos, qvos premunt propria? II. Ut Christo verè est imputata nostra omnium injustitia, ita nobis fide vicissim verè imputatur ejus justitia. III. Christus desperationi fuit proximus, ne nos in ea periremus.

Vers. 14.) Qvid autem in hac peccatorum, pœnarum ac malorum iliade consilii capit Salvator? id scilicet, qvod tota scriptura monstrat, ut nos convertamus ad eum, qvi percutit. Vide Hos. 6, 1. 2. in preces iterum incumbit, & apud patrem instat, ut se eripiat, hoc versu, & hostes pudefaciat v. 15. & qvùm hi id agant unicè, ut planè eum pessundent, pater, dum eum planè tandem eripit & mirabiliter tutatur, faciat, ut hos spes sua frustretur. Et qvia dixerat supra v. 9. ut faciam voluntatem tuam רְצוֹנֶךָ, nunc eò respiciens dicit רְצֵה *placeat tibi*, velis etiam tu, *ô Jehova, eripere me*, Lutherus, Laß dirs gefallen/ HERR/ daß Du mich errettest/ ut ita & mea, qvæ sancta & bona est, voluntas fiat abs te, qvi soles placitum timentium te efficere Psal. 145, 19. neq; etiam diu differas hoc auxilium, qvùm periculum sit in mora, *Jehova, ad auxilium meum festina*, appropera, & in tempore ipso mihi succurrere memento.

Usus.

I. Notes, qvæ sit Dei bonitas, qvi etiam in ira recordatur misericordiæ, Hab. 3, 2. filium portantem peccata mundi voluit conterere, sed & eum orantem voluit eripere, & propter eum tibi idem promittere.

II. Qvùm Deo semper sit juvandi facultas, rogemus, ut etiam sit ejus bona voluntas.

Ex-

III. Etiam piè optari potest auxilii divini celeritas Psal.39,14.

Christi hostes pudefiunt.

Vers.15.) Ut autem liberetur salvator, oportet irritos fieri conatus hostium, eosq; pudefieri cum ob suam ipsorum κακίαν seu neqvitiam, tum ἐπιχαιρεκακίαν, & de malo alterius ortam lætitiam, qvæ utraqve hoc & seqventi versu 16. describitur, iisqve propter utrumq; vitium incurabile meritò mala imprecatur vel vaticinatur. Confer Psal.5,v.11. & 6,11. *Pudefiant & rubore perfundantur* illi cœci spiritualiter, qvi in omne nefas ruunt sine omni pudore, & mihi fossam fodere moliuntur, in qva prorsus peream (qvomodo ex cognatis & variis suis significatis verbum hebræum חָפַר h. l. benè potest exponi. Confer Psal.35,v.4.26. & 71,v.24. & 83,18.) pariter tam diaboli mala suggerentes, qvàm Pharisæi, scribæ, ac custodes desideria satanæ exeqventes, statim in resurrectione mea fiat manifesta, omnibusqve exposita ipsorum impietas, ne alii ipsorum hypocrisi seducantur, qvùm velint videri qvæsiisse Dei gloriam, damnantes me (uti prætexunt) ob blasphemiam Matth.26, v. 65. 66. & 28,v.11.15. sed revera sunt *qværentes animam meam ad perdendum eam*, qvomodo phrasis hebræa בִּקְשֵׁי נַפְשִׁי de iis, qvi innocenti insidias struunt, & hoc agunt, ut qvo jure qvaq; injuria eum tollant è medio, usurpatur sæpissimè. Videantur nunc saltem hæc loca ex libro Psalmorum Psal.35,v.4. & 38,13. & 54,5. & 63,10. & 86,14. Sed tu, ô Deus, fac decidant de consiliis suis, effice ut *agantur retrorsum*, nec possint progredi in cœpto, *& ignominiâ afficiantur, qvi delectantur malo meo*, oculos meâ miseria pascentes. Qvæ ultima ob phrases alibi in

Qværere animam.

mi-

malam partem usurpatas in scriptura, & ob scopum ac cohærentiam horum versuum, malumus interpretari imprecationem & maledictionem malis corrigiq; nelciis intentatam, qvàm cum Augustino & nonnullis aliis ita accipere, q. fit precatio salvatoris, ut pœnitentiam veram agant ejus hostes. Licet enim seriò hanc velit, tamen, qvod his verbis eam oret, nondum est probatum, imò antecedentia & conseqventia, scripturæq; analogia aliud clamant. Ubi si qvis qværit, curiosè magis qvàm piè, qvùm hæc & seqventia verba in Psalmo septuagesimo repetantur, num id fieri possit sine ταυτολογία? Respondebit breviter Apostolus, imò potiùs Spiritus S. Phil. 3, 1. eadem me (qvandoq; bis tervè) scribere vobis & me non piget, & vobis est tutum: Siqvidem id non modò in hisce duobus, verùm pluribus aliis Psalmis & libris biblicis observare est, ubi si non semper possimus reddere causas, cogitemus, esse boni Theologi, qvædam ignorare: nihil autem in sacra scriptura perfectissima supervacaneum esse, reputare. Ne longum faciamus, in hanc sententiam videantur in libro Psalmorum Psal. 14. & 53. Ps. 60. à vers. 7. & 108. à v. 7. & 28, 4. & 35, 4. & alia. In qvibusdam autem si id, qvod præivit Christus, secutum esse Christianum, vel qvod pius imitandum reliqvit exemplum, ab alio pio esse expressum dixerimus, à vero nihil alienum attulerimus, qvemadmodum sæpè in Mose, qvod semel exponitur ut mandatum, alibi, ut factum & gestum est, narratur sine ulla tautologia, qvùm sint illi libri velut publicæ tabulæ sacræ, in qvibus & leges & exempla scribi decebat. Vide qvæ infrà dicentur ad Psalmum 69, 5. & 109, 3.

Qvæstio, An etiam in bibliis tautologia? R. 1.

2.

Usus.

I. Cernimus, qvanta sit multorum hominum nequitia.

II. Qvanta Dei justitia.

III. Qvanta eorum, nisi convertantur, miseria & ignominia.

Vers. 16.) Culpam pœna premit comes, ita híc qvoqve conjunguntur semper, ne injustè illis malè velle Salvator vel Deus mala inferre videatur. *Desolentur*, inqvit, יֵשֹׁמּוּ (qvod vulgatus interpres suo more legit יֵשׁוּבוּ, id est ferant) *pro mercede pudoris sui* עַל־עֵקֶב, qvod prius græci & latinus interpres vulgatus vertunt, statim, q. d. ad calcem auff den Fueß/rectiùs verò pro eo qvod me cogitabant pudore afficere, ex pœna talionis ipsi pudore & ignominia confusi pereant, qvod idem est cum eo, qvod habet Tremellius, pro mercede vitæ pudendæ suæ. Lutherus autem sensum respiciens vertit, sie müßen in ihrer Schande erschrecken/qvi dicunt de me, הָאֹמְרִים לִי qvasi עָלַי, infra vers. 18. Luth. die über mich schreyen/ qvi lætantes de malo meo se invicem alloqvuntur, & sibi gratulantur mutuò, *Euge, euge*, da/da/das ist recht/so soles seyn/ ut non sit necesse cum aliis hæc ita exponere, qvasi hostes in passione Christum alloqventes dicant, vah, vah: hæc enim interjectio est gaudentis potiùs, qvàm comminantis vel fastidientis, confer Psal. 35, 25. 26. & vide historias Matth. 27, 39. Marc. 15, 29. Luc. 23, 35.

Usus.

Usus.

I. Ut Deus pios vult plantare & conservare, ita vult impios prorsus eradicare & desolare.

II. Mors & ignominia sunt peccati stipendia Rom. 2, 9. & 6, 23.

III. Qvi aliorum calamitate gaudent, ipsi in summam infelicitatem incident.

Vers. 17.) Ut verò antea v. 15. 16. Salvator obstinatis pœnas prædixit per modum imprecationis, sic nunc piis bona promittit per modum precationis. Illi mali qværebant sine causa justa animam meam, ideoq; perdebantur ob suam malitiam: contrà verò *gaudeant & lætentur in te, omnes qværentes te*, ex toto corde pietatem exercentes, & solliciti, qvomodo Deum rectè colant, *atq; amantes salutis tuæ dicant jugiter, magnificetur Jehova*, qvomodo verborum qvandam σύγχυσιν & transpositionem, qvæ est in textu hebræo, dilucidè reddimus cum D. Luthero. Ut enim impios delectat sua neqvitia, sic credentes ac bonos juvat Dei justitia & misericordia, eosq; exhilarat spiritualis lætitia.

Usus.

I. Ut impios manet καλάφα, ita pios vera χαρά.

II. Ut mundus qværit & optat, qvæ sunt hominum, ita pius spirat & sperat, qværit & gerit in corde suum Dominum.

III. Celebretur semper Dei nomen.

IV. Colatur semper ejus numen.

V. Qvi Christum Salvatorem mundi negligit, est

maledictus, 1. Cor. 16,22. qvi eum diligit, benedictus, in semine illo benedicto.

DEus magnificatur.

VI. Deus ter Opt. Max. non fit magnus in se, sed suorum operum magnificentia, apud homines fideli agnitione, majestatica declaratione, & pia celebratione. Confer Num. 14,17. Psal. 34,4. & 35,27. & 92,6. & 138,5. Mich. 5,4. Malach. 1,5. Exod. 18,11. 1. Chron. 16,25.

Vers. 18.) Summam eorum omnium, qvæ hactenus dixit Salvator, ubi sibi gratiam, improbis persecutoribus & obstinatis inimicis ruinam petiit, complectitur hoc jam subjecto epiphonemate, in qvo benè sperat, & piè orat, se humiliat à misera sui conditione, seq; erigit à Dei provisione, conferens inter se suam miseriam & Dei potentiam, etiam suam fiduciam & DEI gratiam conjungit his verbis: *Et ego*, qvi hactenus adeò ardentes preces fudi, hujus meæ orationis habeo graves causas, *sum pauper & egens* (ubi in textu hebræo est in prioribus verbis elegans paronomasia עָנִי וְאֶבְיוֹן, qvalis etiam reperitur Psal. 25,18. & 88,16. & 109,22.) *sed Dominus* rerum omnium unus arbiter, basis ac fundamentum, sustentans hanc universitatem, *cogitat de me* יחשב־לי (ut ita ל h.l iterum pro עַל vel מִן seu אֵת accipiatur, qvemadmodum Gen. 20,13. Psal. 3,3. & 35,19. 24. & 91, 11. 2. Sam. 11,7. Esther. 3,2. Obadj. v. 1. suprà v. 16.) qvod satis benè græci videntur extulisse, ὁ κύριός μου φροντίς μου, Dominus providebit mihi, sicut & Lutherus noster, der HERR sorget für mich; ubi probè observandum, qvod non dicit, qvia rex vel propheta sum, vel Dei filius naturalis, Deus mei curam gerit, id enim nobis non possemus applicare, sed qvia pauper, & propterea omnes gratiâ

ל i. e. עַל

Dei

Dei indigentes Dei providentiam sibi certò pollicean-
tur. Christus autem hæc loqvitur in forma servi, statuq;
exinanitionis ac passionis. Vixdum verò hæc dixe-
rat, qvando Deum denuò velut præsentem alloqvitur,
auxilium, id est, maximus & optimus auxiliator, dum abs-
tractum pro concreto notat superlativum, ut sæpè fuit
dictum, *& liberator meus es*, faciens me tandem liberum e-
vadere (מְפַלְטִי vide Psal. 22, 5. 9. & qvod ad rem confer
Psal. 18, 2. 3. & 19. ult.) *ô Deus mi*, proinde qvùm me in tuam
clientelam ac tutelam commendavi, *ne tardes*, ne differas
ulterius auxilium mihi præstare, Luth. verzeuch nicht / sed
celeriter me te confisum eripias sup. v. 2. D. Brentius: Ego
(inqvit Christus) sum egenus & pauper, sed Domino
sum curæ, qvi est auxilium & salus mea, ac liberabit me
sine omni cunctatione, hoc est, affligar qvidem miserri-
mè & moriar in cruce, ut videar destitutus omni divino
& humano auxilio: Dominus autem & Deus meus non
differt meam redemptionem in longum tempus, sed ex-
citabit me tertia die à morte, ut cunctus orbis videat, mi-
hi datam esse omnem potestatem in cœlo & in terra.

Usus.

I. Christi paupertas sunt nostræ divitiæ 2. Co-
rinth. 8, 9.

II. Omne nostrum in malis solatium sit in Dei
providentia repositum.

III. Christus in diebus carnis fuit etiam nobis, ut
per alia omnia (excepto peccato) ita etiam in hoc similis,
ut mora ipsi videretur longa, & confestim se juvari pe-
teret, ut nunc ad dextram patris posset nobis cum malo

conflictantibus maturè succurrere Hebr. 2, 17. 18. & 4. 15. 16. cui nostro redemptori & salvatori unico sit cum, Patre & Spiritu S. laus, honor & gloria in seculorum secula. Amen.

Enarratio
PSALMI QVADRAGESIMI PRIMI.

Joh. 13, 18.

Ινα ἡ γραφὴ πληρωθῇ, Ο τρώγων μετ' ἐμοῦ τὸν ἄρτον, ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὸν πτέρναν αὐτοῦ.

Argumentum.

De quo agat Psalmus.

MIrum non est, malè à qvibusdam Calvinianis argumentum hujus Psalmi proponi, qvia planè alienum in toto Psalmo constituunt subjectum, siqvidem Mollerus, Tremellius, Piscator, Sculterus &c. tantùm de Davide fieri hîc sermonem credunt, unde Sculteti illa συλλογραφία & titulus: Beatè vivit & moritur, qvi de vita & morte aliorum piè judicat: ita corrigatur, *Beatè vivit & moritur, qvi de vita & morte Jesu Christi mundi salvatoris rectè judicat, ejusq; meritum sibi firmiter fide applicat.* Et si illa ultra Davidem aliqvantulum volunt assurgere, eum ut Christi typum proponi asserunt, qvod qvidem est verum, sed ab hoc loco & Psalmo alienum, de qvo Piscatori suum in Psalmi 16. explicatione positum syllogismum reponimus: Qvi loqvitur v. 10. hujus Psalmi, idem

idem loqvitur in toto psalmo. Sed Christus ipse loqvitur v.10. teste Johanne Evangelista in superiùs allegato loco. E. Christus loqvitur per totum psalmum.

Summa verò & argumentum psalmi est hoc: Christus Jesus beatos prædicat, qvi dolores & cruciatus ipsius, qvos pro nobis sustinuit, grato ac fideli animo rectè considerant. Hoc autem ut fiat tantò diligentiùs, hostium suorũ crudelitatem, amicorumq; perfidiam enarrat, & qvomodo in illis angustiis pro nobis susceptis Deum oraverit, & qvàm firmiter felicem eventũ speraverit, subjicit, & gratiarum actione solenni psalmum hunc & totum psalmorum librum primum concludit. Summa.

Hinc jam tenemus, de qvo Psalmus agat, nempè (sententia & verba sunt D. Gesneri) de Christi passione primò & διαῤῥήδην accipi debet, etsi ad alios qvoq; fideles postea transferri qveat. Et sic (ita Bellarminus in suo Com. h. l. scribit) patres eum accipiunt Ambrosius, Hieronymus, Augustinus & Chrysostomus, qvi ait, temerarium esse, aliter eum exponere. Idem in v. 5. notat. Is qvi loqvitur in hoc psalmo, non est David, vel qvivis alius homo purus, sed ille solus, qvi & innocens erat, qvoad actiones proprias v. 13. & peccata aliorum tamen portabat v. 5. D. Brentius. Cum autoritas Domini nostri Jesu Christi major sit omni exceptione, non est alia hujus psalmi interpretatio recipienda, qvàm qvæ ab ipso nobis est in manus tradita. Et paulò post. Qvare sentiamus, hunc psalmum juxta literam esse vocem Jesu Christi conqverentis de ingratitudine & immanitate proditoris sui ac reliqvorum suorum ψευδοφίλων. Agit de Christo.

Usus itaq; hujus psalmi partim est consolatorius, qvan- Usus Psalmi. 1.

qvando etiam hoc tempore, ubi meritò exclames, ὦ φίλοι, οὐδεὶς φίλος, Christianus experitur amicorum perfidiam, aliorum invidiam, inimicorum calumniam, exemplum hoc sui Salvatoris sibi propositum inspiciat, seqve etiam spe firma, fore, ut liberetur tandem à Deo, erigat: partim hortatorius, qvod si nunc qvoq; videas aut audias (sic concludit ideam concionis in hunc Psalmum Sultetus) Christianum aliqvem ægrotare, exulare, egere, prudenter de ejus calamitate judica, ne imprecare illi mala, ne lætare illius miseriâ, si ægrotantem visitas, ne congrega in corde tuo res iniqvas, ne aliud absens, aliud præsens loqvere, ne musita adversus ipsum, ne facinus immeritò aliqvod impinge: sic in die mala liberaberis, ab iniqvo hoste vindicaberis, in sponda doloris relevaberis, in omni vita ante faciem Dei stabis, dum hinc evocatus in vitam cœlestem prædices bonitatem ejus in secula. Doctrina generalis est in toto hoc Psalmo tractata, qvod regnum Christi non sit de hoc mundo, qvia ipse Rex in statu exinanitionis cum egestate & calamitate maxima fuit conflictatus, ab amicis & inimicis afflictus, & tamen se emersit, ac ad statum exaltationis pervenit, sic eum seqvantur suum ducem Christiani, qvia hæc est via ad cœlum, & licet malis hic pressi tamen tandem beati erimus, si Christum mundo spretum in oculis & corde gerimus. Vide Brentium sub finem.

2.

3.

Analysis.

Analysis Psalmi potest hæc dari (qvorundam non satis huc qvadrat, qvùm de Davide omnia esse dicta existiment) ut partes constituantur duæ, qvarum prior

Partes duæ

1. proleptica dicendorum propositio, qvæ ita habet; Beatus

est

est, qvi in Christum pro nobis factum egenum credit v. 2. in priori colo. Posterior uberior hujus propositionis expositio, tum ratione prædicati (qvod ex idiotismo linguæ hebrææ præcedebat in propositione) in qvibus consistat illa beatitudo, declarat, & recensetaliqvot Dei beneficia, ex qvibus constet certissimè, qvod talis habeat Deum propitium, sitq; ei curæ, inter qvæ (1) ex malo præsenti liberatio v. 2. (2) à futuro conservatio (3) vivificatio. (4) beatificatio v. 3. (5) in sponda doloris sustentatio (6) & strati mutatio v. 4. tùm ratione objecti, qvod erat in subjecto propositionis, qvod est Christus Jesus pro nobis cùm toto vitæ tempore, tùm præcipuè in passione afflictus, qvi partim sua mala enarrat v. 5. partim ex illis se liberari orat. v. 5. & 11. Mala illa vel fuerunt interna, nempe totius generis humani peccatorum imputatio, & hinc orta cum ipsa morte æterna colluctatio v. 5. vel æterna, illata cum ab exteris, tam inimicis apertis v. 6. qvàm clandestinis & opertis seu hypocritis pessimis, à qvibus profectæ calumniæ v. 7. ipsi structæ insidiæ v. 8. ipsi afflictæ atrociss imæ injuriæ v. 9. tùm domesticis, & præcipuè uno proditore Juda v. 10. Oratio in his malis fusa etiam habet annexam gratiarum actionem. In oratione petit in statu summæ exinanitionis animæ suæ ad mortem tristis sanationem seu consolationem v. 5. in initio, & post eam ex mortuis excitationem v. 11. Gratiarum actio vel est ipsius Christi propria, ubi Deum celebrat, qvod ipsum in malis tuendum susceperit v. 12. ac sustentaverit v. 13. sub initium & tandem ad dextram suam collocaverit ibidem sub fi-

nem: Vel omnium Christianorum publica & perpetua v. 14. præscripta.

Pars Prior.

Vers. 1.) Titulus & versus primus hujus Psalmi antea aliqvoties sunt explicati, nihilq; difficultatis habent: *Præfecto Symphoniæ Psalmus Davidis.* Vide titulum Psalmi 3. & 4.

Vers. 2.) *Beatitudines* scilicet sunt illi, qvi &c. id est, beatus est, & qvidem terq; qvaterq; (vide vocabulum אשרי prolixè declaratum comm. in Psal. 1, 1. & Exercit. bibl. ed. 3. p. 761. & seqq.) *attendens*, prudenter, & ita, ut inde sibi prospiciat (hebraicè משכיל, cujus emphasin vide prolixius explicatam comm. in Esa. 53, 1. & brevius Psal. 2, 10. & 32, 1.) *ad attenuatum* seu pauperem & egenum illum, de qvo in Psalmi præcedentis versu ultimo, qvi pauper fuit in statu exinanitionis in carne, sed dives in regno, ad illum, qvi propter nos factus est pauperrimus

Christus pauper! cur?

1. Matth. 8, 20. (1) ut sua paupertate nobis divitias pararet
2. 2. Cor. 8. v. 9. (2) suum regnum non esse de hoc mundo,
3. demonstraret Zach. 9, v. 9. Matth. 21, 5. (3) ut pauperi suo gregi subvenire posset Soph. 3, 12. Hebr. 2, 17. 18. & 4, 15.
4. 16. (4) nobis patientiæ & tolerantiæ exemplum relinqveret,

Pauper erat Christus, socios nos pauperis hujus
Esse decet, sic pòst regna beata dabit.

Aliàs est generalis hæc sententia, semper curam esse habendam pauperum, qvos habemus semper Joh. 12, 8. verùm hîc tantùm de uno homine Christo agitur, paupere, non ex simplici & absoluta necessitate, sed sua voluntate,

te, pro totius generis humani salute, ut qvi in eum credit, salvetur, qvemadmodum in exinanitione latro fidelis in cruce ab eo orat & exorat regnum Luc. 23, v. 42. 43. Sensus igitur hujus commatis primi versus est, qvi diserte verbis ponitur à Salvatore ipso: Beatus est, qvi non offenditur in me, meâq; paupertate Matth. 11, v. 6. De verbo הַמַּשְׂכִּיל si qvis plura nosse avet, consulat h. l. Piscatorem & Bellarminum. Summa est, illud absolutè positum significare intelligere, intelligentia seu prudentia uti, prudenter & circumspectè se gerere Psal. 2, v. 10. & 14, 2. Hactenus rectè, nam qvod Bellarminus hinc infert, neq; cum iis, qvæ ipse in Comm. suo habet, neq; cum argumento & subjectâ materiâ Psalmi congruit, nimirum hoc dici, qvi intelligit super egenum, id est, qvi prudenter considerat pauperum necessitates, & dat cui, qvando, qvantum oportet, ex pura charitate & liberalitate, non ex inani gloria, vel spe retributionis. Ut enim antea dictum est, non de omnibus pauperibus, sed uno solo Christo hic principaliter & literaliter agitur, & fide in eum collocanda, non qvomodo ei sint in ipsius fratribus beneficia conferenda, nisi qvis per longam consequentiam agi hic putet qvoq; de fidei fructibus, ubi agitur de fidei objecto proprio & principaliori.

הַמַּשְׂכִּיל

Loci Communes.

Ex vers. 1. *I. Præfecto symphoniæ*) Semper ad exemplum Christi, Davidis Psal. 34, v. 1. 2. est Deus laudandus, etiam tum, qvando in mala incidimus, sicut præcepit Paulus Phil. 4, 4. Jacobus c. 5, 13. De aliis vide in aliis titulis Psalmorum.

Deus semper laudandus.

David Propheta.

II. *Psalmus Davidis)* Hinc æstima, qvàm insignis Propheta David fuerit, cui Spiritus S. tot Psalmos de passione & morte Christi dictavit: & simul id nota, decere etiam magnos Reges, principes, aliosq; magnates, etiam huc aliqvid operæ conferre, ut doctrina de passione, morte & resurrectione Christi purè in Ecclesia proponatur, nec putent, illa sacra ad se nil qvicqvam pertinere. Horsum pertinent exempla laudatorum & illaudatorum principum, regum, Imperatorum. Et qvoniam totus componitur orbis Regis ad exemplum, desinamus mirari, qvî fiat, qvod hodie multis in locis à plerisq; subditis sacrosanctum Dei verbum non multùm curetur!

Magnates curam religionis habeant.

Dei viæ.

Ex vers. 2. *I. Beatus)* Observandum, qvàm miræ sint Dei viæ, ubi per media sæpè agit contraria. Nam beatus ut posset esse homo fidelis, oportuit Christum Dei filium fieri omnium miserrimum, ut homo talis apud Deum maneret æternùm, filius Dei ad tempus derelictus est, ut homo thesauros cœlestes deperditos posset recuperare, oportet Christum hominem majestate sibi concessâ divinâ se paululum abdicare. Et mira hæc est credentium beatitudo, qvicum plerumq; in tota hac vita conjuncta est tristis sollicitudo Psal. 38, 18. 19. 20. qvænam hæc videtur felicitas, qvam tam multiplex seqvitur calamitas? Psal. 34, 20. & tamen juxta hoc Spiritus S. vaticinium verè est beatus, qvi in miseria Christi piè ruminandæ est occupatus.

Meditatio passionis Christi.

II. Hic est meditationis passionis dominicæ fructus, ut fide & spe vera præditi tandem salvemur, & ad exemplum Christi Luc. 24, 26. 46. per miseriam intremus in gloriam Actor. 14, v. 23. 2. Tim. 3, 12. Qvi enim Chri-

Christum nudum in cruce pendentem fidei oculis intuentur, intelligunt, qvod sit pauper foris, sed intus divitem deprehendent, cum in eo sint absconditi omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Ipse solatium orat, & tamen hoc matri, discipulo, latroni donat: ipse vestes non habet, & vestem salutis præbet: vitâ ipse exuitur, & tamen per eum vita mortuis sanctis restituitur Matth. 27, v. 52. 53. ipse claudit lumina corporis, & aperit centurioni aliisq; astantibus oculos cordis: ipse omnium egenus promittit latroni regnum!

III. Qvi attendit ad pauperem) Pauper hic est Christus, alter Adam. Qvùm enim primus Adam in totius mundi opibus luxurians vitam perdidisset & sibi & toti posteritati, hic secundus omnigenas inter opes inops fit, ut amissam hæreditatem recuperet. Ab iis autem, qvibus donet illam, nil aliud reqvirit, qvàm ut fidei oculo irretorto ad ipsum respiciant, & bona parta sibi applicent. Hæc est explicatio hujus loci: applicatio & accommodatio potest deinde fieri, qvod etiam ille, qvi ad alia egena Christi membra respicit, sit beatus, qvia fide est præditus, & fructibus fidei ornatus, & ipse filius Dei sibi factum ipsi olim reputabit, qvicqvid fratribus ejus est collatum boni Matth. 25, 40. Horsum possunt accommodari illa promissa liberalitati Christianæ facta Prov. 14, v. 21. & 19, 17. & 21, 3. & 28, 27.

Secundus Adam.

Accommodatio hujus loci.

PARS POSTERIOR.

Hactenus generalis totius Psalmi propositio: seqvitur uberior ejus expositio, & priùs qvidem beatitudinis credenti promissæ. Non desunt qvidem (inter qvos &

Mollerus) qvi hæc seqventia usq; ad vers. 5. referunt ad proximum substantivum antecedens, nempè דַּל seu attenuatum, qvasi sit sensus, meritò respicit homo pius ad eum, qvia Deus illum curat, & mox liberabit ac servabit eum &c. sed longè rectius referimus ad remotius מַשְׂכִּיל ad eum, qvi attendit & credit in Christum, sicut & Lutherus vertit, den wird der HERR erretten zur bösen Zeit / siqvidem illi propter Christum hæc seqventia beneficia promittuntur & conferuntur, inter qvæ primum *tempore mali* seu die calamitatis, potissimùm vero in extremo judicio liberabit ac *eripiet eum Jehova* יְמַלְּטֵהוּ יְהוָה, de qvo verbo dictum est Psal. 22,6. & 124,7. יוֹם רָעָה qvem diem vexationis vertit Symmachus, qvis sit, explicatum est in Exercit. bibl. ed. 3. pag. 414. & confer explicationem D. Lutheri in minore Catechismo petitionis septimæ Orationis Dominicæ. De appendice Tremellio-Juniana inutili, videlicet dicens, videatur Piscator, qvi eam refutat.

Vers. 3.) Non tantum autem ex malo præsenti qvovis Deus eripiet credentem, sed & illum sibi deditum clientem in futurum proteget, tam à peccato contra conscientiam (qvi enim Christi passionem attentè consideravit, peccata graviora per Dei gratiam cavet, qvantum potest) & malo culpæ, qvàm malo pœnæ, *Jehova servabit eum &* jugiter, qvomodo Aqvila & Theodotio verterunt Διαφυλάξει, per suos φύλακας seu custodes Angelos sanctos (confer superius allata in Ps. 16,1. & Ps. 121,4.5.6.7.8.) & si qvando tamen, qvæ est hujus vitæ ratio & carnis nostræ imbecillitas per peccata moritur, & propterea etiam in mortem, id est, scripturæ stylo, calamitates incidit

cidit, Deus *restituet eum vitæ* & gratiæ & prosperitatis, & sic per Deum *beatus reddetur in terra*, dum hanc vitam miseram vivit. Lutherus pro idiotismo linguæ germanicæ, der HERR wird ihm laßen wolgehen auff Erden. Cur verò & qvam ob causam? Nullo sanè suo merito, sed ob meam solius Christi, qvi hæc loqvor, apud te, ô Pater, intercessionem, dum ita semper pro eo precibus meis insto: *& ne tradas ejus*, ô Pater cœlestis, animæ, libidini & *desiderio inimicorum eum* Psal. 27, 13. sive sint homines, sive dæmones, ut noceant ei, qvantum volunt. Nam propterea ego ejus redemtor ad tempus omni malorum desiderio, qvousq; tu volebas Luc. 22, 51. fui expositus, ne mei fideles suis hostibus tradantur, & proinde prosit illi hoc meum meritum & hoc pro illo fusum votum. Vulgatus latinus interpres hæc non multum curat, qvi non tantùm hæc per optativum effert, qvæ sunt in hoc & sequenti versu, Dominus conservet eum, sed etiam ita reddit hoc comma, & non tradat eum, qvasi esset in textu hebræo אַל־תִּתְּנֵהוּ.

Vers. 4.) Ergo nihil mali patietur is, qvi credit? omninò, sed non perdet eum, & mala, qvæ impiis sunt σιμωρίαι, fient ipsi παιδείαι, scit se illis non puniri, sed erudiri 1. Cor. 11, 32. Hebr. 12, v. 5. Incidat in morbum? *Jehova sustentabit*, fulciet, confirmabit *eum*, opem feret, si non in corpore remedium, certè in corde solatium, *in sponda languoris* rebus adversis prostratum, ubi nota Molleri proba est: Loqvitur in genere de doloribus animi, & inprimis iis, qvi existunt ex sensu iræ Dei & judicii ejus. Tristitia enim animi magnus est morbus, & h. l. bene potest vocari metaphoricè דַּוַי.

Con-

Confer Thren. 1, 13. & 5, 17. Vide etiam Esa. 1, 5. Job. 6, 7. Cur etiam hoc? etiam propter me, Christum mediatorem, qvi hæc dico, & te ô Pater cœlestis iterum alloqvor ac rogo, tunc enim, qvia mihi nihil denegas, *omnem* lectum seu *decubitum ejus mutasti in morbo* & ægritudine *ejus*, qvod Lutherus eleganter vertit, der HErr wird ihn erqvicken auff seinem Siegbette / Du hülffest ihn von aller seiner Kranckheit. Qvidam cum vulgato lat. illud הָפַכְתָּ vertunt versasti, qvod nonnulli subtilius exponunt, qvàm verius, esse magnum solatium, qvod talis fidelis ægrotus habeat ipsum Deum, qvi lectum sibi sternat, qvasi apud latinos mutare, vertere & sternere, sint synonyma, & הָפַךְ qvod hoc loco extat, & הָפַר qvod Job. 17, 13. reperitur, etiam idem planè notent, qvorum illud mutavit in alium statum, hoc paravit stratum significat. Verum solenne hoc jam est qvibusdam fingere hebræorum verborum emphases, ubi non sunt, & negligere, ubi & qvæ revera sunt.

Vers. 5.) Ut autem sciamus, & tela prævisa minus noceant, paupertas illa Christi deinceps explicatur, ubi interna tormenta, utpote graviora, externis, de qvibus v. 6. & seqq. præponuntur. Interna autem illa mala sunt animæ contristatio, & velut lethalis ægrotatio, ejusq; causa, videlicet totius generis humani peccatorum imputatio; seu exaggeratur animi ægritudo & peccati magnitudo, primaq; & acerbissima humilitatis & paupertatis species erat, qvod qvem laudant sol atq; luna, & qvem dignitas adorat angelica, & à qvo & per qvem omnia omnes homines rogant, cogatur hîc Deum humiliter pro se rogare, unde humana ratio facilè concludet.

qvod

qvod alios non posit juvare, qvi ab alio auxilium petit, & proinde non sit, qvod qvis velit in Christum credere, eiq; confidere. Sic autem infit Salvator ipse: ut præcedentem felicitatem, qvam rogavi & promisi meis fidelibus, possim parare, ego miser ad tempus fieri volui, & eam promereri, & eam ob causam *ego dixi*, ego huc me demisi & adeo me humiliavi, ut mihi clamandum fuerit in cruce, Jehova pater dilecte, *gratiam fac mihi*, & *sana animam meam*, qvæ tristis est usqve ad mortem, confirma me per angelum, ne succumbam Matth. 26, v. 37. 38. Luc. 22, 43. 44. *qvamvis* ego sim omnium maximus peccator imputativè, imò peccatum 2. Corinth. 5. ult. &, phrasi hebræa, *peccaverim tibi*, ratione officii, qvod sustineo Redemtor, non personæ, qvomodo sum integer, & peccatum nullum feci Esa. 53, 12. Confer v. 13. hujus Psalmi, & de phrasi vide qvæ dicta in Psal. 51, v. 6. & de particula כִּי adversativè explicanda in Exerc. bibl. edit. 3. pag. 182. & seqq. Qvamvis enim tu justissimus poteras à me peccatis ita obruto abhorrere, tamen rogo, miserere mei, meqve in hac ἀγωνία, anxietate ac summis animi doloribus ne desere. Sic olim reddidit Symmachus: ἰάσαι τὴν ψυχήν μου ὅτι ἥμαρτόν σοι.

Christus peccator.

כִּי i. e. *qvamvis.*

Vers. 6.) Vide verò aliam calamitatem, aliamqve paupertatis speciem. Animo & cordi certè maximè dolet, ubi pro benefactis mali messem metimus maximam, qvod mihi Salvatori hominum, proh dolor, accidit. Ego pro me & ipsis precor, illi contrà mihi imprecantur, & novum malum, qvod me exercet, est hominum ingratitudo, inimicorumqve multitudo. *Inimici* verò *mei dicunt malum* לִי id est, *de me* supra Psal. 40, v. 16. Obadj.

v. 1. & Psal. 3, v. 3. *quando* tandem *morietur*; & ita ut *pereat nomen ejus*, ut unà cum vita deleatur omnis ejus memoria, & inhibeatur atqve conticescat Evangelii prædicatio & præconium in nomine JESU Christi, cui se valdè oppoſuerunt Phariſæi, ſcribæ, hæretici, tyranni, qvi qvidvis potius poſſunt ferre, qvàm nominis JEſu celebrationem inſtitui. Potiſsimùm autem hoc dicere intelligendum eſt de λόγῳ ἐνΔιαθέτῳ ac cogitationibus, qvia de verbis & λόγωσε Φοεικῷ paulò poſtagitur.

Verſ. 7.) Qvod *ſi qvis veniebat ad videndum* ſeu ut ad me inviſeret, ſub ſpecie amicitiæ, *mendacium loqvebatur*, meditabatur, moliebatur, *cor ejus congregabat iniqvitatem ſibi*, qvia non DEO, non alii, ſed ſibi iſta faciebat, & ad ſuam explendam libidinem, & ex ſe, velut araneus telam, calumnias texebat omnemqve moleſtiam procreabat (qvomodo אָוֶן Pſal. 90, v. 10. ferè omnes probati reddunt interpretes) qvâ ægrè mihi faceret, oculos paſceret, animoqve ſuo morem gereret, *egreſſus foras*, qvæ neqve picta, neqve ſcripta, neqve dicta, neqve facta à me, *eloqvebatur*, Symmachus κατελάλει, qvaſi ego eſſem horum vel illorum reus. Qvoniam autem omnes congruunt, & ſi unum noris, omnes noveris, ac ſuperiori verſu in plurali locutus eſt Pſaltes, non malè Lutherus hunc verſum extulit: Sie kommen daß ſie ſchauen/ und meinens doch nicht von Hertzen (qvia cor ſimulat, dum meditatur mendacium) ſondern ſuchen etwas daß ſie läſtern mögen/ gehen hin und tragens aus. Vulgatus interpres ſecutus errantes more ſuo LXX. primam vocem ſeqventis verſus huc trahit, & ſimul malè vertit, dum habet, loqvebatur in idipſum, qvod ſi maximè

LXX. & vulgatus errant

xime in textu componas nullum sensum habebit יְדַבֵּר יַחַד qvùm non sit, qvo se referat יַחַד: rectiùs autem ad seqventem versum qvadrat, sicut & illum olim extulit Symmachus: ὁμοθυμαδὸν ἐμβύθιζον κατ' ἐμοῦ οἱ ἐμοὶ ἐννοοῦντες.

Vers. 8.) Qvando enim unus malus excogitavit calumniam & technas, ad alios sui similes defert: tum verò illi velut concilio facto anxiè deliberant, qvomodo qvod machinantur, conficiant, ut h.l. etiam conqveritur Salvator: *simul contra me mussitabant omnes osores mei,* συμβούλιον ἔλαβον, ὅπως ἐμὲ παγιδεύσωσιν, Matth. 22, v. 15. (Vide & confer emphatica verba, qvæ extant Luc. 11, v. 54. & 14, v. 1. & 20, v. 20.) qvum conscientia illis dictitet, non esse bona aut justa, qvæ moliuntur, palàm profari non audent, sed murmurant clanculum, יְהֻלַּחֲשׁוּ, cum magna cura hæc sacra Eleusinia celebrant, & inter se consusurrant mali. Verbum hebræum (notat Mollerus) significat exqvisitis verbis aliqvid pronunciare, sive fiat hoc ab incantatoribus sive ab oratoribus, est enim μέσον. Hoc loco igitur significat, consilia clam conferre, & accuratè omnia meditari, ac diligenter in omnes partes pensitare. Vide jam in N. T. contra Christum instituta concilia Psal. 2, v. 1. 2. Act. 4. 25. 26. 27. & habebis luculentum horum verborum commentarium. Qvorsum verò illa clandestina consilia, clancularii congressus? *contra me cogitabant, qvod esset malo mihi*, hic scopus & finis, ut per amici fallere nomen possent, & sub specie amicitiæ & bonorum titulorum nocere Matth. 22, v. 16. à qvibus aulicis herodianis utinam qvidam mali aulici illam artem non di-

יְהֻלַּחֲשׁוּ

diciſſent, ut unà cum aliis in literis commendent publicè, qvem privatim exoſum reddidere ſuis calumniis! ſed eadem agitur fabula, & contra Chriſtum Chriſtiq; ſervos ſemper conſpirant ſervi & filii diaboli.

Verſ. 9.) Qvidnam verò tandem concludunt: hoc qvod ſeqvitur. Tum dicunt & unanimi ore eunt in hanc ſententiam: calumniemur audacter, ſemper aliqvid hæret, machinæ illæ noſtræ poſſunt, qvia poſſe videntur. Dicamus illis & perſuadeamus fingentes nos hæc amore juſtitiæ, ratione officii & juramenti præſtare, prætexentes malo ſceleri bonum Zelum, illum talia commiſiſſe, ob qvæ ſit vitâ indignus, hæc ſint verba noſtra: *Res iniqviſſima*, facinus impium & ſceleratum *inhæret ei tenaciter*, non poteſt inde abſtrahi vel avelli, etiamſi eum conati fuerimus dehortari à propoſito, qvi eramus ipſius amici, tamen nobis non paruit, ſed in ſuo inſtituto illo firmiter perſtat, ideoq; etiam excuſari neqvit, non debet tegi, neqve condonari, & qvùm homines non audiebat, Dei vindictam ſentit jam miſer in hoc malum præcipitatus, *& qvia* ita divinitus dejectus, ut videtis, *decumbit*, πεσὼν Symmachus, *non amplius exſurget*, veſtrum eſt, ex officio curare, ne vires reſumat aut recolligat, ſed ut planè è vita tollatur. Ecce ita Spiritus S. omniſcius potuit ante tot annos improbos & vafros Phariſæorum, ſcribarum, Sadducæorum, Herodianorumq; conatus prævidere, ac ſi in rem præſentem tempore paſsionis Chriſti iviſſet, ubi narrant Evangeliſtæ, qvod finxerint illi ejus jurati hoſtes, Chriſtum vetuiſſe cenſum dare Cæſari, ideoq; criminis læſæ majeſtatis eſſe reum, feciſſe ſe filium Dei, & proinde blaſphemaſ-

ſe,

se, destructurum esse templum, & proinde esse publicæ pacis ac tranqvillitatis perturbatorum &c. qvæ sanè sunt דִּבְרֵי בְלִיַּעַל res iniqvissimæ & facinora ac flagitia pessima Deut. 15, 9. Psal. 101, 3. dignaq; ob qvæ tollatur Christus è medio & crucifigatur. De voce בליעל vide qvæ dicta in Psalmum 2, 3. Nah. 1, v. 11. & hinc inde probata lexica. Qvædam versio græca vetus habet, λόγῳ παραφόρῳ ἐκκέχυται ἔνδον αὐτῶ, melius utiqve qvàm vulgatus latinus, qvi pro בִּי legit בְּ, sicut & LXX. verbum iniqvum constituerunt adversum me, sie haben ein Bubenstücke über mich beschloßen. Bellarminus hoc ita excusat (qvamvis magno conatu in eo sit, ut vulgatam versionem tueatur) ut LXX. maximè accuset. Ita enim concludit: necesse enim est, ut vel hebraica lectio qvalis nunc est, ob literarum similitudinem corrupta sit (qvod ad calendas græcas probabitur, præsertim qvùm omnia optimè cohæreant, & Masora idem probet) vel septuaginta interpretes imperitissimi fuerint, qvo posteriori non Apollinis magis verum responsum, qvod ita velim intellectum, eum vel eos, qvi cuderunt illam versionem græcam, qvæ vulgò LXX. tribuitur, qvùm non sit eorum, fuisse indoctissimos. De verbo hebræo צוק consule Comm. Molleri, & de tribus versibus jam explicatis Comm. D. Gesneri.

בְּלִיַּעַל

Bellarminus

Versio LXX.

Vers. 10.) Hactenus de inimicis suis in genere egit salvator, nunc de uno præcipuo Juda, ejusq; summa ingratitudine. Sed ferendum hoc, qvod illi externi me ita prosequantur odio, illud dolendum maximè, qvod nec discipuli, domesticiq; mei à tanto scelere abhorruerint, qvod jam dicam. *Etiam* ne qvid deesset ad summam mi-

Vir pacis, seriam, *vir pacis meæ*, qvi non tantùm pacem mecum colebat, sed etiam eam meo nomine cum reliqvis discipulis ad tempus prædicabat Esa.52,v.7. Nah.1,v.15. Rom. 10,15.atq; adeò mihi intimus & conjunctissimus Psal.55, 14.& proinde pacem meam qværere debebat. Vide phrasin Jer.29,v.7. &38,4. Psal.122,v.6. Augustinus id putat innui,qvod osculo Christum prodiderit, eum vocari virum pacis,qvod non fit verisimile, qvia hîc nondum ponitur prædicatum, & qvid fecerit, sed qvalis fuerit ante proditionem. *In qvo confidebam*, cui thesaurum oraculorum concredebam, imò etiam mea bona & pecuniam Johan.12,v.6. (hæc tamen verba præcedentia Christus Σύσιτος Christi. Johan.13,v.18. non allegat) *comedens cibum meum*, tum qvia,qvod & reliqvos capere oportebat, ipse ut fur intercipiebat Joh.12,v.6. tum qvia comedit panem meum in cœna,imò me,indignè (aliàs hoc erat ipsi commune cum discipulis Christi, qvi etiam Christi panem comedebant)tum qvia comedit buccellam,qvam ipsi intinxeram, qvâ ipsum proditorem esse demonstrabam Joh.13, 26.confer Matth.26,v.23.Marc.14,v.20. Luc.22,v.21. ubi qvia etiam ita generatim describitur proditor Judas, etiam hîc illa verba, comedens panem meum, ex domesticis ac convictoribus unum σύσιτον καὶ ὁμοτράπεζον designare crediderim, qvæ est omnium simplicissima explicatio,cui tamen reliqvæ sunt subordinatæ, ille domesticus meus *sustulit adversum me calcem* ὁ τρώγων μετ' ἐμὲ τὸν ἄρτον ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὸ πέρναν αὐτοῦ, qvod loqvendi Tollere calcem. genus metaleptice significat, conatus est me proculcare, & pedibus terere, more calcitronis & refractarii equi, qvi qvò est vehementius percussurus,eò altiùs calces

ces prius extollit, qvò respicit Psaltes, qvando habet עָקֵב הִגְדִּיל עָלַי magnificavit adversum me calcaneum. Lutherus metaleptice reddidit, tritt mich unter die Füße/ & apud Johannem, tritt mich mit Füßen. Hisce igitur verbis maximè exaggeratur indignitas hujus sceleris, videlicet proditionis Judæ; nempè non erat ulla causa odii, nulla inimicitia intercesserat, nulla injuria præcesserat, vir pacis meæ erat & intimus ac ἑταῖρος, cui cum aliàs, tum etiam paulò ante cibum, imò me ipsum dederam, cui pedes humilimè laveram, qvemqve, ut caveret malum, fideliter monueram, is tamen me prodidit, vendens thesaurum incomparabilem parvulo precio, servus dominum, discipulus præceptorem, malus optimum, proditor Salvatorem, qvò nihil unqvam auditum sceleratius, nihil factum turpius. D. Brentius addit: Magna est deformitas, magna videtur imbecillitas in seligendo amico ac convictore sic hallucinari & aberrare, ut qvem arbitraris tibi ex corde favere, & cui secreta tua omnia credis, is tibi ita imponat, ut te etiam hostibus tuis prodat, & in lanienam tradat. Sed Christus hanc qvoq; deformitatem & hoc offendiculum in se suscepit, ut scripturæ, hoc est, voluntati Dei patris morem gereret, & peccata nostra, hac etiam crucis parte expiaret. Ubi etiam nota Bellarmini non est prætereunda. Hoc loco notandum est, cum dicatur Joh. 13, v. 18. ut impleatur scriptura, significari, proditionem Judæ fuisse prædictam, & adimpletam, ut prædicta fuerat, & ideò hunc locum Psalmi non fuisse citatum à Christo, ut aliqvid simile, vel commune, sed ut propriè ad hanc rem pertinentem, ut notavit S. Johan. Chrysostomus, & ideò non

Bellarmini nota proba.

non rectè facere, qvi hæc verba Psalmi ad alios sensus detorqvere conantur. Qvod etiam verum esse credo de his Sculteti verbis: Hæc adimpleri in Davide inchoatè, in Christo plenè, in Christianis continuatè. Vide qvæ sub initium dicta ex Gesnero, cujus commentarium etiam h. l. consule, & præcipuè pag. 376. illam qvæstionem, cur Christus Judam elegerit, qvem tamen proditorem fore prævidebat? optimè enim ex Cyrillo R. responder, cujus verba ibidem legi possunt. Summa est: ut angelos & homines creavit Deus integros, sed tamen tales, qvi poterant stare & labi: ut Saulem elegit, sed ei liberum (qvod ad coactionem) reliqvit perstare in pietate, vel cadere: sic etiam Judas poterat suam mentem totam in caritatem Christi collocare, qvam propria culpa convertit ad odium. Ad reliqva paulò ante responsum est ex D. Brentio Confer verò cum hoc loco, qvæ ex Mich. 7, 6. allegantur Matth. 10, v. 36. ἐχθροὶ τῦ ἀνθρώπυ οἱ οἰκιακοὶ αὐτῦ.

Q.

Vers. 11.) Vidimus qvandam malorum, qvæ Christo patienti obtigerunt, interiorum & exteriorum enarrationem: seqvitur nunc eorum remedium, ad qvod etiam suprà confugerat Salvator v. 5. nempè oratio, cui adjuncta est respectu hostium comminatio v. 11. & gratulatio de certa exauditione v. 12. 13. In oratione petuntur hæc duo: Christi in malis conservatio, & post ea superata ex mortuis resuscitatio, atq; ita inter se opponit inimicorum fraudes, de qvibus hucusq;, & Dei laudes v. 14. illorum technas, & suas preces atq; Dei vires. Calumnientur, insidientur, tùm amici, tùm inimici, tu Deus Pater solus sufficis ad omnium conatus infringendos

Oratio Christi.

dos, tu consilia eorum dissipa, me salva & ex mortuis excita. *At tu, Jehova, gratiam fac mihi, & exsuscita me*, ex mortuis me in vitam revoca. Qvia enim stat illa sententia, moriendum mihi esse, pater optime,

hoc sentis? moriar, mors ultima linea rerum est, qvas perpeti debeo, postea verò scio secuturam esse meam gloriam, ubi etiam meam animam ipse resumam, & templum, qvod destruxerunt, in triduo ædificabo Joh. 10, 18. & 2, 19. 21. & proinde, qvia Deus verus sum, tibi consubstantialis & ὁμοούσιος, seqventia etiam jure dicere qveo, excita me, *ut rependam illis* meis inimicis corrigi nesciis, qvia mea, qvippe Dei veri, est vindicta, & pro justissima mea ira hæc dico, qvi sum severus in justitiæ pertinacis & scelerum vindex Deut. 32, v. 35. Rom. 12, 19. ut vel hinc pateat de Davide, aut alio homine hæc dici non posse, qvamvis Piscator putet, hæc ita posse conciliari, puniam eos, ut magistratus, id qvod videtur intelligendum de remotione ex aula, non de graviore aliqva pœna, qvia sanguinaria eorum consilia erant occulta. Et alius: David ut Rex, Propheta & Christi typus vindictam exeqvi potuit. Hoc autem postremum comma, prioribus jam expletis ita impletum qvoq; est, ut totus orbis cohorruerit. Nam initio proditor Judas miserrimè pependit: Pontifices, Pharisæi, & reliqvi id genus inimici Christi non solùm ejecti sunt ex avitis in hac terra possessionibus, & immanissimè tractati, verùm etiam exhæredati sunt unà cum posteris suis, ex omnibus cœlestibus bonis, ut non sit ulla gens vel majori hominum odio exposita, vel gravioribus maledictionibus obnoxia, uti scribit D. Brentius.

christi hostes persunt.

Vers. 12.) Hoc igitur Pater cœlestis si feceris (facturum te esse, omninò meus mihi præsagit animus) & tui laudandi apud alios, & inimicis dolendi materiam præbueris. *In hoc* seu per hoc, vel etiam hac re, qvod non passus es videre tuum sanctum corruptionem Psal. 16, 10. *cognovi*, imò potiùs cognoscere alios facio (ita enim h. l. materia subjecta exigente verbum יָדַעְתִּי explicandum esse videtur, qvemadmodum etiam Gen. 22, v. 12. ubi Jehova de Abrahamo, nunc cognovi, inqvit, postqvam voluisti Isaacum ad meum mandatum mactare, id est, cognoscere alios feci, iisq; tuam erga me obedientiam, qvæ hactenus mihi omniscio satis erat cognita & perspecta, patefeci, ut & illi scirent, qvo respectu Jacobus c. 2, 21. scribit, Abrahamum tum ex operibus esse justificatum, hoc est, talem coram hominibus declaratum ibid. v. 18. 20. 22. Vide hæc sequentia loca, & expende num in iis similiter verbum יָדַע dupliciter activè usurpetur Exod. 2, 25. & 3, 19. Deut. 8, 2. (confer Deut. 13, 3.) Psal. 100, v. 3. Hos. 2, 8. Rom. 2, 18. vide v. 20. ibidem. Joh. 5, 42. qvò etiam pertinet, qvod hoc metaleptice indicetur, qvoties noto hebraismo Deus dicitur nosse justos, id est, approbare, re juvare, defendere, tueri. Ita enim ex læto hoc successu & mirabili Dei protectione agnoscunt alii Psal. 1, 6. in qvem locum vide, si placet commentarium) qvando me resurrectione ex mortuis filium tuum esse satis apertè declarasti Rom. 1, 4. Eph. 1, v. 20. *qvod fueris me delectatus* כִּי חָפַץ בִּי, vide qvæ cùm alibi, tum supra in v. 9. Psal. 22. dicta, Lutherus, daß du Gefallen an mir hast/ *qvum non clanget* aut triumphabit *de me inimicus meus*, velut victor canens ἐπινίκιον, qvi erat fortis ille armatus &

Cognosco i. e. nosse facio. Gen. 22, 12.

יָדַע i. e. notum facio

ἐχ-

ἐχθρὸς ac שָׂטָן, diabolus Hebr. 2, v. 14 qvem ego exspoliavi, victum palàm traduxi, & de illo triumphavi Col. 2, v. 15.

Vers. 13.) Interea spei bonæ plenus animum in malis meis non despondeo. *Nam ego* seu de me, vel me qvod attinet, (hebraicè אֲנִי, ubi nominativus absolutè positus habet emphasin, vide Comm. in Hos. c. 9, 11. & Buxt. thes. l. 2. c. 10. in ultima specie ellipsis. Et hanc ipsam phrasin reperies Psal. 69, 14. & 73, 28.) *in integritate* seu innocentia mea, qvæ in ipsa passione à multis, etiam inimicis est comprobata Juda ipso, Pilati uxore, Pilato, Herode, Latrone, Centurione & aliis, *sustentabis me*, & qvando me in conspectu hominum ad breve tempus humiliasti, coram te in æternum exaltabis, *& restitues me coram te æternum*, collocabis, imò sedere ac stare facies ad dexteram tuam in auxilium piorum afflictorum Luc. 2, v. 34. Actor. 7, v. 56. hæc enim vi oppositionis sonant de ipsa ascensione & collocatione Christi hominis ad dextram Patris.

Vers. 14.) Pro his autem omnibus immensa gloria, infinitum decus, perpetuusq; honor ab Ecclesia tibi reddetur, & ego caput ejus jam verba præeo, imò hoc præscribo: *Benedictus Jehova DEus Israelis* (confer exemplum Zachariæ in Nov. Test. Luc. 1, 68. & Pauli Eph. 1, 3.) qvi dedit Abrahamo & Israeli seu Jacobo, eorumqve posteris & filiis fidelibus omnibus promissionem de venturo Messia, eamq; suo tempore complevit, Deus laudetur ab omnibus piis ob hoc semper & constanter, firmissimè, sanctissimè, *à seculo usq; in seculum Amen & iterum Amen*, ubi geminatio indicat animi fervorem, & ipsum

DEum benedictum.

nomen hebræum verum, firmum, fixum, ratum, unde non malè sensum expressit vulgatus latinus interpres, qvum vertit, fiat, fiat. Et hic est Psalmi, imò totius libri primi Psalmorum finis, qva dere in prolegomenis in Psalterium.

Loci Communes.

Deus eripit suos è malo,

Ex vers. 2. *Tempore mali liberabit eum Jehova.)* Deus novit suos pios ex tentatione liberare 2. Petr. 2, 9. & cum malis evasionem præstare 1. Cor. 10, 13. & qvia nullum majus malum est, qvàm æternùm damnari, potissimum Christus redemptor in extremo die suos fideles eripiet ex omni malo.

servat,

Ex vers. 3. *I. Jehova servabit eum.)* Deus est servator omnium, maximè fidelium 1. Tim. 4, 10. Vide qvæ superiùs dicta ad Psal. 16, 1.

eruit.

II. Et vitæ restituet eum.) Deus sæpè pios ad nominis sui gloriam ex præsentissimo vitæ periculo eruit, qvod exemplis suis multi sancti Noachus, Lothus comprobant. Vide qvæ superiùs allata in Psal. 22, 5. 6. & adde exempla superioris seculi qvædam illustria Lutheri, Grynæi, Brentii, Mylii & c. de morbo autem qvùm hic potissimũ agat, adde exemplum Hiskiæ Esa. 38. & multorum sub initiũ N. T. à Christo & Apostolis vitæ restitutorum.

Beati pii.

III. Beatus reddetur in terra.) Pietas habet promissiones hujus & futuræ vitæ 1. Tim. 4, 8. Hæc tamen piorum in terra beatitudo non est carnis judicio æstimanda, sed fidei oculis spectanda, qvia etiam in malis illis benè est 1. Petr. 3, 14 qvia bonus animus, id est, conscientia pacata adjuvat Prov. 15, 15. ita Stephanus protomartyr raptus ad mortem,

ibat

ibat ovans animis & spe sua damna levabat; ita Lazaro pio Luc. 16. nil cum erat, nil tamen deerat. Confer 2. Cor. 6, 4. & potissimùm v. 8. 9. 10.

IV. Et ne tradas eum desiderio inimicorum ejus.) Hæc verba duo nos docent: prius, qvod Christi intercessione apud Patrem omnia bona piis, qvippe qvi & ipsi nil merentur, nisi iram, si cum ipsis agendum esset secundum justitiam Dei severam, contingant. Is enim h. l. Patrem suum pro unoqvoq; credente ita alloqvitur, ne tradas eum &c. Tu ergò Jesu Christe pervigil protector tuorum etiam ne hoc tempore nos tradas libidini inimicorum nostrorum! posterius, qvod Deus metas ponat impiis, qvousqve eos ruere velit permittere. Ita olim dicebat de Sennacheribo Esa 37, 33. non est ingressurus in civitatem hanc. Et adhucdum hodie non possunt hostes Ecclesiæ tantum qvantum volunt, sed sunt tantùm Dei virga Esa. 10.

Christi intercessio.

DEus metas ponit,

Ex vers. 4. *I. Jehova sustentabit eum.)* Qvemadmodum architectus ruituram domum (qvæ est verbi hebræi emphasis) fulcro stabilit, & à lapsu immunem servat: sic Deus creator est noster conservator, & si alia desint vel adhibere ipsi non placeat, manum supponit Psal. 37, v. 24. Alii referunt simile à scipione vel puero, qvo nituntur infirmi, ubi mireris, Deum summum se ita demittere ad tam vilia officia, qvibus tamen ipse non magis decoratur, qvàm sol etiam vilissima fovens suis radiis.

suos sustentat,

liberat.

II. Mutat decubitum ejus.) Solius DEI dextra vertere & mutare cuncta potest mala Psal. 77, 10. de qvo dicto plura in Exerc. bibl. edit. 3. Hæc autem omnia promissa tum demum complentur corporaliter, ubi Deo visum,

sum, ad ejus gloriam facit, homini ipsi prodest &c. ideoq; sunt ut alia de corporalibus intelligenda cum exceptione crucis, & certè, qvem Deus hìc non liberat à malo, eum redimit ab omni angustia in morte, ubi servat diligentissimè minutissimos qvoq; pulveres Job. 19, 26. 1. Cor. 15, 53. 54. & in extremo die eum vitæ æternæ restituit, ibidem in toto capite, beatumq; reddit in cœlis, nec tradit eum infernalibus tortoribus, & omnia tristia lætis commutat.

Ex vers. 5. *I. Ego dixi.)* Christus in diebus carnis suæ preces & supplicationes fudit ad eum, qvi poterat ipsum salvare & exauditus est Hebr. 5, 7. illum imitemur, qvia per eum exaudiemur.

II. Sana animam meam) Fons omnium malorum est peccatum Rom. 6, 23. ideoq; hic modus precandi est optimus, qvando de causa malorum tollenda prius sumꝰ solliciti, exemplo Davidis, præcipuè in Psalmis pœnitentialibus. Vide exemplum in sanatione paralytici Matth. 9, v. 3, &c.

Odium. Ex vers. 6. *Inimici mei dicebant malum de me.)* In foro soli valet illud, cogitationis pœnam nemo patitur, sed in decalogo & hinc inde qvàm maximè prohibetur odium proximi, & apud Johannem 1. Epist. 3, 15. ac Matthæum c. 5, 22. inter species homicidii recensetur.

Mali politici. Ex vers. 7. *Si qvis veniebat ut inviseret &c.)* Egregiè hic hypocritarum, falsorum amicorum, & uno vocabulo dicam, malorum politicorum natura depingitur, qvibus mellea verba, fellea corda, vox Jacobi, manus Esavi, qvi ut à nobis possint à veris amicis, qvorum magna raritas, dignosci & caveri, rogandus est Deus,

qvem

qvem non fallunt animi sub vulpe latentes
introrsum turpes specioſi pelle decorâ.

Ita Salvator etiam in ſtatu humilitatis noverat, qvid eſſet in unoqvoq; homine Joh. 2, 24. 25. & Judæ oſculum, qvod portendebat, è veſtigio oſtendebat Luc. 22, v. 48. Paulus Simonis Magi politici vaferrimi ingenium ita deſcribebat Act. 8, 23. Video te in amaritudine fellis plena verſari & iniqvitatis vinculis conſtrictum eſſe. Inſpice ea qvæ h. l. habet D. Geſnerus p. 376. b.

Improbi.

Ex verſ. 8. *Simul contra me muſſitabant.)* Conſidera hîc, qvomodo, ubi animus impiorum ſemel cupiditate ſe devinxit mala, ipſi ſemper in pejus proficiant, de malo in malũ procedant Jer. 9, 3. nec qvieſcant, donec alios ſui ſimiles ſecum in communicationem mali pertraxerint. Hinc tot pravorum conciliabula, tot ſuſurronum collegia, tot calumniatorum conventicula, tot illuſorum ſubſelliaPſ. 1, 1.

Magnates non credant calumniis.

Ex verſ. 9. *Res iniqviſſima inhæret ei.)* Diſcant vel ex hoc verſu judices ad exemplum Alexandri M. abſenti reo καθαρὸν ἂς φυλάτ]ειν καὶ ἀδιάβλητον, neq; ſtatim credere omnibus forenſibus calumniis: & calumniis oppreſsi in aulis & alibi ſolentur ſe hoc Chriſti exemplo, juſtoq; Judici rem committant, qvi tandem innocentiæ prȩclarum perhibebit teſtimonium, qvando non amplius valebunt aſtuta delatorum verba, ſed pura corda, non marſupia plena, ſed conſcientia bona. Sæpè tamen etiam in hac vita illos κατοτέχνες καὶ κακὰ τεύχοντας ſpes ſua fruſtratur, qvando aliqvem dejecerunt non fore, ut reſurgat, ſicut h. l. etiam Chriſti exemplum probat. Ergo poſsideant pii in patientia animas ſuas, dabit DEus his qvoqve malis finem, & contra (niſi reſipuerint) illis machinatoribus cum Achitophele vel Juda funem, aut cum Sau-

Saule gladium vel cultrum, qvia æqvum est apud Deum justum sæpè etiam in hac vita necis artifices arte perire suâ.

Erigat Lutheranos Lutheri exemplum, qvi toties hinc inde in aulis delatus, violenter tamen non fuit sublatus, unde de malis aulicis ita canit ille germanorum Cicero & Virgilius, germanicè sub finem Tomi 2. Islebiensis.

Mali aulici.

Canticum de Aulis.

Im Thon / Ein leppisch Mann / D. M. L.

1. WEr sich nimmt an
Vnds Rädlein kan/
Hüpschs auff der Bahn
Kan umbher gahn/
Vnd schmeicheln schon/
Sind iederman
Ein Feil und Wahn/
Der geht zu Hoff ietzt oben an.

2. Denn wer gedecht
Zu leben schlecht/
Gantz fromm und grecht/
Die Warheit brecht/
Der wird durchecht/
Vnd gar geschwecht/
Gehöhnt und gschmecht/
Vnd bleibt allzeit der andern Knecht.

3. Beym Schmeichelstab
Gwinnt mancher Knab/
Groß Gut und Hab/
Gelt/Gunst und Gab/
Preiß/Ehr und Lob/
Stöst andre rab/
Daß er hoch trab/
So geht die Welt ietzt auff und ab.

4. Wer solchs nicht kan
Zu Hoffe than/
Thu sich davon/
Jhm wird zu Lohn
Nur Spott und Hohn/
Denn Heuchelmann
Vnd Spötter-Zahn
Jst ietzt zu Hoff am besten dran.

D. Mar-

D. Martini Luthers Hofeverſch.

INtus qvis? Tu qvis? aperi. Qvid qværis? ut intrem. Fers aliqvid? Non: eſſo foras. Fero qvid, ſatis? intra.

Ex verſ. 10. *Etiam vir pacis meæ, comedens panem meum &c.*) Vides non novum eſſe, domeſticos eſſe ſuis heris, convictores qvosdam ſuis hoſpitibus, diſcipulos præceptoribus &c. ingratos atq; infideles; habuerunt illi, unde diſcerent, diabolum à Deo ſanctum angelum creatum, Achitophelem ad dignitatem evectum, Judam Apoſtolum electum, Tzibam ex heri ſui bonis victitantem. Jeremias jam ſuo tempore in genere conqveſtus eſt de tanta hominum infidelitate cap. 9, 4. 5. eamq; ſi qvi alii ſentiunt, benè meriti de multorum ſtudiis non effugiunt, ſicuti in Agricola aliisq; expertus eſt D. Lutherus ut non ſit mirum, ab aliis idem mundi præmium hodiè ſuis reddi præceptoribus. Horſum tamen non referimus, qvando meliora ex verbo Dei in Theologia, aut in aliis qvoq; facultatibus vel artibus & veriora iis, qvæ tradidit ſuo tempore præceptor, invenire & probare poteſt non degener diſcipulus, dummodo ea oſtendat ſine acerbitate ac malevolentia, abluat nævos aqvâ, non aceto.

Ex verſ. 11. *Exſuſcita me, ut rependam illis*) Chriſtus verus DEus poteſt vindictam ſumere de ſuis hoſtibus, qvia eſt terræ judex, & omniſcius, jam ante cognitum & perſpectum habens, qvi nam ſint in ſua mali-

tia ad finem perstituri. Simul autem indicatur, maximè punire Christum contemtum sui verbi, & beneficiorum in verbo oblatorum ac morte ac resurrectione partorum, dum his suis inimicis comminatur retributionem.

Deus liberat Ex vers. 12. *Hac re scient alii, qvod me delectaris)* Miranda ex malis à Deo præstita liberatio divini amoris est argumentum certissimum: non tamen contrà est odii divini indicium, qvando ex malis Deus non redimit, prout petimus: exaudit enim sæpè ad sanitatem & utilitatem, rarò ad voluntatem & voluptatem nostram.

Christi resurrectio. Ex ipsa autem Christi resurrectione maximè piis est probatum, tum qvod passus sit innocenter, tum qvod à Patre dilectus sit constanter, tum qvod diabolum, infernum & alios hostes spirituales devicerit potenter 1. Cor. 15.

Christum mortuum Ex vers. 13. *I. Me sustentabis in integritate mea)* Christus, qvi in se non noverat peccatum, in cujus ore ne qvidem inventus erat dolus, factus est pro nobis peccatum, & pro nobis est passus 2. Cor. 5. Es. 53. Rom. 4. Et qvia resurrexit ad vitam, nos qvoq; secum in baptismo sepultos vult in novitate vitæ deinceps ambulare, & vitæ innocentiæ studere Rom. 6. 1. Pet. 2.

& resurrexit. *II. Restitues me coram te in seculum.)* Hinc qvoqve probari potest gloria infinita Christo-homini data, in primo conceptionis momento, sed qva ob οἰκονομίαν in passionis opere necessariam voluntariè se hactenus abdicaverat, Phil. 2. plenariè respectu χρήσεως seu usurpationis manifestata est demum in ascensione & sessione ad dextram Dei Patris. Ad summam. Est qvidem una Chri-

Christi exaltatio, sed discrimen respectu graduum usurpationis gloriæ.

Ex vers. 14. *Benedictus Jehova DEus Israelis.)* Deus verus est laudandus ob suum gratuitum nobiscum initum fœdus, jugiter, fideliter, omni tempore, omni ratione ac modo, præcipuè qvod miserit, qvod patribus promiserat, semen benedictum, à qvo æternum gaudium nobis paratum. Illi sit honor & gloria in sempiterna secula Amen. *Deus est laudandus.*

Enarratio
PSALMI SEXAGESIMI NONI.

Joh. 2, 17.

Ο ζῆλος τῦ ὄικυ συ κατέφαγέ με.

Joh. 15, 25.

Ινα πληρωθῇ ὁ λόγος γεγραμμένος ἐν τῷ νόμῳ αὐτῶν ὅτι ἐμίσησάν με δωρεάν.

Rom. 15, 3.

Οι ὀνειδισμοὶ τῶν ὀνειδιζόντων σε ἐπέπεσον ἐπ' ἐμέ.

Joh. 19, 28.

Ινα τελειωθῇ ἡ γραφὴ, λέγει, Διψῶ.

vers. 29.

Σκεῦος ἔκειτο ὄξυς μεστόν· οἱ δὲ πλήσαντες σπόγγον ὄξυς, καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες, προσήνεγκαν αὐτῦ τῷ στόματι.

Rom. 11. v. 9.

Γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν εἰς παγίδα, καὶ εἰς θήραν καὶ εἰς σκάνδαλον, καὶ εἰς ἀνταπόδομα αὐτοῖς.

vers. 10.

Σκοτισθήτωσαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν τοῦ μὴ βλέπειν, καὶ τὸν νῶτον αὐτῶν διὰ παντὸς σύγκαμψον.

Actor. 1, 20.

Γέγραπται γὰρ ἐν βίβλῳ ψαλμῶν, γενηθήτω ἡ ἔπαυλις αὐτοῦ ἔρημος, καὶ μὴ ἔστω ὁ κατοικῶν ἐν αὐτῇ.

Argumentum.

PAssionis suæ Christus aliqvam luculentam ἐξήγησιν hîc tradit, & ferè ad eum modum, qvem in Psalmo 22. servabat. Postqvam enim periculi & perpessionum suarum magnitudinem insignibus metaphoris & verbis propriis, hostiumqve suorum multitudinem & iniqvitatem exaggeravit, tum pro suorum fidelium, tum pro sua ipsius salute humiliter supplicat ita ardenter & constanter, ut vix verba, qvibus animi sui desiderium exponat, suppetant. Hunc tamen piissimum ejus conatum ex malitia multorum hominum seqvitur hoc eventum, ut ipsi omnia ludificentur atq; in partem pejorem rapiant, & ubi possunt, nocere huic suo salvatori cupiant. Qvâ diabolicâ neqvitiâ permotus justo zelo pœnam divinam iis propterea graviter denunciat, & contra suam ex istis malis liberatus, Ecclesiæq; inde ædificatæ gratitudinem Deo promittit, & bona ad Ecclesiam hinc redundatura indicat, ut facilè patet, si qvis ipsum Psalmum accuratius inspiciat, & paulò antè Evange-

angeliſtarum atq; Apoſtolorum allegationes in N. Teſt. appoſitas conſideret.

Eò magis verò reprobamus Rabbinorum Judæorum (de qvibus para l. 65. l. 1. Junius: proprium hunc Pſalmum Davidis fuiſſe judæi putant, & contendunt vehementiſsimè, qvia hac ratione videntur ſibi luculenta de Chriſto ſalvatore noſtro teſtimonia eludere, qvibus hic Pſalmus tàm circumfluit, qvàm qvi maximè) & Calvini nimis Judaizantis opinionem, hunc Pſalmum de Davide tantùm loqvi: nec multò meliùs ſentire dicimus Tremellium ac Junium, qvod David Chriſti typus, Chriſti & Eccleſiæ nomine hæc dicat, Apoſtoli verò accommodent: à qva ſententia non multùm abit Mollerus, Scultetus & Piſcator, qvi qvando ſcribit: orat in eo tum Chriſtus, ſuo ipſius argumento, qvod in initio explicationis Pſalmi 16. ſuprà vidimus, tùm ipſe, tùm reliqvi illi refutandi ſunt, nec negligendum eſt illud, qvod nobiſcum contra Pontificios urgent Calviniani, unius loci unum eſſe ſenſum. Jam verò qvis eſſet adeò audax, ut Evangeliſtas & Apoſtolos ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερομένους verum ſenſum non eſſe aſſecutos, velit aſſerere? illi autem qvùm de Chriſto unicè hæc explicent, hanc teſtium tam veracium nubem negligere nobis eſt religio. Theodoretus & Euthymius imprecationes inſertas de captivitate Babylonica Judæorum exponunt: ſed illum refutat Auguſtinus, cum potiùs aliò ſint referendæ teſte Petro Act. 1.

Judaorum.

Calvini.

Tremellii.

Molleri & aliorum Calvinianorum explicatio reſicitur.

Analyſin Pſalmi hanc damus. Partes Pſalmi ſunt tres. I. ardentiſsima precatio v. 2. II. Vehementiſsima imprecatio v. 23. III. promiſſa debita gratiarum actio

Analyſis. partes tres.

1. Precatio. actio v.30. In precatione orat cum pro suis fidelibus v.7. & pro se, brevius v.2. sub initium, & prolixius v.14. & seqq. causæ partim antecedunt, partim sunt insertæ, partim seqvuntur. Post prolepticam propositionem verbo indicatam sub initium v. 2. priùs exponuntur causæ, ob qvas æqvum sit, Christum exaudiri & servari. Eæ desumuntur à persona (1) supplicis in summo vitæ periculo constituti, qvod declaratur metaphorâ ab eo desumptâ, qvi in profundissimam aqvarum voraginem incidit v.2.3. & adjunctis v. 4. (2) adversariorum, qvi sunt multi, injusti, potentes, v. 5. (3) Dei, qvi novit, cur hæc patiatur v. 6. Insertæ sunt hæ causæ, qvæ petuntur à supplicis pietate in DEum, caritate in homines, & adversariorum summa impietate in ipsum, qvæ inter se conferuntur. Pietas in Deum probatur, dum propter ejus mandatum sustinet ignominiam v. 8. ac ἀφιλίαν v.9. summoqve zelo qværit Dei gloriam v. 10. Caritas in homines, & adversariorum iniqvitas per antithesin eluceſcunt. In Christo, qvod ad victum, videas jejunium v.11. qvod ad amictum, cilicium v.12. contrà in adversariis opprobrium v.11. dicterium v.12. tam publicè qvàm privatim factum v. 13. Ipsa autem oratio qvod sit ardentissima, liqvet, qvia octo vicibus aliis atqve aliis verbis postulatum suum, qvo se eripi rogat, repetit v.14.15.16.17.18.19. & brevissimè etiam hìc causas qvasdam, nempè Dei benignitatem v. 14. & 17. & veritatem sub finem v.14. suæ miseriæ magnitudinem v. 15. 16. 18. & inimicorum improbitatem v. 19. immiscet. Causas tandem subjungit has, qvas antea qvidem indicavit, hìc tamen, qvia sunt urgentissimæ, repetit, & ad seqven-

tem

tem partem sibi aditum facit, videlicet (1) appellat Dei conscientiam tum de sui afflictione, tum hostium affligentium molitione v. 20. (2) explicat suæ miseriæ vehementiam v. 21. (3) hostium summam neqvitiam synecdochicè declarat v. 22.

II. Imprecatio.

Imprecatio continet & pœnas & pœnarum causas. Pœnas denunciat spirituales & corporales: & illas qvidem temporales & æternas. Spirituales sunt partim privativæ, dum negatum iri eis asserit verum animi solatium v. 23. rectum consilium & auxilium v. 24. partim positivæ, ut iræ Dei effusio, & ab omni parte conclusio v. 25. corporales, desolatio & posteritatis sublatio v. 26. (ubi inseritur causa v. 27.) temporales in injustitiam traditio, & justitiæ veræ denegatio v. 28. æternæ, videlicet condemnatio v. 29. Gratiarum actio (1) præmittit ejus occasionem, videlicet qvod pauperem se DEus eripuerit v. 30. & (2) promittit laudationem, tum de se v. 31. amplificat per comparationem sacrificiorum V. T. v. 32. tùm de fidelibus sanctis v. 33. tùm de rebus inanimatis v. 35. (3) causarum recensionem, non omittit Dei in exaudiendis suis promptitudinem v. 34. & Ecclesiæ conservationis certitudinem v. 36. 37. D. Gesnerus primam partem subdividit in qverelam & orationem, atqve ita qvatuor Psalmi partes constituit.

III. Gratiarum actio.

Pars Prima.

Vers. 1.) Titulus Psalmi hujus (sicut & 45. & 80.) hebraicè ita sonat:
לַמְנַצֵּחַ עַל־שֹׁשַׁנִּים לְדָוִד hoc est *præfecto musicorum*

corum super schoschannim (Psalmus) Davidis, ubi primum & ultimum vocabulum alibi prolixè declarata nil difficultatis habent (vide Psalmi 3. 4. 40. & aliorum explicatorum titulos) intermedium verò variè à variis redditur. Sunt qvi putant fuisse principium vulgaris cantilenæ, ad cujus modulos hic & alii hoc titulo insigniti fuerint decantandi, sicqve non absimile vero videtur Mollero. Verùm hoc supra in titulo Psalmi 22. & alibi est refutatum. Alii existimant denotari eo nomine instrumentum musicum, qvo fuerint cantandi hi Psalmi, & illi qvidem in duas abeunt sententias. Qvidam censent dici illud à liliis seu rosis, ipsi instrumento incisis, ut hodie videre est in citharis, testudinibus, panduris &c. sic etiam cum aliis sentit D. Gesnerus. Qvidam verò arbitrantur hexachorda denotari, ut aliàs fit mentio שְׁמִינִית, עָשׂוֹר: Ita Tremellius & Junius, qvod tamen nimis longè petitum esse jam credo, licet olim in alia fuerim sententia. Vide titulum Psalmi 6. Nam licet שֵׁשׁ significet sex, tamen non item שׁוּשַׁן vel שׁוֹשַׁן, qvorum nominum constans significatio est lilium. Et usitatius est, ut talia instrumenta musica elliptice in fœminino, qvàm masculino genere denotentur, vide Psalmi 4. 5. & 8. titulos, tam in singulari, qvàm plurali numero. LXX. suo more, pro hac voce legerunt שְׁשׁוֹנִים dum vertunt, ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων, qvod multis modis vitiosum, tum qvia esset Benoni ac præsens, tum qvia ita trajicerentur literæ. Nec melius vulgata latina versio, super his qvi commutantur. Hactenus puto hos posteriores rectam instare viam, qvod hac voce putent denotari objectum, de qvo in Psalmis his aga-

שׁוֹשַׁנִּים
qvid notet?
1.
2.
3.
4.
5.

agatur. Ex omnibus ergò aliis (salvo meliùs sentientium judicio) maximè se jam mihi probat D. Bugenhagii Pomerani explicatio, *super liliis*. Verùm qvid illa ad hæc sacra? sacra sunt & ipsa, & in paradiso Dei optima. Qvænam illa? illa scilicet, de qvibus in Cantico Canticorum hinc inde, nempe de Christo Ecclesiæ sponso, qvi Cantic. 2, 1. de se ipso dicit: Ego flos campi & lilium convallium: & Ecclesia, Christi sponsa, de qva vers. 2. ibidem, sicut lilium inter spinas, sic amica mea. Optimè ita explicatus hic titulus qvadrat Psalmi 45. & hujus argumento, nec malè etiam, si qvis penitiùs introspiciat, Psalmi 80. dixerim etiam, ubi extat singulare, Psalmi 60. nam & in illis de Ecclesiæ protectore ac ipsa agitur. Confer qvæ prolixè in Canticum Canticorum hinc inde de his liliis spiritualibus tradunt interpretes, tum etiam qvæ habentur Com. in Hos. 14, v. 5 p. 489. expendantur etiam alia loca biblica, 1. Reg. 7, v. 19. 22. 26. Cantic. 2, v. 16. & 4, 5. & 5, 13. & 6, 1. 2. & 7, 2. & qvæ jam hìc desunt, inde petantur, saltem addatur: Qvemadmodum liliorum nostrorum radix vergente æstate se abscondit altè in terram: sic Christus & Christiani post æstum afflictionis paulisper in terra qviescunt: & ut lilia vere appetente redeunt & conspiciuntur: sic appropinqvante vere resurrectionis illi. Vide etiam Drus. l. 12. obs. c. 8. & nota, qvod jam olim hunc titulum verterit Symmachus in genere, pro floribus: Aqvila & Theodotio, lilia. Sic apud Græcos ex hoc hebræo lilium etiam vocatur σῶσον, & oleum inde confectum σώσινον. Nec illud silentio præteriri debet, qvod Susa metropolis Persiæ à copia liliorum, & Susanna nomen proprium

Lilia sacra.

mulierum, in adject. Dan. c. 14. Luc. 8, 13. à pulchritudine sit dictum. Si qvis tanti putat, consulat etiam, qvomodo Bellarminus incrustet suam versionem in titulo Psalmi 45. & hìc sub finem: de cujus glossa h. l. non malè usurpes illud vulgatum, καλῶς τρέχει, ἀλλ' ἐκτὸς ὁδοῦ. Manum de hac tabula: rem ipsam videamus.

Bellarmini expositio.

Vers. 2.) Et rectè, qvia statim sine ullis ambagibus rem ipsam aggreditur Salvator, & se salvari in malis maximis constitutum sedulò orat, sicut etiam in Psalmo 16, 22. 40. superiùs vidimus. Ubi non possum non probare illam Bellarmini observationem, à qva suam expositionem hujus Psalmi inchoat. Passio (inqvit) Domini nostri Jesu Christi in Evangeliis ita describitur, ut non multa dicantur de vehementia doloris ejus. Voluerunt enim Evangelistæ declarare, passionem illam fuisse voluntariam, & summa constantia toleratam à Christo. Sed qvoniam oportebat etiam, ut mundus intelligeret, acerbitatem doloris in Christo fuisse maximam, atq; inde colligeret, qvantum debeat Redemptori: ideò Spiritus S. hanc doloris vehementiam multò antè Prophetis revelavit, ac per eos, ut testes fide dignissimos, & ab omni adulatione alienos, scribi voluit. Itaq; multa de hac re scripsit Esaias, multa Jeremias, sed nullus plura, qvàm David. Hæc ille, qvæ verissima esse probat vel hic unicus Psalmus, in qvo exaggerat suas passiones non sine causa Salvator, adeò ut hinc inde in toto Psalmo occurrat iteratio, commoratio, interpretatio, expolitio ἓν διὰ δύο. Hoc versu notes illa duo, postulationem seu orationem, serva vel *salva me DEus* Psal. 16, v. 1. & 22, 21, 22. salutem affer & præsta hoc misero tempore Salva-

Observatio Bellarmini proba.

tori

tori mundi, & ejus rationem ſtylo ſcripturæ (ubi aqvæ notant calamitates) metaphoricè adjectam vide in Pſal. 32,6. & 130,1. & 124,3. &c. *qvia perveniunt aqvæ usqve ad animam*, in ſummo vitæ diſcrimine verſor, ut ii, qvi jam jam merguntur, in aqvam profundam delapſi, fluctus tribulationum me ita oppreſſerunt, ut de vita pericliter, & jam jam aqvæ ipſæ os ingreſſuræ me ſuffocabunt, animamqve ſeu vitam eripient, ſicut nos dicimus, das Waſſer gehet mir über die Körbe / ſenſusq; eſt, Triſtis eſt anima mea usq; ad mortem Matth. 26,38. ſenſu iræ Dei & æternæ damnationis premor graviſsimè, & torrentibus Belial ferè obrutus ſum, Pſal. 18,5.6. Chaldæus aqvas h. l. interpretatur caſtra peccatorum, pro ſubjecta materia ſanè benè, qvia hinc illæ aqvæ & lachrymæ, qvod peccata totius generis humani ipſum premebant velut onus graviſſimum Eſa. 53.

Verſ. 3.) Eadem uberiùs exponit his verbis: *Demergor in cœnum profundiſsimum* טִבְעָתִי vide Comm. in Pſal. 9,16. *& non eſt conſiſtendi locus* וְאֵין־מַעֲמָד propriè, non ſuſtentatus ad ſubſiſtendum, vulgatus latinus interpres, non eſt ſubſtantia, qvod mirè exponit Auguſtinus. Vide Comm. Geſneri. Bellarminus huc trahit, non eſt fundamentum vel fundus, ὑπόστασις, ubi ſubſiſti poſsit. Unde Buchananus:

Pes neqvit in molli veſtigia figere limo.
Immerſus ſum in infinitas voragines, & non eſt ſtatus, Lutherus, Ich verſincke im tieffen Schlam / da kein Grund iſt / ubi qvo magis ſe qvis expedire nititur, eò magis implicatur ac mergitur, *& mox ingredior* ſeu devenio *in profunditates maximas aqvarum* Pſalm. 130, v. 1. *etiam fluentum*

tum inundans die Flute oder Strom / *abripit me*, præcipitem me in imum maris gurgitem dedit: qvæ est verbi hebræi שִׁטְּפָה emphasis, neq; etiam שִׁבְלֵי notat tempestatem, uti vertit vulgatus latinus interpres. Non inutiliter, dum id debito fiat modo, conferri possunt hâc in parte cum Christo Jeremias cap. 37. & 38. & Jonas c. 1. ille in foveam limosam, hic in mare conjectus. Confer etiam Psal. 40, v. 2. 3.

Vers. 4.) Hactenus metaphoricè magnitudinem sui periculi expressit Christus: nunc porrò more scripturæ, propriè eandem declarat ex signis & adjunctis qvibusdam. Vide enim summum angorem ejus in passione, non tantum instar vermiculi se contorqvet Psal. 22, v. 7. confer Psal 55, v. 5. 6. 7. 8. 9. sed in ipsam etiam faciem benedictam, qvam gestiunt intueri angeli, procidit, &, qvem adorant & hi, ardenter orat, atq; in tantas devenit angustias, ut fons omnis solatii consolatione egeat, creatura succurrat creatori, angelorum Dominus minor fiat angelis Psal. 8 Hebr. 2. Hîc certè aqvæ pervenerunt ad animam, vide Scultetum p. 810. 811. & hinc ita porrò progreditur: *fatigor clamando*, qvod est ita intelligendum, qvod tanta fuerit acerbitas doloris, qvantam intelligimus esse in illis, qvi usq; ad raucedinem auxilium implorantes vociferantur, & qvanta in illis esse solet, qvorum oculi deficiunt aspiciendo in cœlum & expectando auxilium à Deo. Aliàs clamores Christi in passione fuêre qvidem validi, non tamen diuturni, suprà Psal. 22, v. 2. hinc tamen verè seqvitur, *exsiccatur guttur meum*, confer qvæ suprà dicta Psal. 22, v. 16. *deficiunt oculi mei* velut in lipothymia ac deliqvio animi, *spe-*

rantis

tantú, dum ſpero, *in DEum meum*, vide Com. in Thren. 2, 11. & confer Eſa. 38, 14. ſatisq; perſpicuè hic emphaſis verbi יחל, de qva in Exerc. bibl. edit. 3. exponitur.

Hoſtes Chriſti.

Verſ. 5.) Et hæc ſunt in me: extra me autem vide inimicorum multitudinem, & iniqvitatem, qvi omnes velut aqvæ inundantes in me irruunt Jer. 47, 2. Apoc. 17, 1. 15. ſunt propè innumerabiles, potentiâ formidabiles, injuriis abominabiles. Nam præter concilium ſeniorum, pontificum, ſcribarum & phariſæorum acceſsit turba populi maxima, integræq; militum cohortes. Illi omnes antea qvidem conſilia ceperunt, ſed diſsimularunt, & nihil intentarunt qvicqvam, nunc autem, dum hora & poteſtas tenebrarum eſt, ingruunt & irruunt, Matth. 26, v. 55. Luc. 22, v. 53. *Plures ſunt qvàm capilli capitis mei*, vide qvæ allata in Pſal. 38, 5. *qvi oderunt me immeritò*, qvod Johannis 15, 25. Chriſtus ipſe de ſe allegat, uti in h. l. etiam ſcribunt Bugenhagius, Geſnerus, Bellarminus, & alii, qvamvis multi exiſtiment, id eſſe deſumptum ex Pſalmo 25, v. 19. vel 35, 19. & propterea illos qvoq; Pſalmos eſſe paſsionales, qvùm tamen in illis non de Chriſto immediatè, ſed Chriſtianis agatur. Ideoq; ut unius loci maneat unus ſenſus, ex h. l. illud apud Johannem à Chriſto eſſe citatum, & eadem verba in reliqvis locis Chriſto myſtico Chriſtiq; membris eſſe verè accommodata, rectiſsimè cenſet Bugenhagius jam ante ſeculum, qvomodo etiam illa verba, qvæ ſub finem Pſalmi 40, 14. loqvuntur de Chriſto, in Pſalmo 70, v. 1. de Chriſtianis leguntur, ut vel hinc diſcamus, non eſſe tautologiam in Bibliis, vel etiam Pſalmis eadem verba, qvia non de eodē vel eodem tempore dicuntur, qva de re alibi

Qvædam in ſcripturis repetita.

prolixiùs. Junius in paral. 81. l. 1. malè hoc dictum citat, malè explicat, qvia de Davide Christi typo propriè dictum esse existimat, & sic Christo tantùm applicat. Priora autem velim conferas cum iis, qvæ habet Bellarminus in titulo Psalmi 108. juxta ipsum 107. Cur Psalmus hic additus sit ad alios, cum nihil novi contineat, ratio videtur fuisse, ut impleretur numerus centum qvinqvaginta Psalmorum: nisi fortè subsit aliqva ratio magis recondita, qvam mihi fateor notam non esse. Ubi notes primò blasphemiam, qvasi Spiritus S. non potuisset novos plures alios dictare Psalmos? 2. incertitudinem, qvæ liqvet ex verbo videtur, forte. 3. ignorantiam, siqvidem nescit hic ea, qvæ de victoria una atq; altera ibi, hic de alia nova & tertia aut qvarta, afferri. Verum non tantum numero valent, verum etiam robore pollent, *potentes sunt, qvi exscindunt me*, id est, qvi conantur me exscindere prorsus, qvùm tamen non possint, ut eleganter Tremellius & Junius vertunt, *qvi mihi sunt inimici injuria* hebr. אֹיְבַי שָׁקֶר, falsis de causis pro לַשָּׁקֶר Psal. 35, v. 19. Luther: Die mir unbillig feind sind. Vide etiam Buxtorf. thesaur. Gr. p. 487. 488. Dicat qvis, cur igitur te tanto prosequuntur odio? Respondet, ipsi qvidem injustissimè me cruciant, sed alia gravior causa subest, qvæ me urget, nempe *tunc*, cum ita patior, DEO permittente, *qvod non* ego, sed Adam & Eva, in paradiso, *rapui, rependere cogor.* Illi enim protoplasti rapere voluerunt divinitatem, & perdiderunt felicitatem juxta August. Ego contrà divina majestate mihi homini data ad tempus me abdico, ut pro peccatis generis humani satisfaciam Phil. 2, v. 6, 7. ubi in v. 6. phrasin

Cur Christum afflictum.

Christum rependit, qvod non rapuit.

ἁρπαγμὸν ἡγήσατο ab aliis orthodoxis rectè explicatam huc debito modo applica, & testimonium à latrone ipsi in cruce datum (qvando ipse ob raptum ac prædam patiebatur) Luc. 23, 41. accommoda. Sic ejus sanguinem innoxium esse Judas proditor Matth. 27, 4. ipsum esse justum Pilatus Matth. 27, 24. pronunciabat, & qvod peccatum non fecerit, nec qvicqvam mali admiserit, prolixè probat Esaias c. 53. ubi scribit qvendam horum verborum commentarium, qvæ nota contra Photinianos, qvi semper qværunt, ubi scriptum sit, qvod Christus pro nobis satisfecerit, qvod audis hîc ipsum salvatorem asserere: confer non ut per omnia parem, sed qvod ad phrasin similem locum Psal. 35, 11.

Vers. 6.) Ne qvis porrò objiciat: Si Christus ita innocenter est passus. Ergò Deùs injustè fecit, dum eum ita contrit? Respondet jam, distinguens inter Judæum & Deum: ille nulla de causa Christum, imò benefactorem ex diaboli instinctu odit, ac qvantum in se est, perdit: hic autem justè à sponsore & vade generis humani reposcit, qvod illud debebat, unde Augustinus, fuit delictorum susceptor non commissor, vide qvæ prolixè de hac re dicta in tract. de fœderib. Qvod igitur ad Deum patrem spectat, se non esse ratione officii innocentem, fatetur (expende, qvæ dicta superiùs in Psal. 40, v. 13. & 41, 5.) ODEus, pater, inqvit, qvi ratione humanæ naturæ es meus Deus suprà Psal. 22, 2. *tu novisti stultitiam meam*, hoc est, peccatum. Omnis enim peccator coram DEO stultus seu insipiens, & omne peccatum stultitia reputatur. Confer 2. Sam. 13, v. 12. Psal. 38, v. 6. *& reatus mei non sunt celati tibi*, tu scis, qvomodo feram peccatum imputa-

Deo pronobis.

Christus peccator.

putatum & alienum, & pro stultitia primi Adami patiar. Ideoq; me punis nunc, sed ubi consummatum erit hoc opus, gloriâ & honore me coronabis, omnibusqve sapientiam tuam me esse demonstrabis. Conferantur qvæ de hac sapientia Prov. 1, 8. & 9. Esa. 53. Matth. 11. Luc. 7. dicuntur. In priori commate hujus versus ל pro אֶת positum est vel אֶל, vide Buxt. in thes. Gram. p. 428. 431. 532.

Vers. 7.) Ne qvis verò ita malè colligat, qvis colet DEum, qvi ita affligit filium proprium? qvid faciet aliis cultoribus? etiam per occupationem tacitam respondetur ad hanc objectionem, & ostenditur, esse hoc λύτρον à solo Christo persolvendum pro aliis, pro qvibus etiam ipse intercedit, &, ut applicetur illud suum meritum, rogat. Vide Johannis caput 17. Propterea enim ipse mortem appetiit, ne morerentur homines: propterea ignominiam pertulit, ut honore æterno decorarentur; propterea ipsi malè fuit, ut hominibus perpetuò benè sit, si modò in Christo non scandalizentur, Matth. 11, v. 6. vide Psal. 41, v. 2. Qvia igitur qvando morior, morte rependo, qvod persolutum est pro peccatis mundi precium, age *ne erubescant propter me* qvi credunt in me, *exspectantes te Domine Jehovi* Deus & Domine *exercituum* (vide qvæ de hoc genere loqvendi allata in Exerc. bibl. ed. 3. p. 368. 369. *ne rubore suffundantur mea causa*, Luther. laß nicht schamrott werden an mir / hebr. בִּי ubi ב sicut & in superiori commate positum pro בַּעֲבוּר, qvod alibi multis exemplis est probatum, *qvi qværunt te*, hoc est, sunt fideles, *ô DEus Israelis*, qvorum hoc nomen tibi non deesse voluntatem, pro-

ב id est propter.

& superius non deesse facultatem abundè probat, qvod prolixiùs declarat Mollerus in Comm. p. 704. & Bellarminus pag. 734.

Vers. 8.) Sed non confundentur, qvotqvot me fide verâ nituntur, aut ad te, ô Deus, convertuntur. Qvia qvando non ob mea scelera patior, sed ob tuam, ô Pater, voluntatem faciendam Psal. 40, v. 9. & hominum salutem, videatur mundo insipienti insipientia, reputetur stultitia, est hæc illa æterna tua sapientia, qvam nisi ex sinu tuo attulissem & revelavissem olim prophetis, & nunc in terris vivens, ac postea per Apostolos, nemo qvisqvam hominum sciret eam, qvi ante jacta mundi fundamenta, ubi pro tua omniscientia videbas hominem esse lapsurum, iterum in me Christo tuo eligebas finaliter credituros, atq; ita divino tuo mandato ac jussu electus atqve confirmatus non debui vocanti tibi repugnare. *Nam propter te sustineo opprobrium, propter te operit ignominia faciem meam*, qvùm justitiæ tuæ aliter, qvàm passione unigeniti filii tui satisfieri non potuit, gloria misericordiæ tuæ & sapientiæ per meam passionem mundo innotuit (Gesnerus.) Rectè igitur dixerat v. 6. Deum nosse suam stultitiam, qvæ non erat ab ipso commissa, sed suscepta, eamq; ut expiet vocationi divinæ obtemperat. Vide Mollerum.

Vers. 9.) Hæc duo ὄνειδον πρῶτερον exponit seqventibus duobus versibus, prius de ignominia v. 9. posterius de opprobrio ob gloriam Dei suscepto v. 10. Qvæ enim ignominia potest esse major, qvàm qvod Christus volebat ut latro capi, ab omnibus notis atq; amicis velut κάθαρμα deseri, à discipulis suis relinqvi, ab uno prodi, ab

altero abnegari, à suis popularibus & civibus rejici, ignominiosissimè, saltem ut patris voluntas per ipsum confieret. *Extraneus effectus sum fratribus meis*, qvando veni in propria, Joh. 1, 11. à Judæis fratribus meis secundum carnem non sum receptus, & aliàs *alienus factus sum filiis matris meæ*, Ecclesiæ Judaicæ, in qva fui circumcisus, vel si plures ipsi fuissent, tam fui abjectus ut & ipsi facilè fuissent me abjecturi. Aliàs strictè si accipias, piè credimus, Christi matri nullos alios fuisse filios. Verum qvales Christus habuit fratres, nempe populares & cognatos, tales etiam hi filii sunt intelligendi.

Vers. 10.) Cur verò oderunt Christum? cur opprobriis eum inceſſunt? in promptu causa est, qvia ipse bonus mala eorum opera reprehendebat Joh. 7, v. 7. propterea ergò vel maximè me persecuti sunt, *qvia zelus domus tuæ exedit me*, denn ich eyfere mich schier zu tode umb dein Haus/Lutherus, qvi Joh. 2, v. 17. ubi allegatur, vertit, der Eyfer umb dein Haus hat mich gefressen/ dolet mihi, qvod tu contemnaris, tuus cultus negligatur, ideoqve qvando veram religionem & Dei cultum imputarunt, reformo, & propterea multa patior. Vide Luc. 19, v. 45. 46. 47. Etiam hunc locum Paral. 65. l. 1. male Junius explicat, qvem, qvi vult, consulat: nobis autoritas Johannis allegantis hunc locum de Christo major, qvàm ut ullis verbis nos inde abduci patiamur, certi, non de Davide hæc sonare. Hunc autem Christi zelum ardentissimum cùm alibi, tùm Matth. 23. Luc. 11. Joh. 8. videbis, & vel maximè, qvando domum Dei repurgavit, & manu, malos ejiciendo, & lingua, omnes docendo. Verum

rum qvid præmii loco reportavi? nil aliud nisi probra, convitia, calumnias, insidias, unde subjicit, *& opprobria probris afficientium te ceciderunt super me*, accidunt mihi, und die Schmach / derer die dich schmähen / fallen auff mich / & Rom. 15, v. 3. sind über mich gefallen / Lutherus, qvod qvomodo sit intelligendum, non malè exponit Bellarminus, qvia injuriæ filii pertinent ad patrem, in divinis præcipuè, ubi unum sunt essentiâ, & ad patrem pertinebant, qvæ ad miracula spectabant, qvia pater hæc dederat ipsi, Joh. 5, 36. & pater in ipso manens illa faciebat Joh. 14, v. 20. Ista itaq; opprobria cadebant super filium, tum qvia intentio Judæorum erat, filium calumniari, non patrem: tum qvia filius libenter in se suscipiebat illas injurias, ut lucrifaceret alios, qvo sensu hoc dictum allegat Apostolus, Rom. 15. nimirùm ut Christus sibi non placuit (hoc enim si feciſſet, nihil tolerare voluisset, ut illi, qvi sibi videntur sapere, & contemnunt inferiores) sic & nos debemus nobis non nimium placere, nostrum honorem atq; commodum non nimium qværere, sed etiam infirmiorum rationem habere: sicut Christus propter Patrem multa etiam toleravit suprà v. 8. Sic & nos aliqvid toleremus propter fratres. Nescio autem, qvid habuerit in mente Piscator, qvando hæc scribit, Davidem hæc dicere puta de seipso (aliàs id est extra controversiam & per expressum addit hoc Piscator statim sub initium analysis, mihi pag. 385. lin. 1. 2. & liqvet ex iis qvæ ibidem seqvuntur) colligitur ex allegatione Pauli Rom. 15, 3. contrarium enim est verum, id qvod etiam Scultetus agnoscit. Ita enim sonant verba Pauli: *Nam & Christus sibi ipsi non placuit, sed qvemadmodum scriptum*

Rom. 15. v. 3.

Piscator erravit.

ptum est : opprobria probrùm afficientium te ceciderunt super me, ubi Davidis nulla, sed Christi expressa mentio, de qvo illa priùs esse scripta ad nostram doctrinam subjicitur v. 4. Et ita etiam Beza. Confirmatio ab exemplo Christi, qvi nihil non pertulit, ut non infirmos modò, sed etiam crudelissimos hostes patientiâ victos ad Patrem adduceret. Neq; hoc dictum rectè explicat Junius in parallelis l. 2. parall. 26.

Beza.

Vers. 11.) Sed non tantùm odio habeor ob institutam reformationem, verum etiam ob Deo probatam vivendi rationem, qvæ qvia, dum latet in corde, videri ab aliis non potest, externis signis eam hominibus qvoqve probo, ratione victus, jejunio hoc versu, ratione amictus, cilicio, versu seqvente. *Et flere soleo, qvando est in jejunio anima mea*, dum non hypocriticè & externè, more phariſæorum, Matth. 6, v. 16. & seq. jejuno, sed verè, & ita, ut hujus corporis afflictio ad ipsam animam pertingat, unde Lutherus sensum respiciens rectè vertit, Ich weine und faste bitterlich / Mollerus, Ich habe von Hertzen geweinet / qvasi verba hebræa ita sonant, & flevi in jejunio animâ meâ : malè autem vulgatus latinus more suo LXX. errantes seqvens, & operui in jejunio animam meam, qvasi in textu hebræo esset אכסה, nam qvod alii indocti substituunt אכפה incurvavi, huc non qvadrat, & ipse Bellarminus refutat, qvùm כפף significet incurvari, non כפה qvod notat evertit) & qvia hoc non comparet, frustrà additur illa explicatio, operui animam meam, id est, me ipsum, & extra controversiam est, hucq; nil qvicqvam spectat, mœrentes atqve lugentes solitos esse operire caput, qvia hic de eo non agi-

Christi jejunium.

agitur. Sed dum fleo Luc. 19, v. 41. & jejuno Matth. 4, v. 2. à Judaico populo & diabolo hoc vertitur & est per eorum malitiam & calumnioſam interpretationem *in ſummum probrum mihi*, in textu hebræo לְחֶרְפּוֹתַי in probra, ubi numerus pluralis notat excellentiam, in Exerc. bibl. edit. 3. p. 99 & 100. 599. 602. Nah. 2, v. 6. Solent enim homines Epicuræi ac prophani ridere piorum facta omnia, iisq; illudere tanqvam ſtolidis hominibus, qvi propter futilem religionis cauſam (ita enim judicant) tanto odio & tam multis periculis ſe exponant, ſibiq; ultro dolores & ærumnas accerſant, ut ſcribit Mollerus. Confer Pſal. 35, 13.

Verſ. 12.) *Qvum' ſtatuo veſtimentum meum cilicium*, qvum induo ſaccum, *tum ſum illú in parabolam*, qvæ de Davide ferè ita dicuntur in Pſalm. 35, v. 14. 15. vide ea qvæ dicta ſunt in v. 5. ſuperiùs, & confer cum ſeqventibus verſum 16. ejusdem Pſalmi. Senſus autem eſt, qvando me compono ad dolorem & luctum, ut illi ſolent, qvi induunt ſaccum: nam Chriſtum ſacco fuiſſe indutum, in hiſtoria Evangelica non legimus. Et ita malim explicare, qvàm cum Auguſtino intelligere per jejunium cum fletu eſuriem & ſitim ardentiſsimam ſalutis animarum, & per cilicium carnem mortalem atqve paſsibilem. Vox parabolæ verò h. l. in malam partem accipitur, & denotat dicteria qvævis ludificantium, vide in Mich. 2, 4. Habac. 2, v. 6. adde ſimilia loca Num. 21. v. 27. Deut 28, 37. 1. Reg. 9, 7. 2. Chron. 7, 20. Joh. 17, 6. Pſal. 44, 15. Eſa. 14, 4. Jer. 24, 9. Etiam confer qvæ dicta in Pſ. 102, 9. 10. *Parabola.*

Vers. 13.) Qvænam verò illa probra, qvales parabolæ de se factæ, fictæ & vulgò dictæ, porrò dilucidiùs explicat, & ostendit, qvod illas in se jecerint tam summates publicè, qvàm infimates ac plebei privatim, illi in porta ac curia in rebus seriis, hi in taberna vinaria, ubi שׂוּחַ tractabant tantum ludicra. *Confabulantur de me*, Lutherus pro subjecta materia egregiè, waschen von mir/ siqvidem verbum hebræum omnem sermonem denotat tam ἐνδιάθετον, qvàm προφορικὸν, tam serium qvàm ludicrum, tam bonum qvàm malum, & ב h. l. pro על vel περὶ positum est, ut alibi vidimus: qvinam verò illi? *sedentes in portâ*, judices, qvia in porta exercebantur judicia publica (qvod etiam alibi probatum) Pharisæi, scribæ cœperunt concilia, varia invenere consilia, & ut alter alterum incitaret, qvisq; me absentem rodebat, & si qvid posset in me contorqvere dicterii, sibi non deerat, vide v. 8. & 9. Psalmi 41. suprà explicatum, *& organa musica* נְגִינוֹת vide titulum Psalmi 5. & 6. eram bibentibus vel *potatoribus siceræ*, hoc est, potus inebriantis cujusvis, canunt de me ad lyras, pulsant de me fides, Lutherus, und in den Zechen singet man von mir/ ita traducor omnibus modis in publicis & privatis consessibus, seriis & ludicris, sobriis & ebriis, deniq; apud omnes ludibrio שִׁכּוֹר sum. De voce hebræa שִׁכּוֹר vide qvæ dicta Joel. 1, v. 5. Mich. 2, v. 11. Hab. 3, v. 15. Hag. 1, 6. Thren. 4, 21. & confer Job. 17, 5. & 30, 9. Thren. 3, 14. 63. Inspice etiam qvæ habet Mollerus h. l. in Comm. Buchananus more suo insigniter extulit:

Me salibus petit ê portæ statione senectus,
Et ebriosæ sum tabernæ cantio.

Vers.

Vers. 14.) Ita mei inimici mecum agunt, mala qvæ possunt, nullâ de causâ inferunt, convitia multa mihi ingerunt, & omnia benè à me cogitata & optimo fine facta in pessimam partem accipiunt, nihilq; reliqvi faciunt ad summam neqvitiam. Contrà verò ego his omnibus orationis piæ scutum obverto, & ita tibi, ô Deus, probo meam pietatem, tuq; mihi tuam veritatem ac fidelitatem. וַאֲנִי *At ego* ad me verò qvod spectat (nominativus enim absolutè positus totum aliqvod membrum facit, vide suprà Psal. 41, v. 13. & Buxtorf. thes. Gram. l. 2. c. 10. in ellipsi pag. 396. Aliter hoc genus loqvendi h. l. explicat Mollerus per enallagen dativi, cujus loco sit nominativus, qvasi dicas, meum est orare ad te. Sed hoc refutat Buxtorfius pag. 531. *Oratio mea tibi*, ô Deus, hæc est ac effunditur, confer versum 8. Psalmi 27. & Psal. 65, v. 2. *ô Jehova*, jam *tempus oportunum*, עֵת רָצוֹן est *benevolentiæ*, confer Psal. 102, v. 14. Esa. 49, v. 8. 2. Corinth. 6. v. 2. sumta metaphora à principibus, qvi qvando sunt clementes & benevoli, wenn die gut zu sprechen seyn/ & læti, omnia sperantur & facilè impetrantur, sic ego in tempore jam advenio, pater cœlestis, qvod omnium rerum est primum, ipsum punctum ac momentum observavi, pater, venit hora illa, glorifica tuum filium Joh. 17, 1. &, ratione humanæ naturæ, *ô DEus* & vindex *meus pro amplitudine benignitatis* ac misericordiæ *tuæ respondo mihi*, id est, exaudi me, gib mir doch guten Bescheid / fertige mich mit einer guten Antwort abe / vide Comm. in Psal. 3, v. 5. *& pro fide salutis tuæ*; pro fidelitate, veritate de salute mihi danda facta,

ô ge-

ô genitor sine fine bonus, sine fraude fidelis,
jam dicam, qvid expetam, tu fac ne frustrà petam.

Vers. 15.) Dixi suprà v. 2. & 3. me luto profundo esse immersum, eripe, *erue*, qvæso, *me ex luto*, *ut ne immergar* ac peream prorsus, dixi v. 5. multos & validos esse meos inimicos, *eripiar* qvæso per te, *ab osoribus istis meis*, *& à profunditatibus aqvarum*, de qvibus suprà vers. 3.

Vers. 16.) Ne qvæso *inundans fluentum aqvarum abripiat me*, suprà in fine vers. 3. *neqve absorbeat me profundum*, ibid. *& ne præcludat mihi puteus os suum*, ne, cum in voraginem profundissimam deveni, illa obturet velut os, ne ullo modo inde regrediar, Luth. und das Loch der Gruben nicht über mich zusammen gehe / hebraicè אַל־תֶּאְטַר qvod vertit Augustinus, coarctet, vulgatus latinus, urgeat, Hilarius contineat, malè autem Hieronymus coronet, qvomodo confundit cum תֵּעָטֵר vel rectiùs תֵּעָטֵר. Petit autem his verbis celerem resurrectionem, ne in sepulchro diu maneat, qva de re pluribus in Psalmo 16.

Vers. 17.) Variis modis propositionem hanc repetit, qvia valdè petit. *Exaudi me*, respondè mihi, *Jehova*, *qvia bona est benignitas tua*, non tantum adeò bona, ut qvæ promisit, faciat, sed etiam suavis expetentibus eam, *secundùm amplitudinem miserationum tuarum*, vide qvæ dicta in Psalmum 51, v. 2. & infrà Psal. 109, v. 21. *respice ad me*, faciem converte ad me, cui hactenus, dum non præstas auxilium, faciem abscondisse vel avertisse videris. Vide qvæ dicta Comm. in Thren. c. 1. v. 20. p. 67.

Vers.

Vers. 18.)Hoc autem eum velle h.l. ex seqventi ep-exegesi liqvet; *Et ne* deinceps, ut hactenus feci*sti*, *abscondas faciem tuam à servo tuo*, Esa. 53, 1. Phil. 2, 6 7. & qvidem obedienti Psal. 40, 7. 9. *qvia est angustia mihi, festina exaudi me*, citò velociter mihi fer opem. Vide Comm. in Psal. 102, 3. Hos 5, 2. & Psal. 143, 7.

Vers. 19.) Si nondum satis edisserere potui, qvid te orem, age, addam hoc: *appropinqva ad animam meam, vindica eam, propter inimicos meos*, *redime me* generis humani redemptorem. Qvibus verbis ne abutantur Photiniani, confer qvæ in cap. 4. Mich. v. 10. & 6, 4. dicta sunt de redemptione Dei, qvæ fit per potentiam, (qvalis etiam h.l. intelligitur, ut patebit ex seqventibus versibus, & antea v. 5. explicatum est) & ea, qvæ fit per justitiam. Ibi non reqviritur λύτρου, hîc reqviritur, qvia ibi vindicandus ac liberandus injustè detinetur, hîc justè ad solutionem adigitur. Unde probè h. l. nota, Christum dicere, propter inimicos meos, injustè me affligentes, me redime, nam à Deo patre justissimè conterebatur & affligebatur ad tempus, dum satisfieret ejus justitiæ. Versus hos à 14. non malè jam olim brevi paraphrasi illustravit D. Bugenhagius, qvi consulatur p. 387. 388.

Redemtio per potentiam,

& justitiam.

Vers. 20.) Causas hujus mei postulati nullas alias possum afferre, qvàm qvas suprà attigi, tuam conscientiam, & hostium violentiam, tuam de me curam, & hostium in me injuriam sup. v. 6. *Tu nosti opprobrium meum*, vides, cognitum ac perspectum habes, qvomodo me convitiis sine causa proscindant, nosti *pudorem meum & ignominiam meam*, qvod eam nullâ meâ culpâ

feram, & qvia noſti ac juſtus es, hoſtibus meis retribues, etiam qvia potes, *coram te ſunt omnes hoſtes mei*, in conſpectu tuo hæc faciunt, qvi potes eos redigere in nihilum, ac perdere æternùm, & tamen non verentur tuum conſpectum, ſed immaniter tuum ſervum tractant. פְּלָמֵי vertit vulgatus interpres lat. reverentiam, qvod vult fruſtrà defendere Bellarminus.

Qvomodo animo Chriſti fractus.

Verſ. 21.) *Opprobrium frangit animum meum adeò ut afficiar lethali ægritudine*, qvomodo Tremellius & Junius exponunt, id eſt, non omninò frangit me, ut prorſus deſperem, ſed ut deſperationi ſim proximus, ſpemqve metumqve inter anxius, ideoq; malè hinc ratiocinatur in parallelis Junius, hunc verſum Chriſto planè non qvadrare, qvippe cujus animum non fregit opprobrium, ſed qvi omnia infracto animo vicit. Qvod enim h. l. dicitur ſecundum qvid, ſimpliciter accipi ab eo non debebat. Sic ſuprà v. 5. rectè reddiderunt Tremellius & Junius מְצַמְּתַי exſcindentes me, qvi conantur me exſcindere, *κατὰ δόξαν* hominum hæc dicuntur, non *ἀλήθειαν*, hoc eſt, tanto opprobrio fuit affectus Chriſtus, ut putes fieri non poſſe, qvin animum deſpondeat, qvod tamen non fecit, ita fuit afflictus & confectus in paſſione ac crucifixione, ut, humanas vires ſi ſpectes, nil aliud concludas, qvàm eum exciſum iri prorſus. Sic alia in ſacris ſunt explicanda de conatu, non eventu Matth. 16, 23. abi poſt me ſatana, ſcandalum es mihi, id eſt, tu qvidem, qvod in te eſt, facis, unde ego poſſem offendi & deterior reddi, id tamen factum non eſt. Sed revertimur ad hæc noſtra, qvæ probè Chriſto conveniunt, qvia magnitudinem opprobriorum, de qvibus in hiſtoria paſſionis, & aliàs

accipe de conatu, non eventu.

Matth. 16, 23

liàs totius vitæ tempore, exprimunt, qvæ etiam ex his, qvæ adduntur, liqvet. Nam qvando bonus convitiis proscinditur à malis, si habeat alios bonos ipsum erigentes, faciliùs fert tantum malum: ubi autem nemo, qvi testetur suam συμπάθειαν, tum demum dolet maximè. Hoc Christus jam de se profitetur: nam *exspecto* לָנוּד *συλλυπήμονον, qvi condoleat, sed nihil*, nemo adest qvisqvam, expecto *consolatores, sed non invenio* qvenqvam. Confer Psalm. 22, v. 12. & in historia passionis considera, qvomodo omnes noti atqve amici Christum deseruerint, & qvomodo, qvando Pilatus eum vulneribus per totum corpus confossum ostentabat, & addebat, *Ecce homo*, ubi juraſſes tam tristi spectaculo futurum fuisse, ut ad συμπάθειαν commoverentur Judæi, sed nemo in tanta turba afficiebatur ejus miseriâ, sed clamabant omnes, *tolle, crucifige eum.* LXX. nil præter solitum indiligentes pro שִׁבְרָה legerunt שִׂבְרָה, dum verterunt, ὀνειδισμὸν προσεδόκησεν ἡ ψυχή μου καὶ ταλαιπωρίαν, planè contrario sensu, sicut & latinus vulgatus interpres cœcum ductorem hunc suum secutus cum eo eandem in foveam incidit, & reddit, improperium expectavit cor meum & miseriam, ubi novum vitium in utraq; versione, qvando verbum וְאָנוּשָׁה vertunt per nomen, qvod tamen Bellarminus etiam conatur defendere. Vide verò 2. Sam. 12, 15. nomen adjectivum אָנוּשָׁה Jer. 15, v. 18. etiam diversum esse ab hoc vocabulo qvivis videt. De verbo נוד hoc tenendum: propriè significat moveri, celeriter de loco in locum progredi vel fugere Psal. 11, v. 1. metaleptice verò & specialiter accurrere ad consolandum ex condolentia, Job. 2, 11. & 42, 11. Es. 51, 19. נוד

Jer.22,10.& 48,17.& 15,5.& 16,5.& 31,17.Nah.3,7. Alii inde hanc significationem deducunt, qvod motu & gestu capitis dolor ex alterius infortunio & miseriis perceptus indicetur. Prius mihi se magis probat : interim sententiam

elige, cui dicas, tu mihi sola places.

Vers.22.) Qvid autem dico, me expectare, ut me solentur, tantum abest, ut præbeant solatium, ut novum excogitent ludibrium & cruciatum. Qvia ubi illos non latebat sapientissimi regis præceptum, qvod extat Prov. 31,6. date potum inebriantem perituro, & vinum amaris animo, *dant pro alimento meo fel, & in siti mea,* (Lutherus eleganter pro subjecta materia, in meinem großen Durste/ vide supra Psal. 22, v. 16.) *bibendum dant mihi acetum,* Matth.27,v.34. Marc.15, v.23. Johan. 19, v.29. atqve ita dum me sic excruciant, etiam indicant, se esse vineam qvæ degeneravit, Deoqve suo protulit labruscas ac potum acerbum. Confer Jer.8,v.14.& 9,15.& 23,15. Thren.3,5.19.

Prov. 31,6.

Loci Communes.

Christus, Ecclesiæ lilia.

Ex vers.1. *Super liliis.*) Christus ejusqve Ecclesia similes sunt liliis (1) colore seu candore, qvia lilia sunt alba, qvi color notat simplicitatem, tranqvillitatem, hilaritatem, vide com. in Zach. c.1.v.8 pag. 34. ita illi simplices ut columbæ, pacis studiosi, & semper in Deo læti Matth.10,v.16. Rom.12,v.18. Phil.4,v.4. (2) odore qvia lilia sunt fragrantia, sic Christus & Christiani Eph.5,2. Phil.4,18. ita hinc inde in Cantico Cantic.c.1, 3. & 2, 13. & 4,10. &c. (3) humilitate, qvia lilium non

non est arbor magna, sed herba: sic Christus & Christiani, ille in statu exinanitionis, hi dum incolunt vallem miseriarum Matth. 11, 29. Vide plura Com. in Hos. c. 14, 5. pag. 489. & rectè huc applica.

Ex vers. 2. *I. Salva me DEus.*) Ut salutem certam in ipso inveniret humanum genus, ipse Salvator ad tempus fuit salutis indigus. Confer quæ dicta in Psal. 22, v. 2. Luc. 4. Vide Hebr. 4, 15. 16. & 2, 17. 18. & 7, 25. σώζειν εἰς τὸ παντελὲς δύναται τὺς προσερχομένους δι' αὐτοῦ τῷ θεῷ. *Salvator petit salutem. Hebr. 7, 25.*

II. Perveniunt aquæ usque ad animam.) Perpende hinc passionis Christi pro nobis susceptæ 1. veritatem, 2. acerbitatem. 3. cumulum, 4. innumerum numerum, quia verè veniunt, & victimam mundi inveniunt, non solum corpus affligunt, sed aculeum in ipsam animam figunt: aquis similes calamitates impetu, fremitu, violentiâ. Sed si etiam Christiani hominis animam inundent hæ aquæ, non turbetur, oportet nos fieri conformes imaginis filii Dei Rom. 8. & quemadmodum Israelitæ non nisi per Jordanem aquis plenum in terram promissam intrabant. Jos. 3, 13. &c. ita non nisi per multas tribulationes intramus in cœlum. *Aquæ perveniunt ad animam.*

Ex vers. 3. *I. Demergor in cœnum profundissimum.*) Ne in inferni barathrum diabolus abriperet totum mundum immundum, mundissimus hic ab omni peccato Heb. 7, 26. se demisit pro eo in dolorum omnium profundum, ut qui rectè ipsum de profundis invocaret, eum inde justè liberaret. *Christus mersus in profundum,*

II. Ubi non est locus consistendi.) Christum oportebat pro nobis coram patre procidere, ne nos cogeremur *procidit,*

remur de vita ac spe cœli decidere. Ergò ob hujus meritum fide deinceps stamus Rom.5,2. 1.Cor.15,1.

Inferni dolores experitur,

III. Ingredior profunditates aqvarum.) Christus ipsos inferni dolores est expertus, ut credentes eorum essent expertes: desperationis aliqvem percepit gustum, ut in se fidentem faciat justum.

Non exauditur ad tempus,

Ex vers.4. *Fatigor clamando.)* Christus multùm clamans non liberatur, ut homo propter eum orans statim exaudiatur Joh.14,13.& 16,23. Sed etiam hic totus versus præter consolationem jam indicatam servit nostræ instructioni, nimirum ad exemplum Christi,

Nos mora non frangat, qvamvis mors tangat & angat.

Vide in Psal.22,3. & Job.13,15.

Hostes multi

Ex vers. 5. *I. Plures sunt qvàm capilli capitis mei.)* Non terreat nos inimicorum multitudo, qvia omnes uno momento potest abigere & domare Dei fortitudo Psal.3, v.6.7.8. non dejiciat nos potentiæ hostium consideratio, qvia à Deo nobis est promissa liberatio Psal.91. Esa.43.

Christi λύτρον,

II. Tunc, qvod non rapui, rependere cogor.) Ecce, ô homo, nil horum Christus est passus propter se, sed omnia propter te, tuam inobedientiam suâ obedientiâ Romanor.5. tuam iniqvitatem suâ justitiâ, tuum raptum suo λύτρῳ expiavit, debitum tuum solvit, paupertate sua tibi cœlestes divitias, morte sua vitam, servitute sua libertatem; ad summam, malis, qvæ est perpessus, omnia bona deperdita reparavit. Si autem, qvod non rapuit, pro aliis rependit, propter nostram salutem de cœlo descendit, propter nos salvandos sei-

seipsum & omnia sua impendit, atq; ita se pro nobis vinctis ac captivis liberandis omnia facere ostendit, qvod impia & ingratissima Photinianorum secta non credit. Confer 1. Corinth. 5, 7. τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη. Eph. 5, 2. παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν.

Justitia.

Ex vers. 6. *O DEus, novisti stultitiam meam.*) Deus illum, qvi non novit peccatum, fecit pro nobis peccatum, ut nos fieremus in eo justitia 2. Cor. 5, 21 Rom. 8, 3. 4. Peccata igitur nostra Christo sunt verè imputata, qvæ non habebat, ut nobis verè posit imputari justitia, qvâ ex nobis caremus, & hæc est illa abundans justitia, Matth. 5, 20.

Ecclesia salus.

Ex vers. 7. *I. Ne erubescant de me.*) Qvod Ecclesia servatur aliqva in mundi ac diaboli furoribus, debemus Christi intercessioni, precibus ac clamoribus. Hac enim solida petra nisi niteretur, facilè everteretur, nisi Christus eam custodiret, jampridem periret Ps. 124, 1. & 46. Non autem erubescit, qvi præter Christum alium salvatorem nescit. Et beatus est, qvi non scandalizatur in salvatore Matth. 11, 6.

Expectemus.

II. Expectantes te.) Beati qvi in Dominum sperant Psal. 125, v. 1. qvia tandem, qvem hìc expectant, æternum spectant, Deumq; qvi præstolantur, Deum tandem amplexantur, & in æternum beantur. Nam qvod à Deo differtur, non aufertur. Hab. 2, 3. Qvi ita qværit, invenit, qvi ita orat, accipit Matth. 7, 6.

Propter DEum patiamur.

Ex vers. 8. *Propter te sustineo opprobrium.*) Ob Dei mandatum promissum nihil non est faciendum. Qvi propter eum sustinent opprobria, in regno cœlorum donantur gloriâ, qvi propter eum aliqvid bonorum relinqvunt,

qvunt, centuplum recipiunt Matth. 5, 10. 11. & 19, 29. Qvi propter eum mortem adeunt, ad vitam abeunt. Vide Mosen Hebr. 11, 26. Martyres, exules Jesu Christi.

Amicorum odia, perfidia.

Ex vers. 9. *Extraneus effectus sum fratribus meis.)* Non est novum, neqve insolitum, qvod qvi Christum amore proseqvuntur, suorum etiam odio exponuntur Matth. 10, 34. 35. Vide suprà Psal. 41, 10. Simul notatur plerorumqve amicorum perfidia, qvi rebus adversis diffugiunt, &

Nullus ad amissas ibit amicus opes.

Zelus.

Ex vers. 10. *I. Zelus domus tuæ exedit me.)* Exemplo Christi reqviritur suo modo in officii demandati partibus à ministris verbi Zelus, ne in eorum aliqvem qvadret illud Apoc. 3, v. 15. 16. qvod neqve calidus neqve frigidus sit. Videmus etiam hinc, qvàm necessariæ sint Episcoporum Ecclesiæ visitationes, qvod pluribus h. l. explicat Gesnerus. Nobis sufficit indice digito notasse præcipua.

Fratres diligamus.

II. Opprobria probris afficientium te ceciderunt super me.) Ut Christus propter Deum & nos omnia mala pertulit; ita & nos propter fratres lucrandos aliqvid toleremus, qvod Paulus hinc elicit Rom. 15, v. 3. Ut enim omnia alia, sic hæc qvoqve ad nostram doctrinam sunt præscripta, ibid. v. 4. Refer huc etiam 2. Cor. 6, v. 8. Hebr. 11, 36.

Post tristia læta.

Ex vers. 11.) *Fleo, dum erat in jejunio anima mea.)*

Verbum, preces & lachrymæ,
miseræ arma sunt Ecclesiæ:

Post fletum tamen risum, post tristitiam lætitiam, post lu-

luctum uberrimum fructum pii reportant, Joh. 16, 20, 22. Psal. 126, 5.

הַזֹּרְעִים בְּרִמְעָה qvi seminant in lachrymis,
הַקֹּוצְרִים בְּרִנָּה: olim metent in gaudiis,

nunc jejunant, ut olim in cœlo cum Deo convivant, hîc à mundi deliciis plerumq; abstinent, ad qvos paradisi gaudia pertinent. Vide Lazarum & plerosq;, qvorum catalogus recensetur Heb. 11. præcipuè v. 37.

Ex vers. 12. *Dum statuo vestimentum meum cilicium.*) Nimis vestibus se ornare est dedecoris notas ac vestigia publicè ostentare, & in amictu luxuriare est cum rectâ ratione insanire, nimis se comere, est phantasiæ suæ argumenta promere Act. 25, 23. ob peccata enim vestes, lapsus protoplastorum locupletes testes, Gen. 3. induere autem in luctu cilicium esse debet nostræ humilitatis indicium, non superbiæ testimonium, ut hodie in multorum funeribus. *Vestes.*

Ex vers. 13. *Confabulantur de me sedentes in porta.*) Qvandoqve conveniunt & in una sede morantur, officii dignitas, & animi malignitas, & qvidam judices sunt revera caudices, dum nihil aliud spectant, qvàm qvomodo bonis illudant, & ex suis technis argentum cudant, non numinis, sed dæmonis vicarii, cujus est bonos conviciari. *Mali judices*

11. Organa musica cum his, qvi bibunt siceram.) Age ludificentur nos, qvi vivunt, qvi bibunt: erit (nisi resipuerint) ubi esurient ac sitient, habebuntq;, qvi hîc malas cecinêre odas, ὠδὰς, qvi hîc cecinerunt in aliorum ignominiam ad lyram, ibi ejulabunt conjecti in infernalem pyram. *Cantus malorum.*

Remedium mali.

Ex vers. 14. *I. Ad me quod attinet, oratio mea ad te.*) Qvid faciendum in tentatione, afflictione, inimicorum irrisione &c? à mundo recedas, ad Deum accedas, ores, plores, ad Christi mandatum & exemplum probatum Matth. 26. 38. 39. 41. Adde Mosen ad mare rubrum ab hostibus obsessum, Davidem calumniis & injuriis pressum, Jeremiam pro suo populo intercedentem, Paulum precibus incumbentem.

Dei benevolentia,

II. Jehova, tempus est benevolentiæ.) Qvum mundus frena laxavit malevolentiæ, Deus fores aperit suæ benevolentiæ, fidei manu pulsa, non feretur abs te repulsa. Nulla autem Dei benevolentia nobis obtingit, nisi in Christo filio dilecto, qvia hunc qvi in precibus non assumit, illum Deus velut ignis consumit.

benignitas,

III. Pro amplitudine benignitatis & fidei.) In precibus nulla crepanda nostra merita, sed tantùm nostra miseria, Dei misericordia & promissa gratuita: si tu per te capere, qvæ rogas, non es dignus, ipse est benignus; non servat te ob tuam bonitatem, sed suam ipsius veritatem.

huc confugiamus.

Ex vers. 15. 16. 17. 18. 19. Qvando sumus luto calamitatum immersi, & dedecore calumniarum ab oseribus ac roseribus conspersi, fluento miseriarum abrepti, profundo tentationum ferme absorpti, in his malis ad Dei bonitatem, in horum adversorum multitudine ad miserationum Dei amplitudinem, per spem certam, tanqvam sacram anchoram est confugiendum, commendemus nos ei in clientelam, sic citò præstabit medelam, aderit patronus, vindicabit suos bonus. Singula verò hæc mala ita sunt aspicienda, qvod nobis ob peccatum qvidem

dem debebantur, verùm à Salvatore nostro pro nobis tolerentur & suscipiantur.

Ex vers. 20. *Tu nosti.*) Est magnum solatium, qvod Deus norit nostrum opprobrium. Non enim tandem justæ causæ deerit justus ille judex, & faciet ut tandem adsit vindex. DEus novit.

Ex vers. 21. *Opprobrium frangit animum meum.*) I. Christus pro nobis sustinuit ignominiâ summâ affici, ut nos in eum credentes afficeremur æternâ gloriâ: opprobrium ejus animum graviter cruciavit, ut solatium ex ejus merito perceptum nostrum animum suaviter refocillaret: sensit animi angorem & ægritudinem, ut nos perciperemus æternam beatitudinem, factus est ad tempus אנוש ut esset propter eum piis שִׂמְחַת עוֹלָם עַל רֹאשׁ Esa. 35, 10. Christus multa pro nobis passus est.

II. Qvumqve expecto, qvi condoleat, nemo est.) Ea multorum est perversitas, ut qvum, qvod lex naturæ dictitat, sibiqve unusqvisqve ab alio fieri optat, & apostolus, cui Deus hinc inde in scriptura id præscripsit, mandat, debeant cum flentibus flere, ipsi malint in sinu gaudere, qvum debebant solari, malint non comparere, qvum debebant accurrere & succurrere, malint hostiliter incurrere, vel saltem auxilium & consilium omne subtrahere. Συμπάθεια

Ex vers. 22. *I. Qvando dant pro alimento fel.*) Protoplasti deliciis diditi amiserunt Dei gratiam, eandem ut repararet Christus, amaris satiari voluit, illi mellea poma decerpserunt, hic fellea pocula exhausit. Fel.

II. In siti mea.) Pro nobis Christus sitit, ne nos cum divite epulone in æternum siti excruciemur Luc. 16. Christus sitit.

ita ille pro noſtra luxuria ſatisfacit & ingluvie, ut nos meminerimus eandem cavere Luc.21,v.34. Epheſ.5,18. contrà autem calicem Domini & nos bibamus, qvia prior bibit Dominus Pſ.116, Matth.20.

Pars Secunda.

Judæorum pœnæ.

Verſ.23.) Audivimus Judæorum hoſtiumqve Chriſti ſummam crudelitatem: nunc addit Salvator pœnarum ipſis in impœnitentia perſeverantibus decretarum à Deo ſeveritatem, ubi, qvod ad hanc vitam, illis denunciat, rerum cariſimarum tam ſpiritualium, qvàm corporalium privationem v.23. & ſeqq. & qvod ad alteram vitam æternam damnationem. Sæpè per qvæ qvis peccat, per eadem punitur, ut in Pharaone, Exod.1. & 14. concubina Levitæ, Jud.19. & 20. videre eſt, Sap.11,17. ita etiam h.l. ubi in afflictione & paſsione Chriſti, nempè qvod qvando ſuaviſsimo potu eum debebant recreare, acerbiſsimo aceto ac felle voluerint eum torqvere, ſubſtitit, hinc ſtatim in pœnarum illos manentium exaggerationem incipit, petitq;, ut ex pœna talionis Deus omnem, qvam ſibi parant, refectionem vertat in dejectionem, delicias in ærumnas, qvicqvid cedere ſolebat & debebat in proſperitatem & commoditatem, cedat in perniciem atqve cladem, qvod datum eſt in vitam, cedat illis in exitium & mortem. *Sit* ſeu vertatur *menſa eorum, qvæ ante eos* à DEO in ſalutem parata, Pſalm. 23, v.5. hoc eſt, ſacra ſcriptura, qvam Deus velut menſam inſtructiſsimam proponit, ut inde qvisq; ſpiritualiter eſuriens atq; ſitiens Matth. 5, v. 6. ſumat ſibi, qvod ſapiat, ſe qvod recreet ac foveat, ipſorum

Sap.11,17.

Pœna talionis.

Menſa à Deo parata.

rum vitio atqve culpa, qvum ex DEI intentione sit odor mortis ad mortem, 2. Corinth. 2. vers. 15. 16. Lutherus in margine, Tisch / das ist / ihre Predigt und Lehre damit sie sich meinen zu speisen. *Sit illis in laqveum, & in retributiones, & in tendiculam* seu laqveum aucupis; ubi similе elegans ab aucupibus desumptum. Sicut enim aves, qvando securæ sunt, & in area escas suas absumunt, de improviso capiuntur reti adducto, & occiduntur: sic impii illi atq; neqvam in sua hypocrisi & vana bibliorum lectione, verbiq; Dei vana auscultatione (ubi sunt auditores tantùm, non factores Jac. 1, 22.) qvando putant se animæ cibum esse arrepturos, interoscitantes opprimuntur, & suis malis factis implicити ad infernum detruduntur. In textu hebræo שְׁלוּמִים notat ἀνταπόδομα & interprete Paulo, ideoq; qvum constanter ita legamus, Piscatoris vetus & satis cognita illa ἀνθάδεια substituentis שְׁלוּמִים & textum authenticum corrigentis, nigro theta prefixo notanda, non attendenda aut seqvenda est, non modò qvod Lexicographi probati contradicant, (inter qvos etiam Calvinianus Buxtorfius in Epitome Radicum) aut interpretes alii, etiam Calviniani, aliter sentiant, sed vel maximè, qvod ante tot secula Masora correctionem anteverterit, dum notavit ל, id est, non extat, & talia, qvæ semel saltem in hoc uno Psalmo occurrunt, nec præterea usqvam in totis bibliis apparent, esse multa, ibidem videre est in margine, ubi præterea illa nota vel 33. vicibus occurrit. Ad nomen plurale שְׁלוּמִים etiam Esa. 34, 8. notat Masora ל, ideoqve sunt hæc duo diversa nomina. Mollerus & alii qvidam etiam malè ita reddunt, & pacifica in rete,

Tendicula.

שְׁלוּמִים

Piscator notatur.

ל

rete, eosq; refutat. ל præfixum, qvod non notat peculiarem nominativum, sed novum antecedenti & seqventi jungendum accusativum. Audiamus autem omni exceptione majorem optimum interpretem Paulum Rom. 11, 9. 10. ubi hunc & seqventem versum ita reddit, uti suprà sub initium hujus Psalmi expressi, ubi hoc hebræum vocabulum reddit ἀνταπόδομα in singulari, respiciens sensum. Vide notas Tremellio-Junianas in h. l.

Rom. 11, 9. 10

Vers. 24.) Porrò imprecatur illis privationem in consiliis capiendis sapientiæ, in rebus gerendis potentiæ: ibi metaphoricè intellectum vocat oculos, hic robur dorsum, q. d. excœca & enerva. Sicut enim qvi oculis sunt privati, qvò sit eundum, ignorant: & sicut qvorum dorsum vel lumbi sunt fracti, viribus destituuntur & inepti ad actiones corporales: sic illos vult cœcitate spirituali percuti, & perpetuo servitutis jugo incurvari à diabolo, jam huic à Deo traditos. Qvia abusi sunt sua sapientia & potentia contra me immerentem, age Deus pater illis utramqve deinceps adime, tuum talentum malè collocatum à malis servis reposce. *Obtenebrentur oculi eorum*, Esa. 6, v. 9. Matth. 13, v. 14. 15. *ut non videant*, hebr. מֵרְאוֹת, ubi מ negativam significationem habet, vide Comm. in Jon. 4, v. 3. τὸ μὴ βλέπειν, ne cernant verum, qvod adeò pertinaciter reprobarunt 2. Thess. 2, 10. 11. confer 2. Cor. 3, v. 14. 15. & *fac ut lumbi eorum jugiter nutent*, hoc est, dorsum eorum incurva. Confer Rom. 1, v. 22. 23. 24. 25. 26. 28. Lutherus, Ihre Lenden laß immer wancken / & Rom. 11. beuge ihren Rücken allezeit.

מ i. e.

Vers. 25.) Ne autem elabantur, facilè cavebit Deus, qvia

qvia tum qvando minimè putant, irruet hæc pœna divinitùs, cœlitùs, inopinatò. *Effunde* (notatur copia vide Comm in Joel. 2, 28.) è cœlis velut super Sodomam sulphur & ignem, vel super primum orbem aqvam Gen. 6. & 19. sic *super eos* effunde *indignationem tuam*, ut bibant de poculo tuo vinum turbidum & plenum mixtione, ex qvo fudisti Psal. 75, v. 9. confer Psal. 79, v. 6. sic erit, ut fugiens ab audito pavore incidat in foveam, & qvi ascendit è medio foveæ capiatur laqveo (ubi observes climacem & in textu hebræo elegantissimam παρονομασίαν) nam cataractæ ex alto aperientur, & concutientur fundamenta terræ Esa. 24, 18. *& æstus iræ tuæ assequatur* ac comprehendat *eos* veniatqve super eos ira tua in finem, 1. Thess. 2, v. 16. Notatur igitur his verbis pœna inevitabilis & intolerabilis. Nam is salvari neqvit, qvem ipsa salus deserit, imò perdit, & evadere neqvit, qvem Deus prehendit in ira, ita ut hanc omnem effundat. Esa. 24, 18.

Vers. 26.) Etiam temporaliter & corporaliter eos punias, ædium vastatione, & generis seu familiæ sublatione. *Sit castellum eorum* unumqvodqve *desertum* Actor. 1, 20. γενηθήτω ἡ ἔπαυλις αὐτῶν ἔρημος & *in tentoriis eorum ne sit habitator* seu incola, dum ipsi morte violenta vel à se, ut in Juda completum est, vel ab aliis illata tolluntur, siqvidem juxta Augustinum, ubi potuerunt contra dominum clamare, ibi à Domino non permittuntur habitare, qvemadmodum etiam prædixit salvator Matth. 23, 36. & 24, 2. Luc. 19, v. 43. 44. confer etiam minas legales jam longè ante Davidem à Mose scriptas ex Dei ore Exod. 20, 5. Deut. 28, 30.

Vers.

Vers. 27.) Harum autem tam gravium imprecationum, seu veriùs vaticinationum earum rerum, qvæ eventuræ, & pœnarum, qvæ ex Dei justitia sunt inferendæ, oportet gravissimam esse causam? ita est omninò. Præterqvam enim, qvod illa omnia perpetrarunt Judæi, qvæ antea recensui in parte prima, etiam hoc, qvod nunc dicam, addiderunt, in inflictione plagarum, qvas Deus decreverat permittere, ut infligerentur filio suo, illi paverunt oculos, oblectarunt animos, & multa alia ex sua neqvitia addiderunt, ut habet historia passionis. *Qvia, qvem tu percussisti* ô DEus Esa. 53, v. 7. *illi persequuntur*, & prorsus tollere eum cupiunt, atqve ita qvod tu abominaris, & propterea graviter comminaris Zach. 1, v. 15. 16. (in qvem locum vide Comm.) adjutores fuerunt in malum, & non satis habent infligere vulnera, sed & *de* plaga ac *dolore confossorum tuorum narrationes contexunt*, suaviter de plagis tuorum sanctorum fidorumqve confessorum ac propterea confossorum, servorum atqve martyrum tuorum confabulantur, se talibus narrationibus oblectantes q. re benè gestâ, ipsos etiam qvos à te duriùs tractari vident, sermone ludificantur, ubi jam Deus eorum? illudentes qværunt. Sic אֶל i.e. עַל accipitur pro עַל Gen. 20, v. 2. Psal. 2, v. 7. Lutherus paulò aliter vertit, und rühmen/ daß du die Deinen übel schlägest/ h. e. permittas ad tempus libidini eorum, qvi sine causa eos percutiunt & interficiunt. Malè autem suo more viderunt LXX. (uti vulgò nominantur) qvando verterunt, καὶ ἐπὶ τὸ ἄλγος τῶν τραυμάτων μου προσέθηκαν, & inde suo qvoqve more vulgatus latinus, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt, transscripsit,

psit, cum in חֲלָלֶיךָ non sit affixum primæ personæ, nec חָלָל significet vulnus, nec in textu hebræo inveniatur יִסְפְּדוּ, sed וְיִסָּפְדוּ. Vide tamen, ubi bonas horas perdere cupis, Bellarminum hæc ita conciliantem, ut nihil supra, qvod qvidem ille sibi persuadet, eundem esse sensum. Sed benè, qvod neq; Bellarmini Commentarium fecit Tridentinum concilium canonicum, ut ipsam versionem latinam vult esse authenticam, qvæ est contradictio in adjecto. Verum de his alibi: vide commentarium Molleri, ne si plura huc adscripsero, hic nimis excrescat.

Vers. 28.) Qvia verò illi afflictis addunt afflictionem, & dolori dolorem, tu qvoqve ô Deus, ex lege talionis, qvum corrigi nolint, trade eos diabolo, ut sua culpa de peccato in peccatum ruant, nec modum neq; finem suis vitiis ponant. *Pone* seu appone (hebraicè תֵּן qvod h. l. permissivè est explicandum juxta scripturæ analogiam, vide qvæ de hoc verbo ejusq; hac significatione dicta superiùs Ps. 16, v. 10. & de re ipsa in Psalm. 5. v. 5.) *iniqvitatem ad iniqvitatem eorum*, trade in sensum reprobum Rom. 1. ut à peccato uno pergant statim ad alterum, qvo si se ita maculaverunt ac polluerunt, seqvitur (qvod tantùm, & non benè, Tremellius ac Junius habent) qvod apponas etiam pœnam ad pœnam, alteram alteri superaddas, temporali æternam. Lutherus meliùs, laß sie in eine Sünde über die ander fallen / das ist / laß ihnen nichts gut noch recht seyn / *& ne veniant ad justitiam tuam*, qvùm nolint sanctis tuis monitis obedire, sine eos perire, sine eos in impœnitentia progredi, & ne extraordinariè convertantur, ut in Paulo paucisq; aliis factum, justiq; pronuncientur. Tale enim est iter impro-

Prov. 4, 14. borum, qvale id describit rex sapientissimus Prov. 4, 14. & seqq. similis est via eorum caligini, nesciunt & non vident aut prospiciunt, in qvid impacturi sint ibid. v. 19. qvod ex contrario versu antecedenti eleganter describitur. Et non malè in hanc sententiam scriptum reliqvit Cicero lib. 4. Tusculan. qvæst. Qvi modum vitio qværit, similiter facit, ac si posse putet eum, qvi se è Leucade præcipitaverit, sustinere se cum velit. Ut enim id non potest, sic animus perturbatus & incitatus nec cohibere se potest, nec qvo loco vult, insistere omninò. Qvæqve crescentia pernitiosa sunt, eadem sunt vitiosa nascentia. Et ut ille de amore, uno animi pravo affectu, amor animi arbitrio sumitur, non ponitur, qvod pluribus declarat Comicus Terentius Act. 1. sc. 2. Eunuchi, & ex eo Horatius l. 2. Sat. 3. eum neq; modum neq; rationem in se habere &c. id de omnibus vitiis atq; flagitiis est verissimum. Hinc qvisq; sibi dictum putet de malis illis:

Malè semper in pejus ruunt.

principiis obsta

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Qvum mala per longas convaluere moras.

Hinc enim liqvet, qvomodo tales desperati non perveniant ad Dei justitiam, non qvod ille nolit, non qvod non habeant media conversionis, sed qvod diabolus, à qvo aguntur 2. Tim. 2, 25. 26. & animus ipsorum pravus, qvem tantùm audiunt, & consuetudo, tyrannus illi pessimus, obstent, aliudq; svadeant. Qvod qvùm contra qvosdam crassos Calvinianos sit probè notandum, age elegantem & verissimam hujus loci explicationem ex Calvinano Mollero apponamus, iisq; opponamus. Petit ut deserantur à Deo, atqve ita destituti gratia divina ruant ex uno scelere in aliud, atq; ita mensuram suorum

Calviniani refutantur à Calviniano.

peo-

peccatorum impleant, & tandem sine pœnitentia ruant in æternum exitium. Iniqvitatem nonnulli interpretantur pœnas peccati, qvasi hoc velit propheta, ut Deus pœnas pœnis accumulet, atq; ex uno genere calamitatum in aliud eos conjiciat: sed seqvens membrum ostendit, eum loqvi de culpa potius qvàm de pœna. Non autem hoc vult, qvod Deus autor sit peccati, aut qvod velit seu efficiat peccata. Hæc enim sunt, qvæ odi, dicit Dominus, & suprà Psal. 5. dicit David: Non Deus volens iniqvitatem tu es. Dicitur igitur addere iniqvitatem iniqvitati, dum retrahit gratiam suam, & deserit impios, pro suis meritis, ut sponte & ultrò ruant ex uno scelere in aliud, atq; ita peccatis Deus punit peccata, non qvidem effectione, sed desertione, idq; facit ex justissima ira adversus peccatum. Atq; ita intelligendum est hoc qvod Paulus dicit, Deum tradere impios in reprobum sensum. Nam ut Augustinus lib. 1. contra duas epistolas Pelag. cap. 18. inqvit: Non ex Dei potentia vel in malum, vel in bonum invitus aliqvis cogitur, sed Deo deserente pro meritis it in malum, & Deo adjuvante sine meritis convertitur ad bonum. Et in hunc ipsum Psalmum. Addit iniqvitatem non vulnerando, sed non sanando: sicut febrem vel morbum augemus, non morbum adhibendo, sed non succurrendo. Et porrò justitiam expono activè pro ea, qvâ Deus pronunciat justos. Hæc ille olim in Academia Wittebergensi, qvum eam regerent crypto-Calviniani: sed idem olim docuit ex Calvinianis in Academia Lugdunensi Junius, in Acad. Oxoniensi Corranus, in Acad. Hafniensi Hemmingius, in Acad. Marpurgensi Moltherus, in Acad. Heidelbergensi Sohnius.

Vers. 19.) Hactenus pœnæ tempŏrales sunt exaggeratæ: restat autem ultima, eaq; gravissima, videlicet æterna condemnatio, de qva hæc sonant: *Deleantur de libro vitæ* (ita malim חַיִּים vertere substantivè, qvàm adjectivè, qvod hinc inde in simili constructione ita usurpetur, & passim liber ille Dei, non liber viventium, sed vitæ nominetur. Confer Exod. 32, 32. Dan. 12, 1. Ezech. 13, 9. Phil. 4, 3. Apoc. 3, 5. & 20, 11. & 21, 26. tum etiam qvia viventes etiam possunt illi dici, qvi credunt ad tempus, nec tamen salvantur Luc. 8, v. 13.) Qvid verò hoc est dicere, dicat qvispiam? qvum liber Dei sit catalogus certò salvandorum, & in illo libro tantùm scripti electi, ergone & illi inde possunt deleri? R non utiq; delentur, qvi verè semel sunt inscripti, sed qvia, qvi in Ecclesia vivunt juxta opinionem & κατὰ δόξαν aliorum scripti esse in illo libro credantur, hactenus deleri inde dicuntur, qvatenus nunqvam fuisse scriptos illos, opere ipso & re declaratur, unde seqvitur in exegesi luculenta אַל־יִכָּתְבוּ *ne conscribantur cum justis*, cujus particulæ prohibentis אַל emphasin Lutherus elegantissimè expressit, daß sie mit den Gerechten nicht angeschrieben werden/ & longè aliud est לֹא יִכָּתְבוּ, qvod simplicem tantùm negationem vi sua plerumq; importat, אַל autem prohibitionem in se continet propriè, & illa longè generalior est particula qvàm hæc. Unde constat, deleri h. l. esse, non vel nunqvam scribi, & ita (ut vulgo solet aliàs fieri) reputari, ac qvi fuerunt qvidem scripti, sed deleti postea, qvi eodem loco habentur cum illis, qvi nunqvam sunt scripti. Et nota, idem qvod versu præcedente dicebat, ad justitiam tuam in hac vita non perveniant.

Liber vitæ.

Qvomodo inde qvis deleatur.

id

id de declaratione post hanc vitam, ubi, sicut arbor cadit, ita jacet, subjicit, cum illis justis beandis non eodem in catalogo reperiantur. Subtilior ex aliis possunt peti. Videatur Augustinus in h.l. Mollerus, Gesnerus & alii. Id addo, Apoc. 17,8. confirmari hanc explicationem his verbis, ubi fit sermo de impiis perdendis æternùm, qvorum nomina scripta non sunt in libro vitæ à jacto mundi fundamento. Si autem tum non sunt scripta, nunqvam sunt scripta, qvia tum omnium electorum nomina sunt consignata Ephes. 1, 4. Qvæ autem nomina non sunt scripta, verè deleri neqveunt, qvia privatio præsupponit habitum, & deletio scripturam.

Loci Communes.

An liceat imprecari?

Anteqvam ad singularia progredimur, qvia in his sunt imprecationes, iisq; hodie adhuc dum contra omnes Romanæ Ecclesiæ hostes utuntur monachi & moniales, qværi hîc potest, *An homini pio liceat imprecari aliis*, qvùm alibi etiam pro inimicis jubeantur orare, qvod etiam suo exemplo docuit Christus, qvi tamen hîc suos hostes diris devovet? Vide Matth. 5,44. 1. Pet. 2,21.22. Luc. 23,34. Esa. 53,15. Luc. 6,27.28. Actor. 7,60. 1. Corinth. 4,12.13. Rom. 12,14. Respondendum est distinctè de distinctis. Et primò qvidem videndum, ex qvo principio oriatur: secundò in qvod objectum dirigatur: tertiò circumstantiæ expendantur: qvartò finis diligenter perpendatur. Licet, qvando ex spiritu Dei heroico ac principali id dictatur heroibus qvibusdam & prophetis, qvorum facta, qvippe speciali ductu ad ea incitatos eos esse constat, non cadunt sub vulgarem regulam. Contrà non licet, qvando ex carnalibus affectibus

R. disting. Licet,

non licet. I.

bus & dictamine humanæ rationis, vel ipsius diaboli instinctu privatus aliqvis imprecari audet, sed est gravissimum peccatum in Deum, qvem volumus in justitiæ nostræ esse patronum, ac proximum, qvem planè cupimus
II. esse perditum. Porrò sedulò perpendatur, num sint illi hostes planè desperati & inemendabiles, id qvod nemo etiam simpliciter scire potest citra specialem Dei revelationem. Ideoq; qvi eam non habent, aut non imprecentur, aut id sub conditione finalis impœnitentiæ & resistendi Deo libidinis incurabilis, si tales esse pergant corrigi planè nescii, tantùm faciant, qvum ipsi non sint pro-
III. phetæ. Tertiò non negligendum, qvam ob culpam imprecatio instituenda sit. Oportet eam esse non levem, sed atrocissimam in Deum blasphemiam continuatam, aut rabiem ac immanitatem in afflictos planè diabolicam & flecti nesciam, vel etiam in peccatis horrendis jactantiam. Aliàs ob damnum vel tuæ famæ, vel corpori, vel bonis datum, vel etiam ob alias leviores causas nullo modo imprecari licet. Notent hoc cùm alii omnes ad imprecandum proclives, qvi qvocunq; modo læsi aut irritati diras arripiunt & evomunt, non secus ac si ipse diabolus horrendum ex illis malediceret: tum vel in primis *qvidam* pagani pastores, animi impotentis homines, qvibus cum vel aliqvid furto est sublatum, vel aliud leviculum damnum illatum, statim in suggestu publicè contrà eum, qvem putant esse ejus criminis reum, omnes maledictiones prælegendo ex Levit. 26, 15. & Deut. 28, 15. seqq. detonant, & qvidem impunè. O Christianos! & præclaros Christianorum duces ad cœlum! De his jam ante seculum in Psal. 109, p. 607. scripsit D. Bugenhagius.

Illi

Illi inprimis sunt ex numero maledictorum, qvi his verbis abuti solent contra fures, & nescio qvos alios, & nihil norunt, nisi maledicta jactare, maledictionis filii, qvi secundum nomen suum deberent benedictionem omnium gentium, hoc est, Evangelium prædicare. Demum non nisi ad Dei gloriam referendæ sunt illæ imprecationes, planè nullo modo ad privatam vindictam, neq; tantùm ideò instituendæ, ut sit malè iis, qvibus malè volumus. Ergò non temerè ad illas est prosiliendum. Vide Psalm. 55, 10. 11. 12. IV.

Ex vers. 23. *Sit mensa eorum coram ipsis in laqveum &c.*) Per accidens & vitio ac culpâ hominum etiam optima qvæqve & data in vitam, cedunt in mortem, & qvæ erant ordinata ad rumpendos diaboli laqveos, ejusdem captivitati (ubi non rectè illis utimur, imò qvando illis abutimur) nos mancipant. Sic verbum Evangelii prædicatum & pertinaciter reprobatum fit odor mortis ad mortem, 2. Cor. 2, 15. & qvod datum erat ad aperiendum oculos cœcorum Act. 26, 18. atq; ad illuminandum, Joh. 1, 9. Eph. 3, 9. excœcat Matth. 13, v. 14. Caro & Sanguis Christi ab indignis qvando percipiuntur, in judicium comeduntur 1. Cor. 11, 27. 29. Christus ipse mundo datus Salvator, ubi non recipitur, fit condemnator & severissimus judex Joh. 3, 19. 36. Confer Matth. 11, 20. 21. Luc. 12, 48. Bonis itaq; Dei donis rectè & benè utamur, 1. Tim. 1, 8. 1. Cor. 11, 28. 2. Cor. 2, 16. Matth. 10, 14. 15. ita de bonis corporis, fortunæ, ingenii, &c. sentiendum etiam, si qvis iis, qvæ data ad Dei gloriam & proximi commodum, abusus fuerit, qvò illa fuerint majora, eò gravius manet illum judicium Matth. 23, 14. 15. Jac. 3, 1. Apoc. *Bona cedunt in malum.*

Apoc. 18, 7. Cum timore ergò & tremore tractentur sacræ literæ, ne, qvæ datæ sunt ad vitam Joh. 5, 39. & 20, 21. cedant ad mortem Johan. 12, 48. Vide qvæ dicta in Psal. 23, 5.

Qvomodo mali occæcentur.

Ex vers. 24. *Obtenebrentur oculi eorum)* Qvemadmodum, ubi oculi malè sunt affecti vel lippiunt, splendore solis magis, qvo sani oculi illuminantur, affliguntur suo vitio proprio: ita etiam in spiritualibus, ubi oculi mentis Act. 26, 18. Eph. 1, 18. à diabolo sunt scotomate qvodam obducti, aut propria culpa connivent, cum sol justitiæ & lux mundi in Evangelii verbo oritur ac refulget, ipsi suâ culpâ magis magisq; obtenebrantur, qvod in Pharisæis aliisq; incredulis Judæis tempore Christi optimè cernere est. Qvò enim plures conciones hic habebat, qvò plura majora ac illustriora miracula edebat, eò magis illi indurabantur & pertinaciores reddebantur. Ut autem sole sub hæmisphærium nostrum digresso sequntur tenebræ, ita ubi Deus suam oblatam & spretam illuminandi vim subtrahit justo suo judicio, oculi mentis ex seipsis caligant, qvia homines non renati à lapsu Adami sunt tenebræ. Sic etiam qvi erecti & à Deo adjuti rectè incedere nolunt, his ubi illa Dei gratia subtrahitur, suo vitio claudicant, nutant, mutant, & non rectè incedunt.

Ira Dei duplex.

Ex vers. 25. *Effunde super eos indignationem tuam)* Deus qvidem irascitur piis, sed ut pater Mich. 7, 9. sed non ut animum paternum planè ejiciat, aut judex severus evadat, castigat, non punit, παιδεύει, οὐκ ὀλοθρεύει, Hebr. 12, 6. & 11, 28. Effundit autem omnem iram in impios, & in æstu ac furore suo eos corripit, qvod

pii

pii deprecantur Psal.6,2.& 38,2. confer Comm. in Hos. 5,10. Soph.3,8. Thren.2,4.& 4,11.& Joel.2,28. Eram typum hujus rei habes in diluvio,& sodomorum incendio, utrobiq; est pluvia,ibi aqvæ,hic ignis.

Ex vers. 26. *Sint castella eorum desolata.*) Vis scire, unde sit regionum florentissimarum, urbium populosarum,arcium munitissimarum &c. desolatio? crede,qvod sit antegressa legis divinæ nefanda violatio, personarum miserabilium oppressio ac despoliatio, verbi divini contemptus atqve aspernatio. Et hæc qvidem qvùm in Germania hinc inde fuerint diu deprehensa, iisqve S.S. Trinitatis offensa,mirari desine,qvod illa omnibus modis desoletur ac vastetur. Corrigatur vita, ut auferatur pœna. *Vastitas unde?*

Ex vers.27. *I. Qvem tu percussisti,persequuntur.*) Afflicto non est addenda afflictio, Prov.17,5. Sir. 7,10. & ἐπιχαιρεκακία est vitium Deo maximè exosum, qvod jam ante & alibi hinc inde pluribus est probatum. Diabolicum hoc est flagitium, & proinde maximum meretur supplicium. Qvomodo autem, qvi idem vult, qvod Deus vult,peccet gravissimè, qvando non vult eodem modo,in tractatu de fœderibus est indicatum,& declaratum in Exerc. bibl. p.801.803.804. Comm. in Hos.1,4. Zach.1,v.15. *Ἐπιχαιρεκακία.*

Ex vers. 28. *Trade illos de peccato in peccatum.*) Egregriè hoc explicat Paulus Roman.1,v.24.26.28. tradit diabolo corrigi nescios ex justitia,& voluntate consequente, permittens & relinqvens eos suis desideriis pravis,qvomodo semper ex uno peccato ruunt in aliud. Dum enim gratia Dei illis, qvi nolebant eam acceptare, *Qvomodo Deus tradat Satanæ.*

justè subtrahitur, qvid sine illa luce naturâ occœcati viderent, qvid naturâ stulti in spiritualibus intelligerent, qvid boni ipsi mali, postqvam summum bonum ab iis recessit, qvod ad præsentiam gratiosam, præstarent? peccatores ipsi nil possunt, nisi peccare, atq; ita de die in diem iræ iram thesaurizare. Sed (qvod vel ex hoc loco liqvet, ubi culpam pœna premit comes) nullos Deus ita tradit Satanæ, nisi qvi jam suis atrocibus peccatis promeruerunt, & nullos deserit, nisi ipse priùs desertus. Atq; ita porrò, dum non liberantur ex potestate illa Satanæ, sed ad ejus voluntatem captivi ducuntur, & DEI auxilio gratioso, qvod antea spreverunt, destituuntur, non possunt ad justitiam Dei pervenire, qvibus tamen absolutè gratiæ janua non est præclusa 2. Timoth. 2, v. 25. 26. si modò media conversionis ordinaria non negligant, aut si per ea operaturo Spiritui S. pertinaciter resistere desinant.

Liber vitæ. Ex vers. 29. *Deleantur de libro vitæ.*) Electi soli libro vitæ verè sunt inscripti: qvi verò pereunt, nunqvàm illi fuerunt inserti, nisi κατὰ δόξαν ii, qvi ad tempus credunt, & postea deficientes in finali ἀποστασία decedunt, qva de re pluribus solet disceptari in L. de prædestinatione.

Pars Tertia.

Vers. 30.) Hucusq; audivimus passiones Christo pro nobis impositas, &, qvia in illis inferendis hostes ejus, Judæi, Pharisæi, scribæ &c. nihil ad summam crudelitatem fecerunt reliqvi, imprecationes & pœnas denunciatas atq; appositas. Nunc itaq; poterat qværi, qvid ergò

ergò fit tandem de Salvatore oppresso & precante? liberatur ex omni angustia & dolore, & coronatur post passionem gloriâ & honore, qvo nomine meritò patri suo agit maximas gratias. Et in hoc qvidem versu summam hanc ponit 1. suæ miseriæ, de qva in parte hujus Psalmi prima, & 2. suæ gloriæ, qvam porrò usq; ad finem Psalmi in hac tertia parte ex conseqvente suo gaudio ac triumpho declarat. *At ego*, dum pro me meisq; in statu exinanitionis precor, hostibus autem præfractis ex justo zelo imprecor, *sum pauper* (eleganter in textu hebræo וְאֲנִי עָנִי, qvod & alibi reperies Psalm. 25, v. 16. & 40, 18. & 70, 6.) Confer Psal. 41, 1. & non tantùm pauper ac egens, sed etiam miser *ac dolens*, vir dolorum Esa. 53. exteriùs & interiùs affligor pro generis humani salute ad tempus: sed fiet mutatio, Salvatorem me paulisper desertum Psal. 22, 2. &c. *Salus tua, ô DEus, in edito collocabit me*, ex omnibus malis me eripiet, ex morte ipsa me eruet, ut ignominiâ affectus gloriosè resurgam, & postea in cœlos ascendens ad dextram tuam, ô Pater cœlestis, consideam. Psal. 110, 1. 7. Qvod ad phrasin, confer qvæ dicta in Psalm. 91, 14. Etiam vide Job. 36, v. 22. Psal. 9, 10. & 46, 8, 12. & 62, 3. 7.

Christus a-git gratias.

pauper.

Vers. 31.) Hâc spe fretus in passione mea duro, & dum, qvàm felix passionum mearum futura sit catastrophe, prævideo, in Deo gaudeo, mihi gratulor, patriqve grates ago. Tum igitur, qvando salus tua, ô Deus, me extra omnem teli jactum constituit, *laudabo nomen Dei*, ut fas est, *cantico*, & *magnificabo eum gratiarum actione*, seu confessione & pia ἐξομολογησει beneficiorum mihi meisqve fidelibus præstitorum, hoc est hebrai-

cè תּוֹדָה. Vide Com. in Psal. 6, 6. Maximè autem hoc Christus facit in suis membris, per qvæ hoc expedit, qvemadmodum Spiritus S. clamare dicitur Abba Pater, & gemere Rom. 8, v. 26. cùm facit pios orare & gemere Gal. 4, 6. Rom. 8, 23. 2. Cor. 5, 4. De ipso Christo autem si qvis accipit, tum exponat de gratitudine, qvam patri præstitit prædicatione Evangelii per totum terrarum orbem.

Vers. 32.) At cur neq; Christus neq; Christiani potiùs offerunt sacrificia, cur non potiùs opimos boves, qvàm labiorum juvencos sacrificant? præterqvam qvod innuat post resurrectionem Christi desituras esse illas umbras & ceremonias, qvippe qvæ tantùm victimam mundi agnumq; Dei adumbrabant, etiam hoc denotat, Deum nunqvam grata habuisse sacrificia sine fide, sæpè autem, imò semper ex fide profectam gratiarum actionem sine victimis leviticis. *Hoc melius videbitur* magisqve placebit *Jehovæ bove juvenco* in flore ætatis constituto (ubi nota elegantem παρονομασίαν inter שׁוֹר v. 31. & שׁוֹר hoc versu) qvi facit cornua seu ea jam produxit, מַקְרִין *cornuto, aut ungulam scissam habente*, & proinde animali mundo Lev. 11, 3 4. &c. Nonnè enim Deus potiùs qvàm animal irrationale, qvod profert tantum exteriùs pilos, cornua & ungulas, acceptam haberet τὴν λογικὴν λατρείαν Rom. 12, 1 & hominis pii linguam, qvæ profert Dei laudes, promit ei grates. Confer qvæ dicta superiùs in Psal. 40, 7. 8. 9.

Vers. 33.) Qvùm ita caput Ecclesiæ, & primitiæ Christianorum sub initium N. Test. in laudes Jehovæ se diffundent, etiam alios & posteros suo exemplo excitabunt

bunt,ut & ipsi concipiant in mente gaudium, proferant ore jubilum. Qvum *viderint* hoc *mansueti* (vulgatus latinus,pauperes pro עניים legens עניים) *lætabuntur*, vide suprà Psal.22,27 & confer Psal. 68, 4. mansveti,afflicti, mites & pacifici, pauperes tamen spiritu Matth.5,v. 3. Vide Gesneri Comm. ubi audient Evangelii vocem proferri,cum summa voluptate accurrent, qværentes reqviem animabus suis,nec sine magno suo fructu atqve commodo,qvia ô vos *qværentes Deum* summo studio, attendite ,id lucri auferetis,*vivet cor vestrum*, primùm hac vivifica Dei voce ex morte spirituali excitabimini, & postea in hac vita conscientia tranqvilla gaudebitis ac tandem in æternum cum Deo vivetis in cœlo, suprà Psal. 22, v. 27. qvia apud Deum est fons vitæ Psal. 36, v. 10. & qvi invenit Jehovam, invenit vitam, Prov.8,35.

עניים

Vers.34)Fortè autem nostri curam Deus non gerit,nostra vota accepta non habebit, preces non exaudiet? Utiqve, qvia *attendit ad egentes Jehova*, *& vinctos suos non spernit*, qvæ verba facilè intelliguntur, præsertim si conferatur v. 25. Psal.22. ut non opus sit cum Bellarmino hæc explicare de experimento sanctorum patrum Vet.Test.qvos Christus descensu suo ad inferos vivificavit, qvippe qvi (juxta sententiam pontificiorum) vincti erant & compediti, qvoniam ex inferno ad cœlestem patriam transire non poterant, nisi Christus inferni claustra perrumperet, vectesq; ferreos suâ morte confringeret. Scimus enim, qvod Patres fideles æqvè per Christum sint salvati & statim à pio ex hoc mundo discessu facti in cœlis beati, qvemadmodum & nos Act. 15,9.

Qvi vincti h. l. intelligantur?

15,9.11. neq; est liberatio ex inferno Psal.49. neq; portæ ejus clauduntur ferro. Vide etiam hæc loca Luc.16,22.& 23,43. Gen.5,24. Hebr.11,v.5. Vocabulum vincti ne cui imponat, collatio instituatur horum locorum biblicorum Psal.68,7.& 79,11. & 102,21. & 107,10. Esa.42,7. & 49,9.& 61,v.1.(explicationem vide Luc.4,18.) Thren.3, 34. Zach.9,11.ubi de Ecclesia dicitur, qvod emiserit vinctos, qvæ tamen ad limbum patrum nunqvam descendisse legitur. Non spernere autem dicitur Deus, qvos maximè amat,curat,fovet, per hebraismum notum alibi notatum, & exemplis pluribus probatum. Suprà vide hæc Ps.22,25.& Ps.51,19.& 102,18.

Analogia fidei.

Non spernere.

Creaturæ mutæ Deum laudant.

Vers. 25.) Non sufficit verò salvatori pios homines ad laudes Dei excitasse, sed qvum omnes reliqvæ creaturæ sunt factæ propter hominem, meritò cum hoc lugente lugent Rom.8, 21. & gaudente suo Domino gaudent Psal.96,v.11. & 148. toto. *Laudabunt*, inqvit per insignem prosopopœiam, *eum cœli & terra, maria & omne repens in eis.* Sed linguam non habent? tamen materiam laudandi non tantùm & ipsa præbent Psal.19, v.1. sed & loqvuntur, & à creatore suo optimè intelliguntur Psal. 147, v.9.

Vers 36.) Cur autem animalibus & elementis brutis est canendum? qvia res probè sub manus succedit eorum creatori ac Domino generis humani salvatori, dum sibi inter mundi fremitus, diabolorumq; gemitus colligit Ecclesiam, præsertim valdè freqventem sub initium N.T. operâ Apostolorum, qvam Ecclesię collectionem phrasibus V.T. describit hoc pacto: *Qvia Deus* ille genitus mundi salvator ac Jesus יְשׁוּעַ *salvat* & instaurat

Ecclesia N.T. collectio.

rat *Sionem* spiritualem Psal. 2,6. Hebr. 12,22. *& ædificat civitates Jehudæ*, non illius terrenæ, cui desolationem prædixit vastissimam, suprà v. 26. Psal. 102,17. 22, 23. *ut habitent ibi* pii Eph. 2. *& hæreditario jure possideant eam* terram sanctam seu Ecclesiam.

Vers. 37.) De hac explicatione data ne qvod restet dubium, ecce Spiritus S. ipsius interpretationem, qvi Sionem & Judam, ejusqve cives ait esse omnes filios servorum Dei, & amantes nominis ejus, h. est fideles, pios, qvi Deum norunt ac qværunt. *Semen* ac posteritas *servorum ejus* (Dei, relativo se referente ad substantivum remotius, qvod non est infreqvens in Vet. & Nov. Test.) *possidebunt eam*, terræ sanctæ antitypum Ecclesiam, vide Psalm. 22, v. 31. 32. *& amantes nominis*, hoc est, Israel ille Dei Gal. 6, 16. *habitabunt in ea*. Confer qvod ad rem Psal. 23, 6. qvinam verò illi? semen servorum Dei, qvi, veris cultoribus ac patribus in fide succedere, & Deum agnoscunt eiqve adhærent, eum omnibus aliis rebus præferentes.

Loci Communes.

Ex vers. 30. *I. Ego pauper & dolens.*) Si Christus ratione bonorum corporis (inter qvæ non minimum est valetudo bona) dolens, & tamen Dei filius, non est egestas aut alia afflictio, etiam corporis, iræ Dei signum, si adsit pietas, qvod cum in aliis, tum potissimùm in Jobo videmus. *Egestas. infirmitas.*

II. Salus tua DEUS in edito collocabit me.) Christi resurrectio erat certò futura, qvia à DEO absolutè erat decreta, qvomodo ea adscribatur patri & filio, jam *Christi resurrectio.*

jam ante dictum est. Id tamen etiam hic discendum, qvod omnis, qvæ fit ex gratia, ad dignitates evectio sit à Deo placato, & ad salutem suorum eam dirigente, unde h.l. salus in edito collocabit. Aliàs malos etiam ex ira Deus attollit, ut lapsu graviore ruant, qvando sunt hoc antea promeriti.

Ad dignitates evectio.

Gratiarum actio.

Ex vers. 31. *Laudabo DEI nomen cantico.*) Etiam in mediis malis firma de exauditione debet esse expectatio, & voveri potest ac debet grati animi significatio, qvia gratiarum actione maximè delectatur, eâq; homo pius probatur. Verùm non tantùm vota sunt facienda, sed etiam Deo persolvenda, ad Dei præceptum Psal. 50, 14. Eccl. 5, 4. Sir. 18, 23. & exempla Jud. 11, 30. 35. Psal. 66, 14. & 116, 14. 1. Sam. 1, 11. Jon. 1, 16. Malè igitur faciunt, qvi Deo in morbis, ut obtineant sanitatem, vovent pietatem, & postea voti immemores locum dant proverbio, da der Krancke genaß/ ward ärger denn er was/ malè nautæ salvati ex periculis maris non solventes vota: malè in bello liberati & non emendati.

Vota solvenda.

Ex vers. 32. *Magis placebit qvàm juvencus.*) Sacrificia sine fide oblata non sunt Deo grata: vide alibi hoc deductum prolixius: & contrà animum beneficii non immemorem, verè gratum habet turturem. Confer Gen. 15, 9. Levit. 5, 7. Cant. 2, 12.

Turtur spiritualis.

Ex vers. 33. *Videbunt mansueti & lætabuntur.*) Ἐκ τῆ ὁρᾶν γίγνεται τὸ ἐρᾶν. Qvi igitur DEum fidei oculis rectè intuetur, is demum voluptate spirituali explebitur, qvi in Deo jugiter commoratur, is verè & ex animo lætatur Luc. 1, 47. & qvi passiones Christi rectè perpendit, omnia Christi esse sua, demum incredibili cum

Usus Psalmorum passionalium.

lætî-

lætitia deprehendit, & hic est verus usus passionalium Psalmorum, ut venire discamus in communionem bonorum nobis à Christo partorum,

namq; hæc qvi qværit ritè, beatus erit.

II. O qværentes DEum, vester animus vivet.) Vide Dei benignitatem, qvi cœlum & vitam æternam offert non ementibus, sed qværentibus: vide hominum socordiam & malignitatem, qvi, cum poterant vivere, seipsos in mortem præcipitant. Qvi enim, uti præceptum est, non qværit Deum, æternæ damnationis se facit reum. *Qværendus est Deus.*

Ex vers. 34. *Jehova attendit adegentes.*) Jehova suæ gratiæ fores nemini absolutè claudit, precesq; ex fide fusas in qvacunq; calamitate audit. Ergò ad hujus animum paternum ac benè nobis volentem, manumq; ejus omnipotentem accedamus, firmiter persuasi, non fore, ut re infectâ discedamus. *Exaudit preces.*

Ex vers. 35. *Laudabunt eum cœli.*) Si laudant Deum irrationales creaturæ, longè magis eidem canere debent, qvi possunt fieri consortes divinæ naturæ 2. Petr. 1, 2. Verùm hìc qvoq; conqveritur meritò Deus, bos agnoscit & colit possessorem suum, sed meus populus non item suum Deum ac Dominum, Esa. 1, 3 Jer. 8, 7. Cœlum ejus voci obedit, terra qvod jubetur, expedit, mare à præceptis Dei non recedit, solus homo Deo suo resistit, & ne tùm qvidem, ubi insignibus est donatus beneficiis, gratus est suo Domino suis obseqviis & officiis. Vide D. Chemnit. in L. de peccato sub initium. *Homines pejores bruiis.*

Ex vers. 36. *DEus salvat Sionem.*) Qvod Ecclesia pace fruitur, Dei munus est, qvi ædificat eam & pro- *DEus salvat Sionem.*

tegit, Dei manus est : qvi eam salvat, Dei filius est, ergò qvi in ea manet, tutus est. Ut autem olim Sion erat in Judæa, postea in Græcia, & ante 110. annos restaurari cœpta in Germania, ita videndum est, ne nostris peccatis Deus offensus hinc migret, & porrò in aqvilonem se penetret, ut dicant alii populi ex Psalmo 48, vers. 3. הַר־צִיּוֹן יַרְכְּתֵי צָפוֹן. Ubicunq; enim in orbe terrarum lucet facies Dei gratiosa, ibi est Sion glorioſa, Psalm. 87, v. 1. 2.

Abrahæ filii. Ex vers. 37. *Posteri servorum ejus.*) Illi demum sunt filii Abrahæ, qvi sunt ex ejus fide Matth. 3, 9. Roman. 9, v. 6. 7. 8. Gal. 4, v. 28. illi veri Judæi, qvi amant nomen Dei Rom. 2, 29. ille censetur in Dei Israele, cujus spes unica est in Immanuele, Esa. 7. & 8. Psal. 46. & Ithiele Prov. 30, 1. hic tueatur nunc suam Ecclesiam ab hostium truculentia, vineam suam ab aprorum violentia, ut ad ejus voluntatem in fide radicati, in spe confirmati, in charitate coagmentati ea discamus & paremus nobis in terris, qvæ etiam durent in cœlis,

Amen.

Enarratio

PSALMI CENTESIMI NONI.

Joh. 17, 12.

Ους δέδωκάς μοι, ἐφύλαξα, καὶ οὐδεὶς ἐξ αὐτῶν ἀπώλετο, εἰ μὴ ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ.

Actor.

Actor. 1, 20.

Γέγραπται γὰρ ἐν βίβλῳ ψαλμῶν, τὴν ἐπισκοπὴν αὐτοῦ λαβέτω ἕτερος.

Argumentum.

Summa.

BReviter, sed nervosè summam hujus Psalmi comprehendunt in sua ἐπιγραφῇ autores ideæ concionis super hunc Psalmum his verbis: *Merces adversantium Davidi nostro Christo æterna maledictio.* Christus enim de calumniis, dolis, injuriis & malitia suorum hostium Judæorum & inprimis Judæ proditoris sui pessimi graviter conqveritur: deinde ob hanc culpam & adjunctam pertinaciam mala plurima iisdem & præcipuè Judæ vaticinatur, qvæ partim in ipsos, partim familiam ipsorum redundent. Contrà pro se & Ecclesia sua precatur, & gratiarum actionem pollicetur. Breviter: de improbis qverelam movet, eos corrigi nescios devovet, & suam suorumq; salutem vovet.

Usus.

Usus verò horum est hoc tempore maximè necessarius, ut moneantur homines, ne Davidi illi spirituali Christo Jesu se opponant in doctrina vel vita, nisi gravissimam Dei iram qvoq; velint suis cervicibus attrahere. Si enim hæ minæ ac pœnæ venerunt super Judam & Judæos, venient etiam nunc super eos, qvi Christum æqvè aspernantur, insectantur, saltem in suis membris.

De qvo agat.

Hinc patet, qvod Psalmus hic non agat de Davide, ut Calviniani pleriq; eum interpretantur, sed de Christo, tum de iniqvitate suorum hostium conqverente, tum per-

modum imprecationis, qvid futurum sit, prædicente tàm Judæis vers. 2. 3. 4. 5. 20. qvàm Judæ v. 6. & seqq. qvod demonstratur etiam ex allegatione versus 8. facta Actor. 1, 20.

Analysis. partes 4.

Analysin hanc damus. Partes sunt qvatuor. I. Christi ejulatio v. 1. II. ejusdem imprecatio v. 6. &c. III. precatio v. 21. IV. Gratiarum actio v. 30. 31. In prima parte observentur hæc duo membra, propositio, qvæ est, ut audiatur v. 1. confirmatio, qvæ causas continet hujus postulati à persona Dei, ibid. & adversariorum, qvorum exaggeratur impietatem v. 2. 3. & iniqvitatem v. 4. 5.

I. Ejulatio Christi.

II. Ejus imprecatio.

Secundæ partis etiam sunt duo membra, nempè prius exaggeratur pœna v. 6. & seqq. posterius culpa vers. 16. (confer Psal. 28, 4. 5.) Pœna hæc vel denunciatur ipsi hosti Salvatoris, vel ejus familiæ. Hosti ipsi jugis ab adversario parata vexatio v. 6. condemnatio atq; reprobatio v. 7. vitæ officiiqve decurtatio v. 8. In familia maledicitur uxori v. 9. & liberis: Prædicitur his in genere orbitas, ibidem; in specie autem mendicitas ac vastitas v. 10. deprædantium injustitia v. 11. amicorum immisericordia v. 12. nominis abolitio v 13. & 15. iniqvitatis majorum punitio v. 14. qvod membrum Trem. & Jun. ita efferunt, malè precatur eorum bonis v. 11. honoribus & nomini coram hominibus v. 12. 13. & saluti coram Deo v. 14. 15. Culpa est (1) neglectus misericordiæ & justitiæ v. 16. (2) pravus affectus v. 17. & hujus effectus, v. 18. 19. Ubi annectitur generalis hujus partis conclusio, videlicet ob malum studium dabitur iis malum

III. precatio

præmium v. 20. In tertia parte orat se liberari, hostes autem perdi v. 21. 26. causas affert ex parte Dei, ejus gloriam

riam v. 21. 27. & justitiam, qvæ elucet dum benedicit bonis, & maledicit malis v. 28. 29. ex parte sua, suam miseriam, tum in genere sub initium v. 22. tum in specie internam, sub finem v. 22. & externam, ratione instabilitatis v. 23. infirmitatis ac deformitatis v. 24. & ignominiæ v. 25. Qvarta pars continet promissam gratiarum actionem v. 30. ejusqve rationem, vers. 31. nempè DEus meritò laudatur, qvia afflictum ipsi confisum tuetur.

IV. Gratiarum actio.

Pars Prima.

Vers. 1.) Titulus nil novi continet, explicatusqve est suprà Psalm. 40, v. 1. & ita habet: *Præfecto musicorum Psalmus Davidis*, qvi hunc & præcedentes omnes de passione agentes, sicut & seqventem 100. conscripsisse diserte legitur. Ita verò orditur: *O DEus laudis meæ, ne taceas*, ne ad has preces velut surdum agas, qvasi non audias mea verba, responde, exaudi me, juva me, ut re ipsa te illas audivisse sciam. Sic Psal. 28, v. 1. & 35, 22. & 39, v. 13. & 83, 2. Deum verò appellat Deum laudis suæ, qvia ipse eum meritò cum Ecclesia laudet ob beneficia collata, qvomodo Hieronymus vertit, Deus laudabilis mihi. Confer qvæ ad rem, saltem qvæ superiùs dicta Psal. 22, 4. 23. 24. 26. 27. & 69. 31. infrà v 30. & 118, 14. Alii exponunt, Deus, qvi laudem efficis meam, ut illa, Deus justitiæ meæ Psal. 4, v. 2. Deus salutis nostræ Psal. 51, v. 16. & 65, 6. sed hæc ut à Deo proficiscuntur in homines, ita ei activè rectè tribuuntur: laus verò qvia ab hominibus Deo debetur, & meritò redditur, malim priori modo hanc loqvendi formulam exponere, licet etiam altera

DEus laudis.

explicatio non sit contra fidei analogiam, imò ex natura relatorum sequatur ex priori, siquidem qui laudat Deum, fatetur, Deum materiam laudandi ipsi suppeditasse. Eusebius jam olim ita hæc explicuit, Pater à Christo ideo vocatur Deus laudis suæ, quod prolato è sinu Patris Evangelio illum in mundo glorificaverit Joh. 8, 49. Atq; hæc omnia vera, saltem videndum, quænam expositio quàm proximè ad scopum hujus loci quadret. Illud autem est falsissimum, quod (ut multis conatur probare Bellarminus in Comm.) ex LXX. vulgatus latinus textum hebræum vertat rectè, Deus laudem meam ne tacueris, quia omnia ista, quæ affert, unicum vocabulum אֱלֹהִי in regimine positum refutat, & latina versio reprehendi potest, cum hebraicæ lectioni (malim hebraico textui) non conveniat Reliquis, quæ affert, refutandis non immorabor, quùm res sit clara. Accentus etiam refutant Bellarminum.

Bellarmini error.

Vers. 2.) Idem tamen non malè exponit sequentia, in quibus datur causa, cur salvator velit Deum suam causam agere & pro se loqui, quia (inquit) os calumniatoris ac dolosi se aperuit contra me in falsis criminationibus, æquum est, ut veritas non taceat, quando ita clamat falsitas, justus cohibeat malos & omniscius detegat tandem dolos. Meritò igitur Messias in passione, oro te, ô DEus pater, ut meam innocentiam asseras, *quia os improbi* רָשָׁע, qui semper mala aliis machinatur & nunquam quiescit, *& os doli contra me aperuerunt* mei hostes, *loquutique sunt mecum linguâ mendace*, quę verba ulteriori explicatione non indigent, sed saltem historiam Evangelicam consulamus, ut rem hic prædictam

Os improbi & doli contra Christum.

ctam eventu ipso comprobatam illustremus. Vide itaq; phariſæos, ſcribas, Sadducæos, dum ante paſsionem per totam vitam ore improbo famam ejus dilacerabant, nunc eum eſſe vini potorem, meretricum ſocium, publicanorum comitem, diaboli ſervum & adminiſtrum Matth. 9, 11. 12. capp. Luc. 15. clamabant, nunc argutis ſuis qvæſtionibus tentabant Matth. 19. & 22. nunc aliis, unde materiam calumniandi qværebant, eum exercebant Luc. 14. in paſsione verò, nunc eum eſſe blaſphemum, nunc ſeditioſum, ad id ſubornatis teſtibus, probare ſatagebant. Os autem doloſum aperiebant, qvando ſub ſpecie amicitiæ eum laudabant, interrogabant, invitabant ad convivium, qvis eſſet, ſibi dici volebant &c. hoc ſcilicet erat illud genus hominum, qvod

ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσί, ἄλλο δὲ βάζει.

Vulgatus latinus particulam אתי vertit, adverſum me: & eodem ferè ſenſu Tremellius ac Junius, obloqvuta ſunt mihi linguâ mendace, & Lutherus, und reden wider mich mit falſcher Zungen. In ſenſu conveniunt, nolim tamen temere emphaſin particulæ negligere, qvia hanc ipſa hiſtoria confirmat, qvod dum blandè cum Chriſto ſermones cædebant, virus ſuum occultabant, unde toties hoc exordio uſi ſunt: magiſter bone.

Verſ. 3.) Verùm explicatio ſubjicitur hæc: *Et verbis odioſis*, ex odio atqve invidia mera profectis, *circumvenerunt*. imò circumdederunt *me* velut obſidione cingentes urbem, unde licet conjicere eorum numerum ac ſtudium, illum ſcilicet eſſe magnum, hoc continuum, Lutherus, ſie reden gifftig wider mich allentz halben / *& oppugnant me immeritò*, præter meam culpam

culpam Psal. 69, 5. Malè autem vulgatus latinus verbum יִלָּחֲמוּ reddit expugnaverunt, qvia Christum non planè pro suo libitu potuerunt vincere, qvemadmodum locus parallelus à Bellarmino citatus ex Psalmo 129, 1.2. ex vulgata versione, innuit.

Vers. 4.) Vide autem hîc miram concertationem! non tantùm non erat causa ulla, cur me odisse jure poterant, sed etiam erat multiplex causa, cur me diligere debebant, qvia ego eos diligebam ac juvabam, imò pro ipsis orabam. *Adversati sunt mihi* יִשְׂטְנוּנִי ut ipse שִׂטְנָן seu *loco dilectionis meæ*, non reddebant vicem, nec amantem se redamabant, qvæ sanè est maxima neqvitia, pro bono malum, pro amore odium reddere: & tamen tantum aberat, ut vindictam cogitarem, ut Deo rem totam commendans pro iis orarem, *& ego oratio*, huic uni vacabam, cetera securus, nec, qvid fieret, multum curabam Ps. 35, 13. Lutherus, Ich aber bete. Vulgatus latinus iterum malè, dum effert hebræa, pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, nec vim phraseos exprimit, & contrarium sensum effert, qvod tamen Bellarminus cupit defendere, qvasi posit esse verbum, confundens illud cum אָהַבְתִּי, qvod tamen nil aliud sonat, qvàm dilexi, unde Hieronymus vertit, pro eo qvod eos diligebam. Ideoq; neutrum horum vocabulorum hebræorum illum sensum vulgatæ versionis in se continet, & cum veteribus expositoribus, qvos citat, errantibus errat Bellarminus. De illa autem hebræa constructione, ubi abstractum pro concreto, vide qvædam allata Comm. in Psal. 120, 7. & Buxtorf. thes. l. 2. c. 4. p. 342. 343. ac adde, qvod notetur præterea continuitas orationis & freqventia.

Bellar. error.

Abstractum pro concreto

Vers.

Vers.5.) Qvid multis qværimus interpretem contra Bellarminum? habemus hic omni exceptione majorem Spiritum S ipsum, dum subjicit: *Et reposuerunt mihi malum pro bono, & suum odium pro dilectione mea*, qvæ verba sui velut oblitus Bellarminus idem ita explicat, rependerunt mihi maledictionem pro benedictione, odium pro amore, vulnera multa pro curationibus multis, mortem corporalem pro vita spirituali. Eleganter pro indole linguæ germanicæ Lutherus: Sie beweisen mir Böses umb Gutes / und Haß umb Liebe / & dilucidè Buchananus:

Omnibus officiis culti mihi damna rependunt,
Remunerantur odio amorem simplicem.

Loci Communes.

Ex vers.1. *I. DEus laudis meæ.*) Bonum est celebrare Jehovam &c. Vide Psal. 92, 2, 3. 4. 5. Cùm enim omnia creata laudent Deum Psalm. 148. qvidni maximè id faciat homo eorum Dominus à Deo constitutus? ergò semper illi canamus ad exemplum Davidis Psal. 34, 2. ad præceptum Pauli Col. 3, 17. *Deus semper laudandus.*

II. Ne sileas.) Deum possumus ad exemplum Christi orare, ut nobis responsum bonum ex sua cœlesti cancellaria edat: verùm murmurare non debemus, sed patienti animo perferre, donec placuerit illi nos eripere injuriis, calumniis. Sufficiat interea, qvod non silet prorsus, sed nobis in suo verbo loqvitur, & per Spiritum S. in corde alloqvitur & solatur Rom. 8, 16. *Deus non silet.*

Ex vers. 2. *Os improbi & dolosi contra me aperuerunt.*) Illa est multorum hominum neqvitia, ut semper ma- *Improbi bonis variis modis insidiantur.*

dis insidiantur.

malum, etiam cum suo ipsorum damno vel labore, moliantur piis, non tam ut ipsis inde benè, qvàm ut iis, qvos oderunt, malè sit, eò qvod non & hi sint ipsis similes ac improbi vel de mundo. Qvod si non obtinent violentiâ, convertunt se ad fraudulentam, & qvò non pertingit leonina, assumunt pellem vulpinam, sie sehen zu/ wie sie die Frommen durch List/ böse Tücke/ Nücke/ Stücke/ Rencke/ Schwencke über ein Bein werffen/ qvæ est vocabuli

מִרְמָה

hebræi מִרְמָה à Radice רָמָה, hoc est, projecit, dejecit, emphasis,

& eosdem oppugnant.

Ex vers. 3. *Verbis odii circumdederunt me.*) Priore autem modo ubi non successit, qvando non possunt ullo modo pium ad flagitia sua pertrahere, aliâ viâ aggrediuntur, & odia multorum aliorum contra eum excitant, ut si interius ad lapsum non inclinet, exterius à multis aliis saltem ad ruinam impellatur, & qvi firmiter in sua pietate persistebat, aliorum impietate ac crudelitate perterritus vel exercitus nutare incipiat. Vide hic Josephum blanditiis primùm, deinde calumniis virulentis impetitum: Vide Davidem à Saule sub amicitiæ & affinitatis nomine contra Philistæos priùs incitatum & deinde fugatum. Vide Christum, qvem cum argumentis suis Pharisæi vincere non poterant, lapidibus ac ferramentis tandem refutabant, & populum, qvem ei ob doctrinam veram adhærere noverant, ad odium ejus, qvasi esset blasphemus, concitabant. Cogitanda hæc & similia sunt piis, ut ne qvid animo sit novum, si & ipsi eandem cum Domino suo subeant fortunæ aleam.

Immeritò.

II. Oppugnant me immeritò.) Audis, Christus citra ullam suam culpam dolosè tentatur, calumniis

onc-

oneratur, odiis multorum circumdatur, imò vi oppugnatur. Noli itaq; nimium qviritari, ubi immeritò talia pateris. Vide 1. Petr. 3,14.17. & 2,19.20.21. &c. & 4,14.15.16. Non enim hîc valet illud ethnici Poetæ,

Qvæ venit indignè pœna, dolenda venit:

Sed potiùs illud Prophetæ: multæ sunt afflictiones justi, sed ex omnibus illis eripit eum Jehova Psal. 34,20. Confer Mich. 7,9. proinde corrige illud ethnici hoc pacto:

Qvæ venit indignè pœna, ferenda venit.

Pro beneficiis mali messis.

Ex vers. 4. *Adversati mihi sunt loco dilectionis meæ.*) Durum est, sed levius fit patientiâ, ubi pro beneficiis mali messem metis: sed etiam hìc premis Christi vestigia Christianus Matth. 5,44. confer illa qvæ habet Jobus c. 30,24.25.26. Neq; hic valet illud comici: si qvis amat, cui odio ipsus est, bis facerè stultè duco, &c. sed illud Apostoli, Rom. 12,19.20.21. Ne vincaris malo, sed vince bono malum. Non igitur par pari referendum, sed orandum, durandum, Psal. 69,13.

Ex vers. 5. *Reponunt mihi malum pro bono.*) Verum est illud Theognidis:

Η χάρις ἀλλάξαι τὴν φύσιν οὐ δύναται,

Flectere neqvitiam gratia nulla potest.

Num qvid arbor mala potest bonos fructus ferre? Matt. 7, v. 16. 17.

Pars Secunda.

Vers. 6.) Hactenus de omnibus Christi hostibus: verùm qvia inter eos unus altero pejor, qvippè qvò erat Christo inimicus magis, & præcipuè unus eorum, qvi Christum capiebant, atq; ad passionem atq; crucifixionem

Actor. 1, 16. nem rapiebant, γενόμεν& ὁδηγὸς, videlicet Judas Actor. 1, v. 16. cujus hoc factum tantò atrocius & detestabilius, qvò propiori necessitudinis vinculo ipse erat Christo conjunctus, videlicet ejus discipulus atq; apostolus ibid. v. 17. hinc adeò illud Spiritus S. cum in V. T. propheticè suprà Psal. 41, 10. & h. l. tum historicè in N. T. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Joh. 13. Actor. 1. exaggerat, & hic qvidem à versu hoc sexto usq; ad 20. (excepto decimo-qvinto) ita agit de omnibus hostibus Christi, vide v. 15. & 20. ut tamen potissimùm ad Judam respiciat. Nam qvò culpa est in hoste major, ipse justitiæ divinæ ordo ac tenor reqvirit, ut qvoq; pœna major denuncietur & inferatur. Qvumq; constet, nullum magis esse culpandum inter omnes homines, qvi Christi crucifixionem promoverunt, qvàm Judam, hinc ita Spiritus S. temperat sermonem, ut ad eum potissimùm seqventes imprecationes dirigat, qvæ tamen, ut constat ex clausula vers. 20. etiam in reliqvos pro modulo culpæ erant redundaturę. Ut illud statuam, facit non modò enallage numerorum studiosè observata, sed vel potissimum, qvod Petrus Actor. 1, 16. finem versus octavi de Judæ interitu ac remotione ab officio alleget. Qvidni igitur malim Spiritus S. allegationem & interpretationem præferre ἰδίᾳ ἀπλύσει Tremellii aliorumq; Calvinianorum in hoc Psalmo, Bezæ in Actor. 1, 16. qvi de Doeg, aliisq; filius Saulis hæc literaliter dici asserunt: Junii etiam, aliis viri sat moderati, dura verba in lib. 1. parallel. parallelo 86. mihi pag. 175. 176. satis mirari neqveo, duram videri hujus loci accommodationem, qvùm David ad Judæ historiam minimè respexerit &c. De Juda igitur nos hæc primariò

Qvæ de Juda dicuntur, etiam ad Judæos spectant.

De Doeg hìc non agitur.

acci-

accipientes ita juxta scripturæ analogiam singula explicamus. *Præfice illi*, ô Deus laudis meæ v. 1. hominem *improbum*, & qvia hoc parum est, qvùm imperium boni spiritus detrectet, diabolumqve passus est suum cor intrare atqve inhabitare Joh. 13, v. 2. 27. unde etiam meis salutaribus admonitionibus non obediit Johan. 13, v. 21. Matth. 26, v. 21. 24. 25. Marc. 14, v. 18. 21. Luc. 22, v. 21. 22. imò ne audire qvidem demum voluit, Johan. 13, 30. age ipse *Satan*, ac diabolus, Luth. der Satan / *insistat ad dextram illius*, pro superior in judicio evadat Zachar. 3, v. 1. (conferMatth. 25, v. 33. sed in tertio commodo, non ulteriùs extende) impediat, qvo minus eâ uti rectè qveat, sed qvicqvid facit, malè succedat, qvò Lutheri marginale spectat, ihre Lehre / Leben / Lernen / beten müße alles verdamt seyn. Et non malè Mollerus. Stare à dextris alicujus est cum magno conatu adversari, & impedire alicujus labores, institutum, conatus. Dextrâ enim maxima ex parte res gerimus, & virtus seu robur corporis apparet maximè in dextra. Est & singularis emphasis notanda in verbo standi. Significat enim assiduum & indefessum studium & conatum. Non, inqvit, jaceat aut sedeat, sed stet, id est, nunqvam cesset, nunqvam remittat, sed stet perpetuo pervigil, urgens & insistens in eo peragendo, qvod semel instituit. Hæc ille. Ita ergò notatur, nullam qvietem vel exteriùs ab hominibus improbis (רְשָׁעִים, de qvibus Esa. 57, v. 24. 25. & 48, v. 22. qvi sunt in qvieti ac in perpetuo motu tam activè, qvàm passivè) vel interiùs à Satana ei concessum iri, qvod impletum, postqvàm jam Christum tradiderat, & à pharisæis ac scribis delusus Matth. 27, v. 4. à diabolis verò

Insistere ad dexteram alicujus.

Stare.

רְשָׁעִים

in desperationis barathrum protrusus seipsum suspendens turpissimè & infelicissimè periit, Matth 27, 5. Act. 1, 18. Ulteriùs autem hîc quoq; expendenda est emphasis verborum פָּקַד עָלָיו fac visitare alium super ipsum, puta & alio modo. Tu enim Deus per me tuum filium eum visitasti ex gratia, & voluisti ei committi apostolatum, imò episcopatum פְּקֻדָּה vers. 8. (qvomodo aliàs hebræis פְּקוּדִים vocantur, qvi aliis sunt præfecti, tam in statu ecclesiastico, qvàm politico, & nomen פְּקֻדָּה notat tam visitationem placati, qvàm irati, tam eam, qvæ est ex gratia, qvàm qvæ est ex justitia, tam ἐπισκοπὴν, qvàm ἐκδίκησιν, qvod docent Lexicographi) hanc gratiam turpiter neglexit, imò effudit, ergò deinceps visites eum ex ira, & pro me lenissimo Domino des illi durissimum & crudelissimum tyrannum diabolum, qvi eum more suo, sed & jure suo, coram te accuset, atqve vindictam exposcat.

פָּקַד & derivata quædam.

Vers. 7.) *Qvum* ergò jam *in jus venit* & judicatur ipse, hoc feratur ex justitia decretum, hæc sit sententia definitiva, *Exibit hic damnatus.* Qvemadmodum enim, ut in L. de justificatione pluribus solet declarari, scripturæ stylo, צָדַק, הִצְדִּיק, צְדָקָה forensem habent significationem, & notant, declaravit, pronunciavit justum, justum reputatum, justitiam imputatam, ita contrà etiam הִרְשִׁיעַ non significat improbum effecit, sed injustum declaravit ac pronunciavit, & רָשַׁע etiam eum notat metaleptice, qvi ob suam malitiam, noxam, atqve culpam est condemnatus. Denotatur itaqve, Judam coram tribunali Dei iri damnatum. Confer exparte phrasin Luc. 18, v. 14. & contrario κατεβη δεδικαιωμένος,

הִצְדִּיק

הִרְשִׁיעַ

No

Ne qvis autem putet, potest precibus flectere judicem ad misericordiam: non mutabit ille sententiam, licet hic multas lachrymas & preces effuderit, qvia non proficiscuntur ex fide, *& oratio illius* ipsi sit ac *vertatur in peccatum*, sicut in qvodam typo videre est Esth. 7, v. 7. 8. tum qvia oravit sine spe veniæ, tum qvia non oravit per Christum mediatorem plenum gratiæ. Lutherus primum membrum aliter vertit, wer ſich denſelben lehren leſt/ ac si esset id בְּהִשָּׁפְטוֹ activum, & qvasi in Niphal etiam hanc docendi significationem habeat verbum שָׁפַט, vel certè eam, qvam obtinet nomen מִשְׁפָּט, id est, judicium, lex, qvasi sit sensus, qvi patitur ab eo se doceri legem, non potest non improbè vivere. Priùs data explicatio cum textu authentico magis congruit, & firmat eam Psal. 37, 32. ubi ibidem omninò verbum cum eodem affixo, qvod etiam Lutherus vertit, wenn Er verurtheilet wird: & ibidem etiam verbum הִרְשִׁיעַ in eadem significatione, de qva paulò ante. Vide tamen de Infinitivis Niphal cum affixis apud Buxt. thes. Gram. l. 2. c. 17. p. 481. Obiter noto, Psal. 51, v. 6. בְּשָׁפְטֶךָ non sua vi immediatè sonare, qvando judicaris, sed metaleptice tamen id inde seqvi, qvod si Deus justus sit, qvando judicat, etiam eum justum esse ac manere, qvando ab aliis id judicium Dei examinatur. Pauli autem versio Roman. 3, 4. ἐν τῷ κρίνεσθαί σε nihil repugnat, qvia κρίνεσθαι est ibi mediæ παθέσεως & activæ significationis, neqvis ex vulgata versione concordantias perqvirens hunc qvoq; locum huc referat. Illud præterea notandum est, hunc videri ex V. T. esse illum locum, ad qvem respicit Salvator Joh. 17, 12. qvando ait, neminem ex iis, qvi ipsi dati erant

Psal. 51, 6.

Joh. 17, 12.

erant à patre ad inserviendum, puta ad Evangelium in totum terrarum orbem divulgandum, nisi filium perditionis, periisse, ut scriptura impleretur. Hic enim solus exiit condemnatus, reliqvi autem vitâ æternâ, & in eâ glorià magnâ sunt donati Matth. 19, v. 28. Luc. 22, v. 29. 30.

Vers. 8.) *Sint dies illius pauci*, dies vitæ, qvia viri sanguinarii, qvalis ille fuit, non pervenient ad dimidium dierum, qvos vivere poterant Psal. 55, v. 24. naturæ lege, (vide D. Hun. in L. de provid.) qvod tamen Deum non latet: etiam sint pauci dies ejus apostolatus, & ii, qvos vixit post tam grande peccatum perpetratum. Dignum enim utiq; erat, eum citò ex hac vita abripi, qvi mundi vitam in mortem vendiderat & tradiderat. Ipso autem divinitùs sublato *curationem illius* seu episcopatum *accipiat alter*, non tantum individuo, sed etiam animo, fide ac moribus, illi dissimilis, illo melior succedat in locum defuncti, qvi Actor. 1. eligitur à Deo. Cum enim Apo-
Actor. 1, 15. stoli & reliqvi Actor. 1, 15. non modò Deum invocent, sed ad Deum provocent πάντων καρδιογνώστην v. 24. & Deus sortem dirigat, ac per hanc eum eligat, & qvidem in Apostolum, cujus nulla nisi immediata poterat esse vocatio Gal. 1, 1. vocatio hæc pro mediatâ haberi neqvit. Præsentatio facta est ab hominibus, non electio, licet hæc qvoq; omnium deinceps est probata calculo Actor. 1, 26. confer Prov. 16, 33.

Vers. 9.) Hactenus mala, qvæ ipsum Judam, ac ipsi similem maneant, exposuit, nunc deinceps dicit ea, qvæ pertinent ad ipsius familiam ex severissima legis comminatione Exod. 20, 5. per mortem patris *reddantur filii*

ejus

ejus pupilli, & per mortem mariti reddatur *uxor illius vidua* Jer. 18, v. 21. hoc est, fiant personæ miserabiles, & hæc qvidem אַלְמָנָה qvasi per metathesin נֶאֱלָמָה, id est, muta reddita, qva vix audet mutire, ubi אֵלֶם manipulus aliqvis, vel malorum caterva in eam facit impetum. Tantò autem reliqvis viduis & pupillis sunt hi miserabiliores, qvantò Deus vel est, si sunt & ipsi mali, vel esse videtur in eos severior, in qvos tanta edidit exempla, & ut verbo græco ἐμφατικῷ utar ὃς ἤθελε παραδειγματίσαι.

אַלְמָנָה

Vers. 10.) Ita enim pergit Salvator: *& vagando*, hoc est, indesinenter *vagantes filii illius mendicent*, שְׁאֵלוּ petant, qværant ostiatim panem, qvod tamen Psal. 37, v. 25. vocat בַּקֵּשׁ לֶחֶם, & qvum non facilè inveniant, qvùm pii horum vix misereantur, aliiq; impii natura sint crudelès ac ἄστοργοι, ἀνελεήμονες Rom. 1, v. 13. ἀνήμεροι, 2. Tim. 3, 3. *summo studio* præ inopia *qværent* (דָּרְשׁוּ de cujus verbi emphasi alibi) stipem *è locis desolatis suis*, ἐκ τῶν οἰκοπέδων αὐτῶν, egressi vel ejecti. Lutherus, und suchen als die verdorben sind / qvomodo Mollerus reddit, propter vastitates suas, eò qvod sint vastatæ ac direptæ eorum ædes. Vulgatus latinus minus rectè: Nutantes transferantur & ejiciantur de habitationibus suis, qvia ita prius erravere græci, qvos ipse seqvitur, qvasi esset in textu hebræo גָּרְשׁוּ ubi legimus דָּרְשׁוּ. Vide Comm. Bellarm. in h. l.

Ita sentio cum plerisq; interpretibus, qvorum commentaria videri qveunt. Diversam viam instat Franciscus Junius in parallelis sacris lib. 1. parall. 82. p. 168. 169. Etsi multorum opinio est, certum aliqvem scripturæ lo-

Junii de superioribus sententia.

locum his Christi verbis designari: mihi tamen, omnibus expensis, videtur potius non unus aliqvis ex professo perstringi, sed omnes legis prophetarumq; loci, qvibus promissiones & minæ Evangelicæ jam olim fuerant explicatæ. Nemo autem est, qvi nesciat, hanc veram esse promissionum Evangelicarum summam, Christum, qvos sibi pater dederit, eos servaturum, & ita qvidem servaturum, ut nemo ex eis pereat. Contrà minarum Evangelicarum argumentum istud esse, eos, qvi filii perditionis sunt, id est, qvos Deus pater non dedit servandos filio, suâ ipsorum incredulitate & vitio perituros. His duobus documentorum locis omnes ferè legis & prophetarum paginæ refertæ sunt. Hîc verò Christus qvasi rationes cum Deo & Patre subducens, utrumq; locum recenset de industria, ex authoritate vel testimonio scripturæ sacræ probat fidem administrationis suæ. Qvamobrem cum de corpore (ut ita dicamus) suorum Apostolorum agat, cujus corporis membra commendat Deo, qvùm ab eis profecturus esset, optimè de illis singularib⁹ membris id Christ⁹ enunciat, qvod de toto Ecclesiæ corpore promissum fuerat olim per legem & prophetas: & ex contrario sanctè Judas ille Iscariotes excluditur ex eorũ numero, prout scriptura jam olim docuit, excludi eos, qvi filii perditionis sunt, & qvi ad filium dilectionis, velut σωτήριον nostrum minimè pertinent. Hactenus viri clarissimi illius verba: in qvibus pauca noto.

Examinatur I. Ἀνυέγγυον est, qvod minas vocat Evangelicas, qvæ ad legem spectant sine dubio, nec lex cum Evangelio est confundenda. II. Ἀμφίβολον est, Christum, qvos sibi Pater dederit, servaturum. Nam tres ordines hominum

Chri-

Christo datorum proponuntur I. ad redimendum, omnes homines, qvod Junius, utpote Calvinianus, negat: scriptura tamen, licet non ὠφελεῖ, tamen verè asserit. Vide Joh. 17, 2. 4 20. II. ad inserviendum, omnes Apostoli ibid. v. 12. III. ad certò salvandum, omnes electi ibid. v. 24. Christus autem electos, qvos sibi pater dedit, voluit & potuit servare, pro qvibus etiam maximam partem in hoc capite rogat, non item omnes Apostolos, non redemptos, qvia suo vitio non manent omnes in fide. III. Ergò filius hic perditionis verè aliqvando Christo fuit datus, sed non servatus. Vide textum græcum, & expende εἰ μὴ. IV. Non enunciat Christus de Apostolis singulis, qvod de toto Ecclesiæ corpore promissum fuerat. Vel enim intelligitur Ecclesia vocatorum, ita Judas includitur, & ut multis in ea vocatis & non electis nil de vita æterna promissum, ita nec Judæ: vel Ecclesia invisibilis & electorum, atq; ita de singularibus corporis Apostolorum membrum etiam erat Judas, Act. 1, 17. præterea omnia illa sentit h. l. Junius fieri ex decreto absoluto, qvod est figmentum cerebri humani. Sic ipse filium perditionis absolutè perditioni destinatum vocat, sed de his satis.

Vers. 11.) Præterea si qvid adhuc superfuerit, id omne eripiatur vel à fœneratore per fraudulentiam, vel à prædatore per violentiam, vel arte vel marte pereat. *Illaqueet* velut retibus, utens suis fraudibus & technis, dolis & artibus illicitis *fœnerator* id omne, *qvod est ei*, Lutherus benè sensum expressit, Es müsse der Wucherer außsaugen alles was er hat / & magis accedit ad emphasin vocis hebrææ, qvàm græci & latinus vulgatus, qvorum illi ἐξερευνησάτω, hic, scrutetur, habet, &

proinde more suo pro יִנְקֹשׁ, qvod est in textu hebræo, legerunt יִבְקֹשׁ, qvod non est tam emphaticè dictum, qvum hoc sit ab aucupibus desumptum, aut illis, qvi capiunt tendiculis feras. Vide qvæ dicta in Psal. 9, v. 17. & 91, v. 3. Hos. 9, v. 8. Amos 3, 5. & confer Deut. 12, 30. Psal. 38, 13. 1 Sam. 28, v. 9. Etiam consule concordantias & lexica. De verbo נָשָׁה verò consule hæc loca Exod. 22, v. 24. Deut. 15, 2. & 24, 11. Nehem. 5, 7. 10. 11. Esa. 24, 2. Jer. 15, 10. Esa. 50, 1. Psal. 89, 23. & 55, 16. נֹשֶׁה igitur hoc loco notat creditorem, qvi suum debitum stricto jure exigit, & se exactorem severum ac crudelem præbet. *Et diripiant* velut prædatores, יָבוּז, *extranei laborem ejus*, יְגִיעוֹ, sein schwere und saure Schweiß und Blut/qvomodo & nos vocamus bona improbo labore parte. Vide qvæ dicta in Psal. 128, 2. Hos. 12, 9. Hag. 1, 11. ne opus sit actum hic agere, aut diutius huic loco immorari, qvando illud nota-

Bellarmini error.

vero, male eum concludi à Bellarmino his verbis: proinde post tempora S. Hieronymi locus hic vitio librariorum corruptus videtur. Qvasi verò omnes librarii in uno mendo potuissent tam diversis in locis conspirare?

Vers. 12.) Verùm ita oppressi aut circumventi solent misericordiam & opem apud alios bonos invenire: hac spe hunc qvoq; Judam cum suis dejicit. *Ne sit illi, qvi protendat*, מֹשֵׁךְ Psal. 36, 11. *benignitatem*, si qvis cœpit ei gratiam facere, qvasi manum citò retrahat, nec pergat in illa sua beneficentia vel saltem benevolentia, *& non sit qvi gratiam faciat* aut ullum favorem exhibeat pupillis ejus, qvorum aliàs Deus vult haberi curam. Vide qvæ dicta in Psal 10, 14. 18. Zach. 7, 10. Mal. 3, 5. De verbo מָשַׁךְ qvædam etiam dicta sunt in Psal. 120, 5. & 126, 6.

Vers.

Vers. 13.) *Sit posteritas illius ad exscindendum* exscidio addicta (ubi in textu hebræo elegans παρονομασία אַחֲרִית לְהַכְרִית, & hoc nomen potiùs h. l. notat posteritatem, ut & Dan. 11, 4. Amos 4, 2. qvàm novissimum seu finem, tum qvia de exscidio ejus suprà v. 8. tum qvia à v. 9. de filiis ejus maximam partem egit, tum qvia LXX. & alii interpretes ita reddiderunt) qvum plerumqve κακὴ κόρακι κακὸν ὠόν, & qvalis pater, talis filius, qvalis mater, talis filia Ezech. 16, 44. & si posteritas insistit pravorum parentum vestigiis, etiam qvodammodo peccata parentum simul luit Exod. 20, 5. Vide Matth. 23, 35. Luc. 23, v. 28. 29. & proinde si ante maturam ætatem, & eam, qvam naturæ lege attingere poterant, tollantur Psal. 55. ult. *in generatione altera*, im andern Gliede / *deleatur nomen eorum*, & memoria, qvam tamen omnis, cui cor sapit, maximè optat. Vulgatus interpres vertit, in generatione una, pro אַחַר legens אֶחָד, cujus rei culpam confert Bellarminus in librarios. Et hæc est deletio θελικὴ negans bonum.

אַחֲרִית

Vers. 14.) Seqvitur ἀφνηλικὴ, negans ablationem mali. Qvùm enim nostra peccata sint in libro judicii Dei consignata, maximè optamus, ut deleantur, anteqvam ratio severa nobiscum ineatur. Sed hîc jam porrò illis spem præscindit Salvator his verbis: *In memoria sit iniqvitas majorum illius*, uniuscujusqve eorum, & qvidem *apud Jehovam*, qvi odit & punit peccatum, pro qvo λύτρου filii non offertur, qvod ubi videt, ratione pœnæ, peccatorum obliviscitur, *& peccatum matris illius ne deleatur*, qvia sanguine filii Dei applicato non mundatur. Vide Comm. Bellarm. & eos com. qvi in Exod. 20, 5.

vel appendicem decalogi in Catechismo nostro minori tractarunt illam qvæstionem, qvomodo ob peccata parentum & qvando plectantur liberi?

Vers.15.) Iterum per θέσιν asseverat, qvod affirmativè & negativè versu præcedente petiit, nimirum ut Deus peccata summi sui hostis recordetur & puniat. *Sint* illa iniqvitas & peccatum, de qvibus v. 14. *coram Jehova*, hebraicè ἐμφαλικώτερον נֶגֶד יְהוָה ἐναντίον *semper* aspiciat, semper recogitet, & in recenti memoria habeat, vide qvæ dicta in Comm. in Psal. 51,5. & confer emphasin particulæ אֶל, qvæ superiori versu habetur, & qvidem *jugiter*, non remittantur, qvia eorum autores in melius non mutantur, & proinde cum fervore & ira maxima illa meminerit Jehova, *ut exscindat* (vide suprà v.13.) *è terra memoriam eorum*. Contrarium vide suprà pio promissum Psal. 41,3. & Psal. 112,6. Et cum h.l. confer v. 13. & expende loca similia Gen.7,23. Exod.17,14. Deut.9,14. & 25, 6. Psal.9,6. &c. qvod ad rem, & qvod ad ipsam phrasin, confer Psal.34,17. Dicat qvis, at Judæ & Judæorum aliorum, ut Caiphæ, Annæ &c. memoria adhuc viget? R. secundum qvid accipiendum est, nempè pereat eorum memoria felix & commemoratio fausta ac beata, unde qvoties Judæ nomen pronunciatur, cum horrore atqve execratione commemoratur, & Judæorum vix meminisse possumus citra contemptum.

Q.

R.

Vers. 16.) Qvæ verò causa hujus pœnæ tam gravis? & qvæ culpa Deum ad tantam iram permovit? Etiam illa est grave scelus & grande flagitium, nempè summa immisericordia ac durities, qva de re non malè ita scriptum reliqvit D. Gesnerus. Etsi Christus suarum im-

Causæ superiorum minarum.

imprecationum nemini tenetur rationem reddere, cùm pater illi tradiderit omne judicium Joh. 5. attamen gravissimas causas adducit, qvibus demonstrat, æqvissimum esse, ut improbi Judæi horrendis ejusmodi pœnis afficiantur, siqvidem enormibus suis sceleribus omnia illa promeruerunt. Deus non recordabitur ipsius Judæ vel alicujus Judæorum in bonum Neh. 5, v. 19. & 13, v. 31. *propterea qvod ipse non est recordatus exercere benignitatem* erga prophetas, Christum, Apostolos, proximum, miserabiles personas, prout Deus illam hinc inde in lege & prophetis exigit. Vide Mich. 6, 8. ubi est μείωσις, notatur; propterea qvod crudelissimè in omnes, qvos fovere debebat, sævierit, de industria oblitus sit ac omiserit benefacere, *sed persecutus est virum pauperem* afflictum, infrà vers. 22. suprà Psalm. 40. ult. & 41, 1. *& egentem*, & qvidem (est enim hic climax ac semper crescit oratio) *affectum ægritudine* cordis seu animi, & qvod ultimum est, ac turpissimum, *ad morte afficiendum*, ut planè tollat è medio, non ad tempus premat. Vide autem factum Judæ & confer cum his. Hoc fuit (verba sunt Bellarmini) peccatum Judæ, qvod, cum videret principes Judæorum furere adversus Christum, ipse nulla misericordia motus erga innocentem, magistrum & dominum suum, crudelissimè illum tradidit capiendum & occidendum.

Vers. 17.) Qvum igitur voluerit tantis ac tot flagitiis sponte sua se inqvinare, & amaverit culpam, amet etiam, qvæ illam premit comes, pœnam, vel saltem jure ferat & contrà, qvia bonum sprevit, benedictionem Dei sibi non dari non miretur, qvia hic ordo à Deo est consti-

stitutus, ut bonis tandem, vel saltem ab animo, benè sit, & malis malè Levit. 26. Deut. 28. *Et* hic ergò amavit, dilexit, *optavit maledictionem, etiam venit ei* (qvomodo meliùs ob ipsum loqvendi genus & consecutionem accentuum cum Luthero vertente, und er wolte den Fluch haben/ der wird ihm auch kommen/ & Piscatore reddente, dilexit maledictionem, illa igitur eveniat ei &c. qvàm cum Tremellio & Junio exprimimus, & optavit, ut maledictio obveniret ei, ubi etiam malim, sibi,) *neq; oblectatus est benedictione, illa* igitur *procul sit ab eo*, er wolte des Segens nicht/ so wird er auch fern von ihm bleiben. Verùm qvùm nemo malum ut malum velit, aut bonum ut bonum abominetur, qværitur, qvomodo hoc sit accipiendum? Respondet Bellarminus in Comm. dicitur homo diligere maledictionem, & nolle benedictionem, qvando ipse sibi causa est malis operibus, cur maledicatur & non benedicatur ei, sic Judas deserens, imò vendens Christum, Judæi occidentes eum, in qvo omnes gentes erant benedicendæ, maledictionem dilexisse censentur, qvùm voluerint id, unde maledictio consequebatur. De phrasi priori qvando verbum אהב construitur cum affixo vide Job. 15, 21. Amos 5, 19. & Buxtorf. in thes. Gram. l. 2. cap. 17. sub finem pag. (mihi) 487.

Q. R.

Vers. 18.) Maledictionem hisce malis divinitus decretam atq; immissam porrò triplici similitudine explicat 1. à vestitu, sicut etiam vers. 19. 2. à potu. 3. ab unguento. Qvùm enim maledictio Dei sit cumulus malorum tàm externorum, qvàm internorum, ita Spiritus S. hæc mala hisce similibus voluit declarare, qvia vestem ex-

exteriùs induimus, potum interiùs bibendo, unguentum per poros attrahendo assumimus. Vide Comm. Bellarm. *Induatur* ergò *maledictione*, undiqve eâ circumdetur, *velut chlamyde* sua, & ne putes hærere saltem in cute, age, *ingrediatur velut aqva intra eum*, seu in medium ejus, ut hebræa verba loqvuntur ἐμφαλικώτερον, *& velut oleum in ipsa ossa ejus* se insinuet. Qvomodo etiam hic climax, & semper crescit oratio, qvùm primum simile loqvatur de eo, qvod potest deponi, secundum de eo, qvod ipsam carnem ac sanguinem pervadit, tertium de eo, qvod ipsa ossa, firmiores corporis partes, arrodit. Piscator non malè hæc addit, ut tantò meliùs possis versum 17. intelligere. De aqva & oleo accipio tanqvam dictum de voluptate, qvâ malus iste ex sua malitia affectus fuit maximo suo damno, non secus ac voluptatem percipit hydropicus (ita malim hæc accommodare) ex potu aqvæ, qvo deinde cruciatur & perit. Et hæc est maledictionis magnitudo: qvam porrò amplificat temporis longitudo. Climax.

Vers. 19.) Verùm vestis tandem conteritur, aqva in mari submersum citò suffocat, oleum subitò intrat, & subitò operari desinit: verum non ita se habebit maledictio, sed qvum in hac vita cœperit, semper durabit in altera, postqvam semel dixit judex severus, ite maledicti in ignem æternum. *Adsit illi*, qvo *tanqvam veste* seu panno *se amiciat* & operiat, *& pro zona jugiter se eâ accingat*, hoc est, decretum Dei de his malis perdendis & æternùm condemnandis (qvum converti noluerint) erit immutabile. Lutherus, So werde er (der Fluch) ihm wie ein Kleid / daß er anhabe / und wie ein

Gürtel/da er sich allwege mit gürte. Etiam hisce verbis notatur, qvod maxima cum voluptate & prolubio malus maledictionem suo sibi jumento accersat, non secus ac qvis libenter vestem induit, & zonam accingit, qvùm putet se iis juvari, armari atq; ornari.

Vers. 20.) Concludit jam hanc partem Salvator, & ostendit, justè à justo Deo puniri tam injustos, qvales hactenus descripsit. *Hæc erit merces*, retributio, præmium pro opere hebr. פְּעָלִי, *adversantium mihi*, suprà vers. 4. *à Jehova, & loqventium malum contra animam meam*, qvomodo me perdant. Prout igitur sementem fecerunt, ita metant & אֵין פְּעָלִי (vide qvæ dicta sub finem Psalmi 5.) recipiant se dignum פְּעָלִי Levit. 19, 13. Deut. 24, 15. Esa. 40, 10. & 49, 4. & qvum malum contra proximum dixerint, malam sententiam tandem audiant.

פְּעָלִי

Loci Communes.

Diabolo traditi. Ex vers. 6. *Præfice illi improbum.*) Qvi non vult audire vel obedire numini, traditur dæmoni, qvi eum captivum teneat 2. Tim. 2. v. 29. & ei, qvi reddit malum pro bono, non recedet malum ab ejus domo Prov. 17, 13. seqvere ergo Deum ductorem, nec audi diabolum seductorem.

Damnati. Ex vers. 7. *I. Qvum in jus venerit, abeat damnatus.*) Qvicunqve non credit in filium, condemnatur, & ira Dei manet super eum Johan. 3, v. 18. 36. justus non reputatur, qvùm in Christo justo illo servo Dei non inveniatur.

Preces sine fine. *II. Oratio illius vertatur in peccatum.*) Preces

ces fusæ sine fide Deo sunt abominabiles, qvia non fiunt per mediatorem, sine qvo nemo gratiosè admittitur vel venit ad patrem.

Ex vers. 8. *I. Sint dies illius pauci.)* *Vitæ brevitas mala.*

Nemo dies vitæ, statuit qvos cuiq; Jehova,
Prolongare potest, abbreviare potest,
Flagitiis, odiis, mœrore, libidine & irâ,
Luxuriâ, & qvod non ex pietate venit.

Vitæ autem brevitas, impiorum respectu, est signum maledictionis divinæ.

II. Curationem illius accipiat alter.) *Accipiatur* Omnes ministri verbi & Christi debent à Deo & Ecclesia oblatum honorem accipere, non emere, non se malis artibus ac modis ingerere Hebr. 5, 1. 4. Simul autem qvando officium episcopi sacrum vocatur פְּקֻדָּה à פָּקַד, id est, visitavit, meminerint Ecclesias visitare & curare: qvod si facere omiserint, Deus visitabit illos. Vide Bellarm. Comm. Verba etiam hæc notabilia habet. Debet Episcopus assiduè inspicere & visitare oves suas, de qvibus rationem Domino redditurus est, id qvod, qvi longè absunt ab episcopatu suo, CERTE præstare non possunt. *episcopatum.* *Bellarmini nota proba.*

Ex vers. 9. *Sint filii illius pupilli.*) *Pupilli, viduæ malorum.* Etiam hæc est non minima inter legales minas Exod. 22, v. 22. 23. 24. nullam viduam aut orphanum affligitote, si afflixeris eum & clamet ad me, utiqve exaudiam, sic erunt uxores vestræ viduæ & liberi vestri orphani, & proinde etiam hic recensetur rectè inter pœnas. Non tamen omnis vidua fit ex Dei ira. Nam duæ cum patiuntur idem, non est idem. Confer v. 16.

Ex vers. 10. *Indesinenter vagentur filii illius.*

Qvùm Deus hic, sicut & alibi passim, Judæis commine-
Q. An Judæi suscipiendi? tur perpetuum exilium, qvæstio oritur, num sint suscipiendi, ubi non sunt, aut tolerandi, ubi sunt? R. Affirmativè, sed cum limitatione, sunt suscipiendi & tractandi ut servi, non ut liberi. Ideoq; non ad publica officia evehantur, non pro libitu agere permittantur. Vide D. Helvicum T. 4. disp. Giess. disp. 11. sunt ipsi tolerandi, non autem tolerari debent eorum blasphemiæ, usuræ, injuriæ, &c.

Usuræ. Ex vers. 11. *Illaqveet fœnerator, qvicqvid est ei.*) Vaticinium hoc est Dei, non præceptum, & in hujusmodi malis, qvæ permittit DEus, valet illud Prosperi,

Actio displicuit, passio grata fuit.

DEus enim non mandat usuras, sed fieri tolerat. Loqvitur autem de veris usuris, qvæ sunt peccatum grande, non de compensatione justa beneficii mutuationis legib? permissa publicis, & in sacris præcepta. Vide Consilium Dn. D. Ægidii Hunnii. Id autem hic discimus, malè parta, malè dilabi.

Immisericordes. Ex vers. 12. *Ne sit, qvi illi protendat benignitatem.*) Deus misericors odit immisericordes, hos tamen ad aliorum crudelium & malorum pœnam superesse facit, & qvùm non probet culpam, probat pœnam, illam injustè admissam, hanc justè immissam. Rectè enim dicit Christus, qva mensura metimini, eadem rependetur vobis Luc. 6, 38.

Liberi qvi ferant peccata parentum. Ex vers. 13. *Sit posteritas illius exscidio addicta.*) Gentibus qvidem, qvæ, qvàm severè Deus puniat iniqvitatem, ignorant, videtur ita se res habere, ut canit Poeta,

Deli-

Delicta majorum immeritus lues?
At Christiani sciunt, justum esse, ut Deus visitet iniqvitatem patrum in filiis, sed additur, *his qvi oderunt me.* Ergò diverso respectu utrumq; est verum, filius, puta impius, feret iniqvitatem patris, & filius, puta pius, non feret iniqvitatem patris.

Liber Dei duplex.

Ex vers. 14. *In memoria sit iniqvitas.*) Piorum, qvi sunt in Christo, peccata Deus tegit, impiorum semper qvasi retegit, ut ad iram se excitet, ut ita ex scriptura ἀνθρωποπαθῶς de Deo loqvamur. Est enim Deo duplex liber memorialis, unus in bonum & gratiam Neh. 5, v. 19. Mal 3, 16. alter in malum & ad iram.

Immisericordia.

Ex vers. 16. *Propterea qvod non esset recordatus facere benignitatem.*) Deus qvi est charitas, crudeles atq; immisericordes odit, & nisi resipiscant, æternùm perdit Jac. 2, 13. Hæc verò crudelitas ratione personarum & circumstantiarum valdè exaggeratur, ut in textu videre est. Dum autem impii crudeliter & superbè agunt in afflictos, pii aliorum miseriis compatiuntur.

Mali seipsos perdunt.

Ex vers. 17. *Dilexit maledictionem.*) Volenti non fit injuria habet vulgata paræmia, qvæ hìc tantò magis obtinet, qvò est indignius, hominem spretâ Dei clementiâ & benedictione se sua culpa præcipitare in maledictionem, qvæ eum ab omni parte cingit, intùs & extus angit, intimè inhæret, firmiter adhæret.

Merces laborum.

Ex vers. 20. *Hæc est merces.*) Hæc est Dei justitia, ut bonis tandem præmia conferat, malis supplicia infligat. Vide Rom. 2, 6. usq; ad v. 11. 2. Thess. 1, 5. &c. sic consilium malum consultoribus pessimum, & scelera in magistros redeunt suos. Interea pii sursum spectent, dum mundus eos destituit, & è cœlis exspectent vindicem.

Pars Tertia.

Vers. 21.) Postqvam malos & corrigi nescios absolvit Salvator, redit ad seipsum, &, ut liberetur, petit, & hujus petitionis rationes adducit, qvarum una est à facultate, qvia est Dominus, altera à voluntate, qvia est bonus. Uti dixi de improbis, fore ut abs te, ô Deus, perdantur, hoc nihil ad me vel meos pios, qvia tu judex mundi non perdis pium cum impio, diversa nos tractamus studia, diversam instamus viam, ergò alio modo nos tractabis. *Tu autem ô Jehovi Domine fac mecum* & erga me exerce benignitatem *propter nomen tuum, & qvia bona est benignitas tua, eripe me*, Lutherus, Deine Gnade ist mein Trost/errette mich / & priorem phrasin vertit, sey du mit mir. Confer phrasin similem Gen. 21, v. 23. & 28, v. 20. Johan. 10, v. 12. Psal. 119, v. 124. & 126, v. 2. 3. Genes. 40, 14. 2. Reg. 18, 31. confer etiam ea qvæ superiùs sunt dicta in Psal. 69, 17.

Deus est cum aliqvo.

Vers. 22.) Hactenus argumenta desumpsit à Dei natura: nunc porrò adducit suam penuriam, suam solitudinem & ægritudinem. Eripe me, qvia egentes soles eripere, qvi se tibi derelinqvunt Psal. 10, 14. *nam pauper* afflictus *& egenus sum*, vide suprà v. 16. & Psal. 40. ult. & 69, 30. qvomodo Christus Joh. 12, 27. orat, nunc anima mea turbata est. Et qvid dicam? Pater, salva me ex hac hora, unde etiam h. l. statim subjicit de cordis palpitatione, *cor meum confossum est in medio mei*, non secus angor, atqve illi, qvibus in corde lethale inflictum est vulnus, vel qvi palo affiguntur.

Vers. 23.) *Sicut umbra*, vide Comm. in Psal. 102, 12.

qvum

qvum declinat ipsa, sole ad vesperam declinante, *abire* ex hac vita *cogor*. Qvemadmodum enim umbra cum maximo silentio & sine ullo strepitu deficit, ita Christus ex horto abductus, ad varia tribunalia circumductus, & ad ipsam crucem adductus fuit sine murmure, sine resistentia, sine defensione: & qvemadmodum umbra citissimè deficit, ita Christus exiguo temporis spacio capitur, hinc inde rapitur, & occiditur. *Exagitor ut locusta*, qvæ est per se instabilis, nec locum habet, ubi diu qviescat Plin. lib. 11. c. 29. & vento qvandoq; abripitur, ut dejiciatur in mare Exod. 10, 19.

Vers. 24. *Genua mea labant præ jejunio*, hoc enim vires corporis exhaurit, *& caro mea emaciatur*, מִשֶּׁמֶן *à pingui*, id est, exhausta pinguedine, qvomodo Lutherus optimè vertit, und hat kein Fett. Vide de re Job. 16, 8. Deut. 33, 29. de particula מִן in hac significatione 1. Reg. 15, v. 23. Jer. 40, 49. Mich. 3, 6. 1. Reg. 15, 13. Jer. 48, 45. Thren. 4, 9. Esa. 17, v. 1. & 7, 8. notat defectum & excidium rei, ut liqvet hac exemplorum inductione. Qvam cum ignoraret vulgatus latinus interpres, malè & obscurè ita vertit, immutata est propter oleum, qvùm contrarium sit verum. Bellarminus ita exponit, ex oleo seu pinguedine, id est, ex pingui factus sum macer, qvorum hoc verum, illud prius falsum. Addit tamen ille; variè hic locus ab aliis explicatur: hæc nobis explicatio literalis maximè visa est. D. Bugenhagius: Significat maciem contraxisse, qvia aberat pinguedo. Idcirco qvod nos legimus, hinc intelligere potes, licet coactius; caro mea immutata est propter oleum, non qvod comedebam, sed qvod non habebam.

מִן notat defectum.

Vers.

Vers. 25.) Et hæc omnia mala, qvæ jam enumeravi, satis magna, aliaq; plura non minus gravia pro illis hominibus malis, de qvibus in parte præcedenti, etiam patior, at illi malam mihi reponunt gratiam. Qvùm enim debebant, si poterant, me eruere, vel, si id esset ex iis, qvæ fieri non possunt, saltem mea miseria commoveri & condolere, tum *ego sum probrum illis* (non probro sum illis, ut Tremell. & Jun. vertunt, qvos refutat Piscator, suprà Psalm. 69, v. 8. 10. 11. 20. 21.) inde calumniandi & me exagitandi arripiunt ansam, unde ad gratias referendas debebant exstimulari, *videntes me* in afflictione hærere, in cruce pendere, *movent caput suum* & indignantur, dicentes per fastidium, Vah, qvi destruis templum Dei, vide suprà Psal. 22, 8. Joh. 16, 4. & Matth. 27, 39. 40. Marc. 15, v. 29.

Vers. 26.) Qvùm igitur desinant omnia solatia ac præsidia humana, age, incipiat, imò pergat mihi adesse divinum, qvùm homines, pro qvibus illa tolero, me deserant, imò mala mihi ingerant, tu pater cœlestis, ne me derelinqvas, sed citò solatium præsta, præsidium & opem affer. *Auxiliare mihi, ô Jehova*, pater ingenite, juxta humanam naturam, Deus mi, *salve me* Psal. 69, v. 1. *pro benignitate tua*, & citò me ex mortuis resuscita ad gloriam, qvemadmodum suprà in Psalm. 16, v. 22. & 69. Salvator est precatus.

Vers. 27.) Hoc si feceris, pater cœlestis, (facturum te omninò id esse, mihi persuadeo) *statim cognoscent* & experientur, *qvod manus tua* omnipotens *hæc* sit, *qvod tu* solus *id efficere* volueris & valueris, qvemadmodum olim in Ægypto tandem diaboli mancipia pessi-

pessimi magi exclamabant Exod.8,19. digitus Dei hic est, confer 1.Sam 6,v.9. & qvod tu Jehova hoc feceris solus, qvùm nemo alius id suis viribus efficere potuerit, dicentqve, qvod Deus, qvæ prænunciavit per os prophetarum suorum, futurum, ut Christus moreretur, ipse impleverit. Actor.26,23. Sic Actor.3,v.18. qvia hæc res, hæc mors Christi est ex voluntate ac potestate Dei, & ipse voluit eum ita conterere Esa. 53. neqve potuissent gentes aut Judæi Christo prævalere, eumq; enecare, nisi Deus id fieri voluisset, neq; potuisset Christus in cruce occisus tertia die resurgere, nisi id qvoq; Deus sua omnipotentia effecisset.

Vers.28.) Qvia ergo
sua cuiqve exorsa laborem
Fortunamqve ferent,

ut sunt diversa, qvæ agimus, ego & hostes mei, ita etiam diversus seqvetur exitus, qvia *maledicant ipsi*, & tibi & mihi ô Pater (ut hactenus demonstravi) at *tu benedices*, & si tu benedixeris, maledicta illorum nil nocebunt qvicqvam, *insurgant contra me*, sed & statim *erubescant*, Lutherus, setzen sie sich wider mich / so müssen sie zu schanden werden / & contrà *servus tuus lætetur*, tum de salute sibi præstitâ, tum de pœnâ justissimâ hostibus suis illatâ.

Vers.29.) Ut autem mea ex mortuis excitati lætitia erit solida & constans, ita & meorum hostium obstinatorum ignominia erit perpetua. *Induantur adversarii mei* suprà vers.4. & 20. *ignominiâ*, suprà vers.18. *& amiciant se eâ tanqvam pallio, pudore suo*, qvæ suprà habentur vers.19. ibidemqve etiam exponuntur. Hoc loco autem

מעיל tem est pro generali voce בגד, מעיל qvod notat pallium, vestem summam, exteriorem, ornatiorem & honoratiorem, & qvia huic solet alia materia interiùs subduci, vulgatus latinus vertit ex LXX. diploidem, qvomodo duplex ignominia h. l. intelligetur, hujus & alterius vitæ.

Loci Communes.

Gratia Dei. Ex vers. 21. *Tu Jehovi Domine fac mecum.)* Si Christus in se innocens tam anxiè rogat sibi fieri gratiam, qvid faciendum peccatoribus injustis? scilicet exclamemus,

Nulla salus juri, veniam te poscimus omnes.

Non enim Deus nos juvat aut salvat secundum justitiam, sed misericordiam suam.

Ex vers. 22. *Pauper & egenus sum.)* Vide qvæ dicta in Psal 40, ult. & 41, 1. ubi etiam habes, cur Christus ita pauper factus.

Christus ut umbra. Ex vers. 23. *Ut umbra, ut locusta.)* Si ille, qvi est אדון & אדן basis & fundamentum omnium, βασιλεὺς etiam omine, substantialis imago patris, factus est ob peccata aliena ut umbra, & cœli Dominus exagitatus ut locusta, qvid fiet impœnitentibus miseris hominibus ob peccata propria? Ad exemplum autem Christi etiam Christiani ἀσατῆσι 1. Cor. 4, 11. habenturq; à mundo non modò inutiles, ut umbræ, sed etiam nocentes, ut locustæ.

Macies. Ex vers. 24. *Caro mea emaciatur.)* Ex tristitia non tantùm oritur turbata facies, Luc. 24, 17. sed etiam cadaverosa macies, Prov. 17, 22. Sir. 30, 22.

Dei benevolentia. Ex vers. 26. *Auxiliare mihi, ô Jehova.)* Vide, tanta est

ta est Dei in pios benevolentia, qvando malum imponit, manum supponit, cum immittit terræ supplicium, Ecclesiæ suæ promittit & præstat auxilium.

Ex vers. 27. *Ut agnoscant, te fecisse hoc.*) Facit Deus omnia ad sui nominis gloriam, & vult in nobis existere suæ essentiæ & potentiæ notitiam, ut eum colamus, ei confidamus, qvia ipse fecit Psalm. 22. ult. ipse faciet Psal. 37, 5. contrà, qvæ fecit manus hominis, non perennant, in malis non juvant; qvæ parat & præbet manus dæmonis, lædunt. *Manus hominis. hominis dæmonis*

Ex vers. 28. *Maledicant ipsi, tu benedicito.*) Horsum sunt referenda Papæ Romani bruta fulmina, qvæ contra Lutheranos ejaculatur, nempè mali maledictio à semine benedicto vertitur in benedictionem, qvia illa fit propter ejus nomen. Vide Comm. D. Bugenhagii. De reliqvis, qvæ jam non attingimus, suprà cum in hoc, tum in reliqvis Psalmis præcedentibus dictum est prolixiùs, ideoq; eadem cum tædio hîc repetere non placet. *Maledicta malorum.*

Pars Qvarta.

Vers. 30.) Sic satis denuò dictum de impiis, qvi qvùm hîc laudem Dei silent, etiam in altera vita tandem planè obmutescent, confer Matth. 22, 12. at pii & Christiani ibi demum exaltati exultabunt, Deumq; laudabunt, qvemadmodum hîc vident caput suum præire bono exemplo. *Celebrabo* (inqvit) *Jehovam valde*, id est, apertè, publicè, multis verbis, magno affectu, *ore meo, & in medio multorum laudabo eum.* Qvæ verba & facilia sunt, & suprà res ipsa explicata satis Psal. 16, v. 9.

& Psal.22,23.26. & 69,31. Libet addere qvædam ex idea concionis. Futurus est locus glorificandi Dei, ab hostibus per confessionem v.27. à se per gratiarum actionem hoc versu. Debemus & gratitudinem Deo non tantum promittere, sed etiam præstare. Promittimus, qvoties ad cœnam accedimus, sed qvis? & qvomodo præstat? putant qvidam, satis feciſſe se promisioni, si uno atq; altero die sibi temperent à peccatis, qvemadmodum faciunt, qvi venæ sectione usi sunt. Sed Deus non patitur se illudi, &c.

Gratitudo nostra.

Vers. 31.) Cur autem Salvator laudabit Deum patrem? qvod se juverit, & ex malis, imò morte, eruerit, *quod assistat ad dexteram egentis* (de phrasi dictum est suprà Psalm.16, v.8. & qvis sit hic אֲבִיוֹן suprà vers. 22.) juvet, regat, conservet ope sua indigos & se confisos, *ad salvandum*, ut conservet eum *ab iis*, *qvi abjudicant vitam illi*, qvi condemnant illum, Lutherus, daß er ihme helffe von denen/ die sein Leben verurtheilen. Vulgatus, ut salvum faceret à perseqventibus animam meam, qvod non qvadrat. De hac autem significatione verbi שָׁפַט, qvod accipiatur metaleptice pro condemnare, alibi dictum est pluribus. Vide sāltem Comm. in Psal.9, v.17. Vatablus: ut servet à judicibus iniqvis animam ejus: non benè ob constructionem.

שָׁפַט

Loci Communes.

Ex vers.30. *Celebrabo Jehovam.*) Ostenditur hoc versu, 1. qvis sit laudandus? nempe Jehova, unde toties in Psalmis הַלְלוּיָהּ: 2. qvomodo? valdè, ex omnibus viribus: 3. qvo instrumento? tam corde, qvàm ore: 4. ubi seu qvo in loco? in medio multorum seu in Ecclesia tam privatim, qvàm publicè. Etiam de his alibi prolixiùs.

Dei laus.

Ex

Ex verſ. 31. *Quod aſſiſtat ad dexteram egentis.*) Deus promiſit, ero cum ipſo in tribulatione, & adſtat ad dextram ejus, qvi eget ejus opera, eamq; implorat, manum porrigit, & contra hoſtes potenter ſe confiſum defendit. Et tu Jeſu Chriſte, qvi ſedes, imò ſtas ad dexteram tui patris, ut poſsis ſuccurrere miſeris tuis membris, age etiam nobis hoc tempore aſsiſtas ad dexteram, & omnia ſiniſtra omina, nomina, flumina, fulmina ac tormina clementer averte, nosq; ad te converte, ut tuo exemplo per calamitatem eamus in beatitatem,

Amen.

Enarratio

PSALMI CENTESIMI DECIMI.

Matth. 22, 24.
Marc. 12, 36.
Luc. 20, 42. 43.
Actor. 2, 34. 35.
Hebr. 1, 13.

Εἶπεν ὁ Κύριος τῷ Κυρίῳ μου, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου.

Johan. 12, 34.

Ημεῖς ἠκούσαμεν ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ὁ Χριστὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα.

1. *Cor.* 15, 25.

Δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν, ἄχρις οὗ ἂν θῇ πάντας τοὺς ἐχθροὺς ὑποκάτω τῶν ποδῶν αὐτοῦ.

Hebr. 5. 6. & 7, 17.

Καθὼς καὶ ἐν ἑτέρῳ λέγει, Σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα, κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ.

Hebr. 7, 21.

Ὤμοσε Κύριος, καὶ οὐ μεταμεληθήσεται, Σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ.

Hebr. 10, 13.

Τὸ λοιπὸν ἐκδεχόμενος ἕως τεθῶσιν οἱ ἐχθροὶ αὐτοῦ ὑποπόδιον τῶν ποδῶν αὐτοῦ.

Psalmi hujus dignitas.

EX hac locorum Nov. Teſtam. ubi hic Pſalmus eſt allegatus undecies (qvod vix de ullo alio probari poterit) enumeratione, liqvidò conſtat, qvanta ſit hujus Pſalmi dignitas, & qvanta ejusdem utilitas, qvem Spiritus Sanctus ad aliqvot ardua myſteria ſtabilienda citari voluit, imò qvô ipſe Salvator ſuos juratos hoſtes Phariſæos confundere valuit Matth. 22, v. 46. unde rectè ſcribit Bellarminus: Hic Pſalmus celeberrimus in magnitudine myſteriorum. Et Mollerus: Hîc totus Pſalmus dulciſsima eſt exegeſis promiſsionis de venturo Meſsia traditæ primis parentibus poſt lapſum in paradiſo, & poſtea repetitæ Abrahamo, ejusqve poſteris. Qvæ promiſsio ut fundamentum & baſis fuit Eccleſiæ inde usq; ab initio collectæ ex genere humano, ita ſubinde miniſterio prophetarum in V. T. magis ac magis fuit illuſtrata, nec alia in re magis, qvàm in hac declaranda labor illorum fuit occupatus. Nulla autem extat concio in libris V. T. qvæ tanta brevitate, tam luculenter & tanto orationis ſplendore eam promiſsionem evolvat, & majores res complectatur. Ideoq; grata eſſe piis auditoribus hu-

hujus Psalmi lectio debet. De usu verò hujus Psalmi in genere ita censet D. Heshusius. Ad usum transferendus est hic Psalmus, ut certò statuamus, Jesum Christum esse & regem & sacerdotem nostrum, qvi placatâ Dei irâ & morte devictâ justitiam & vitam nobis recuperavit: qvæ regni ipsius beneficia ideò sunt accipienda fide, ut nos in omni tentatione erigamus, & morte atq; peccato superatis tandem per Christum vitam adipiscamur æternam. *Usus.*

Qvod autem Psalmus hic unicè de Christo agat, negant inter veteres Judæi, inter recentes Calvinus: affirmant autem longè rectiùs ex veteribus patres, & recentes tum Lutherani, tum Pontificii, tum Calviniani, inter qvos Esromus Rudingerus ita censet. Qvum Christus ipse Psalmum hunc de se interpretetur, minimè opus est, ut ad ullorum hominum rationes aut interpretationes respiciatur, qvæ à Christo abducunt sententiam, qvales & apud Christianos, nunc qvidem, nullæ sunt, neq; esse omninò possunt. *De qvo agat.* *Esr. Ruding. sententia.*

Hic igitur Psalmus sine ullo typo & ex professo est Prophetia de persona & regno Christi. Et ad Davidem aliqvid historicè referre in hoc Psalmo ne conandum qvidem existimo, qvacunq; interpretatione. Neq; dici in hoc genere qvicqvam potest, qvod glorioſum esse possit tali interpreti. Hæc Calvinianus contra Calvinum.

Argumentum.

In hoc Psalmo explicatur Christi regis, Prophetæ & Sacerdotis Ecclesiæ suæ unici infinita gloria, ejusq; de hostibus reportata victoria, & tandem, qvæ ad illam via. *Summa.*

Maxi-

Maximè enim Christi regnum à glorificatione ipsius celebrat, ut Petrus Actor. 2. explicat. Et qvia non tantum est positus ad resurrectionem multorum, seu credentium, sed etiam in ruinam & casum se ei opponentium Luc. 2, 24. Christum suorum subditorum fidelium salvatorem ac protectorem, & suorum hostium seu inimicorum blasphemantium vel oppugnantium judicem ac condemnatorem fore declarat, ad qvam gloriam & potentiam Christus-homo per miseriam pervenit, & ad dextram patris glorioſam sessionem obtinuit post suam ærumnosam passionem.

Analysis. Partes duæ. Analysis hæc potest dari. Partes Psalmi sunt duæ, prior, in qva Deus pater Christo θεανθρώπῳ plenariam divinæ gloriæ humanæ naturæ communicatæ in triplici officio usurpationem subministrat v. 1. posterior, in qva Christus idipsum administrat v. 5. & seqq. ibi pater cœlestis officium committit, hîc filius nihil eorum, qvæ ad officium spectant, omittit. Officium illud est triplex, regis vers. 1. prophetæ v. 2. sacerdotis v. 4. *I.* I. Ad regnum à patre vocatur, ad dextram ipsius collocatur, suisq; hostibus potenter dominatur v. 1. II. Prophetia prius in genere indicatur tum ratione pedi, qvo suas oves ducit ac regit, tum ratione regni sedis v. 2. sub initium. Posterius in specie declaratur respectu hostium, qvorum dabitur subjectio v. 2. in fine, & respectu subditorum fidelium, ubi describitur Ecclesiæ per prædicationem verbi collectio v. 3. III. De sacerdotio hæc ponuntur: id conferentis benignitas & immutabilitas 2. ejus susceptæ *II.* dignitas atqve æternitas v. 4. Hactenus officium velut demandatum: seqvitur nunc in parte posteriori idipsum usur-

usurpatum, regium v. 5. propheticum v. 6. sacerdotale v. 7. In regio est magnorum tyrannorum & regum ipsi adversantium dejectio. Confer Luc. 1,52. in prophetico cum gentilium hominum, tum infernalium dæmonum subjectio, illorum ad Ecclesiam congregatione, horum cum suis pertinacibus cultoribus plenaria fractione & æterna condemnatione. Vide 2. Cor. 10,5. Joh. 12,31. & 14,30. & 16,11. In sacerdotali est Christi passio seu exinanitio, & glorificatio seu exaltatio, ibi moritur, hic ex morte oritur, ibi peccata mundi tollit, hîc caput attollit.

Pars Prior.

Vers. 1.) *Davidis Psalmus*, de qvo genere loqvendi supra Psal. 40, 1. ubi addendum tamen, qvod Christus adjicit non sine causa & emphasi Matth. 22, v. 43. ἐν πνεύματι, & apud Marcum cap. 12, v. 36. ἐμφαλικωτέρως, ἐν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ, nimirum ex peculiari revelatione, eaqve majori qvàm aliàs, (qvia & hujus sunt, ut aliorum Spiritûs S. donorum, gradus,) ipsi plerumq; fuit collata, hoc vaticinium egregium de Christi θεανθρώπε exaltatione in N. T. futura cecinit. Tria verò continet potissimùm hic versus 1. patris cœlestis decretum, 2. filii regnum 3. hostium hujus interitum: seu, ut alii volunt, regis hujus enarrat autoritatem, divinitatem, majestatem, felicitatem. *Dictum Jehovæ*, נְאֻם, qvod de oraculis divinis apud prophetas crebrò usurpatur, & h. l. notat, non tantùm esse hoc ab æterno in Trinitatis concilio decretum, sed etiam suo tempore prolatum, ut nobis de eo constaret: in N. T. sensus ita exprimitur, εἶπεν ὁ κύριος. Ha-

David hîc loqvitur in spiritu.

נְאֻם

 tenus

ctenus qvis dixerit & decretum hoc fecerit: jam cui nempe, ut habet Chaldæus, verbo suo pater, seu ut habet textus authenticus, in qvo loqvitur David de suo secundum carnem filio, secundum divinitatem suo Domino, *Domino meo.* Vidit in Spiritu David Messiam post mortem & resurrectionem ex mortuis gloriosè ascendentem in cœlum, & refert ad nos verba Dei Patris, ad filium, qvibus eum ad considendum secum & conregnandum invitat. Qvod autem hoc loco Christum vocat Dominum, qvando eum cum patre conjungit, fit ex stylo scripturæ, ubi qvum pater & filius ejus incarnatus simul conjunguntur, ille Deus, hic Dominus solet nuncupari, qvia nomen Dei seu Jehovæ competit Christo secundum divinam naturam, nomen autem Domini pertinet ad utramq; naturam, licet diversimodè, unde in symbolo dicimus, credo in Deum Patrem, & in Jesum Christum Dominum nostum. Videantur hæc loca 1. Cor. 8,6,2. Corinth.1,3. Eph.6,23.& 1,3. Col.1,2. 1.Corinth. 6,v.14. 1.Thess.1,v.1. &3,v.11. 2.Thess.1,v.2. 1.Tim. 5,21.& in V.T.per περίληψιν Dan 9,17.confer qvæ dicta in Exerc.bibl.p.1223. Hoc in loco verò qvum Christus secundum naturam divinam & ratione officii mediatorii vocatur Davidis Dominus, rectè inde probatur in N. T. in locis suprà allegatis Christi divina natura. Vox יְהוָה est nomen essentiæ, describens Deum, qvalis est in se, non qvalis nobis ac noster fieri potest: vox אֲדֹנָי autem est operationis & conservationis, deducta ab אָדַן id est, basis estq; hæc eadem appellationis ratio atq; ἐτυμολογίας, qvę est vocis βασιλεὺς, qvasi dicas βάσιν τῶν λαῶν. Qvia igitur Christ⁹ tollens peccata mundi mundum sustentat, ut media-

Christum vocatur Dominus.

יהוה

אֲדֹנָי

diator generis humani, & ex sinu patris protulit Evangelium, ex qvo discimus, qvomodo Deus velit, qvi est aliàs ignis consumens ac severus judex, fieri in ipso noster Deus & noster pater, convenientissimè hac ratione ei nomen אֲדֹנָי, κυρίου, Domini competit, ut taceam, ratione acqvisitionis, qvâ nos sibi emit, suo sanguine redemit &c. ei hoc nomen qvoq; soli deberi. Qvid verò Deus pater & Jehova ingenitus dixit suo filio, Davidisq; Domino ad se post cursum in his terris feliciter absolutum revertenti? hoc nempè, *sede*, שֵׁב, Lutherus eleganter, setze dich / *ad dexteram meam*. Sessio notat qvietem (qvi enim sedet, qviescit) & potestatem (qvi enim sedet cum majestate pro tribunali, potestate est præditus) & ad dextram patris sessio, notat immensam gloriam, unde ab Apostolo 1. Cor. 15, 25. explicatur per dominari. Confer Eph. 1, 20. Hebr. 1, 3. & 8, 1. estq; similitudo desumpta à consuetudine regum, qvi ad dexteram collocabant, qvos summo honore cupiebant afficere 1. Reg. 2, 19 Psal. 49, 10. Non obstant illa, qvæ Bellarminus lib 3. de Christo c. 15. ex Antonio Nebrissensi qvinq; c. 39. affert, qvod à dextris sit minus honorificum: 1. qvia illa sunt exempla hominum gentilium, 2. certa de causa hoc facientium, videl. ut tantò meliùs possint se defendere, & inferiores ipsis statim inservire, & à dominis, qvæ traduntur, accipere. 3. potissimum de incessu, non de consessu loqvuntur. Ideoq; profana illa nihil præjudicant hiscè sacris, neq; ex picturis didicimus judicare de sacris scripturis, ut Bellarminus ex pictura contra has concludit. Ex hac autem sessione Christi ad dexteram patris seqvitur hostium miseria, & triumphatoris gloria

Sedere.

Obj.

R.

ria; undè subjicitur, *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, planè tibi subjecero omnes hostes, etiam ipsam mortem, ut illa, qvæ jam pedibus possumus conculcare 1. Cor. 15. v. 23. Estqve desumpta hæc loqvendi ratio à ritu & consvetudine victorum orientalium, qvi eqvos conscensuri hostes devictos loco scabelli adhibebant. Confer Jos. 10, 24. Jud. 1, 7. historiam Tamerlanis & Alexandri pontificis Romani insolentiam. Particula donec non hoc infert, qvasi non sit regnum Christi æternum, qvod aliàs ex scriptura probatur, sed saltem de modo regni, qvi qvalis nunc est, desinet post extremum judicium, qvando nulli amplius hostes, qvi Ecclesiæ possint nocere, & qvando nulli ampliùs verbi ministri, qvi jubeantur publicè docere, esse accipiendam constat ex Paulo 1. Cor. 15, 28. & particula illa Donec ac similes, usq; dum, priusqvàm &c. sæpius ita excludunt præteritum, ut non includant futurum. Vide Gen. 28, 15. 2. Sam. 6, v. 23. 1. Sam. 15, v. 35. Psalm. 57, 2. Matth. 5, 18. 26. Breviter dicam cum D. Mylio. Officii Christi partes ad tempus sunt durabiles, & has regni appellatione insignitas patri tradet: potestas verò regni sempiterna est. Conferantur etiam ea, qvæ habet Mollerus in Comm. Qvando demum legimus לְרַגְלֶיךָ הֲדֹם, Tremellius & Junius putant esse ἀναστροφὴν, & poni hæc pro iis, לַהֲדֹם רַגְלֶיךָ. Verùm errant, qvùm in priori sæpè ל desit apud hebræos, & in posteriori qvandoq; denotet genitivum, ut alibi est declaratum, & h. l. pluribus refutat eos Piscator ex Jerem. 2, 13. & 15, 16. & Esa. 5, 6. Jer. 22, v. 6. Confer Psal. 18, 12. & 21, 7. 13. & 132, 11. Jer. 13, 16. & 50, v. 3. Et de hoc dicto etiam vide Junium in paral-

Donec.

lelis

lelis sacris lib. 1. paral. 44. lib. 2. par. 39. & lib. 3. pag. 357. ita tamen ut proba ab improbatis secernas, siqvidem & is sedere ad dexteram patris tantùm esse dominari in medio inimicorum se opponentium regno Christi, cum Piscatore aliisq; nonnullis Calvinianis putat, qvùm tamen illud sit perpetuum, hoc temporaneum, imò & illud hujus causa, ratione humanæ naturæ, qva de re inferiùs cum Deo.

Vers. 2.) Sic Christi θεανθρώπε regnum est constitutum, unde constat de Christi etiam in rebelles potenti dominio, v. 2. & de subditorum morigerorum spontaneo obseqvio v. 3. Ut enim fit in aliis regnis, ut in iis inveniantur morigeri & immorigeri, obedientes & inobedientes, fideles ac rebelles: ita etiam videre est in hoc Christi regno, unde etiam ipse obtinet sceptrum, qvo bonos defendit, regit, tuetur, & qvo malos punit, in ordinem redigit & coercet, qvo possit

parcere subjectis & debellare superbos.

Hoc autem, qvia regnum non est de hoc mundo, non est mundanum, sed spirituale, nempè verbum ejus, qvod salvat credentes, damnat incredulos, præmia & gratiam promittit piis, supplicia & iram denunciat improbis: & simul ut scire qveamus, qvæ prima hujus regni in N. T. fuerit sedes, ea montis Sionis nomine hic expressè denotatur. Et qvia tàm reges, qvàm publicè docentes olim dicebantur pastores, רֹעִים ποιμένες λαῶν, & Christus non solum rex, sed etiam Propheta est, scipio seu virga ei attribuitur velut pastori summo 1. Petr. 5, v. 4. unico Eccles. 12, 11. bono Joh. 10, v. 11. &c. Sic igitur velut admirabundus David, qvùm in spiritu videt, qvomodo

Christus sedens ad dextram patris sui, regnum suum administret, in hæc verba erumpit, suoq; regi gratulatur:

Scipio Christi

Scipionem roboris tui מַטֵּה־עֻזְּךָ *emittet Jehova Sione*, hoc est, verbum Evangelii, qvod est potentia Dei ad salutem omni credenti Rom. 1, v. 16. 2. Cor. 10, v. 4. 5. Psal. 23, v. 4, primùm prædicabitur Jerosolymis, qvę supra montem Sion ædificata Esa. 2, 3. & 61, 1. 2. Mich. 4, 5. Luc. 24, 47. Actor. 1, 8. Mollerus huc refert illud Matth. 11, v. 12. regnum Dei βιάζεται, exponitqve activè cum vi summa perrumpit: sed præterqvam qvod pleriqve interpretes passivè verterint, passivè explicatur in paraphrasi Syra, & à Luca per εὐαγγελίζεται exponitur c. 16, 16. confer potiùs Actor. 6, 10. & 9, 22. Qvùm igitur satis habeas virium, ô Rex Ecclesiæ, tam ad beandos tuos, qvàm subjugandos hostes, qvi nunqvam deerunt, dum mundus hic erit, age exere tuas vires, *dominare in medio inimicorum tuorum*, & verbo tuo potente eos preme, urge, contere, Hebr. 4, 12. tu igitur perge feliciter, infer vexillũ crucis tuæ in medium confertissimorum hostium, ibiqve dominare, illisqve vel invitis & repugnantibus regnum tuum constitue. Qvod certè brevi temporis spacio factum esse videmus. Nam intra paucos annos frustrà Judæis & paganis reluctantibus Ecclesiæ Christi in toto terrarum orbe constitutæ fuerunt. Col. 1, v. 23. Vatablus existimat esse hic enallagen temporum, dominare pro dominaberis, posito imperativo pro futuro, qvod alibi notatum.

Matth. 11, 12

Vers. 3.) De hoc versu dixi qvædam in Exerc. bibl. à pag. 115. usq; ad 121. edit. 3. ideoq; qvæ ibidem excussa in Bellarmini aliorumq; explicatione, huc non traham, sed

in

in verum sensum inquiram. Hunc esse notat Vatablus: populus prædicato Evangelio se Christo sponte subjiciet. Quia igitur dixit Psaltes, quid sit futurum hostibus Christi, nunc de ejus populo agit, eumq; ait futurum Christi proprium, spontaneum, à Deo in bono exercitatum, ornatum & renatum. Cum enim dicente rege sapientissimo Salomone, gloria regis sit in populi multitudine Prov. 14, 28. ejusq; regis summa voluptas in subditorum suorum promtitudine, etiam utramq; subditis Christi tribuit his verbis, *populus tuus* erit *maximè voluntarius* seu spontaneus, liberalissimoqve ingenio prædituς, qvali decet esse summos principes, id est, hebraicè נְדָבוֹת, abstracto pro concreto, & plurali pro singulari posito, ut alibi dictum, & vel in Exerc. bibl. edit. 3, pag. 246, 372. 99. & qvod poetarum princeps de Augusto ei adulans, dicebat 4. Georg.

Christi populus spontaneus.

--- --- --- Victorq; volentes
Per populos dat jura,

id rectè ad hunc regem nostrum referre licet, cujus subditi libenter & non coactè ei obediunt. Confer Exod. 35, 21. & 36, 21. Psal. 51, 14. Sir. 15, 10. Rom. 12, 8. 2. Cor. 9, 7. Rom. 6, 18. 1. Petr. 5, 2. Philem. v. 14. & qvùm omnia ab ipso acceperunt, ei viciſsim omnia sua promptè offerunt 1. Cor. 4, 7. Qvando hoc futurum est? maximè ubi non ampliùs, ut in V. T. domi & in una Judæa tuos continebas, angustis locorum finibus tuos concludis, sed jam in totum terrarum orbem tuas spirituales copias educis, *die copiarum tuarum*, qvando jam turmatim, confertim, magno numero ad ædes tuas sacras convolabunt Esa. 2, 3. Mich. 4, 2. confer umbram Psalm. 42, v. 5. & 84, 8.

Christi copia.

84,8. & qvando sua nomina sacræ huic militiæ, cujus tu, ô Christe, duxatqve imperator summus, profitebuntur, & vires suas contra diabolum, mundum, carnem militantes à Deo firmati periclitabuntur, hoc est, temporibus Evangelii revelati, qvibus tuorum aciem ducturus, & inimicos debellaturus es, donec eos confeceris spiritu oris tui, & illustri adventu tuo aboleveris. Lutherus videtur respicere ad ipsam Christi in passione depugnatam pugnam, qvando vertit, nach deinem Sieg. Qvùm ergò copias tuas, qvarum ἡγεμόνες fuerunt Apostoli, Evangelistæ, Pastores, & Dominus Zebaoth ac rex gloriæ Psal. 24. evocabis, tum populus regni tui sua sponte ac libentissimo animo se tibi subjiciet. Si qværis, ubi? habe locum, *in decoris* locis *sanctitatis* (qvomodo Vatablus exponit, in civitate illa clarissima ac celeberrima nempè Jerusalem) vel si id non placet, age exponamus cum Luthero, Mollero, Piscatore, aliisq; (id qvod etiam, magis jam probo) de modo & ornatu, *in ornatibus sanctitatis*. Qvemadmodum enim, qvi educuntur in aciem, non modò armantur, sed etiam, si possit imperator eorum tantum præstare à se, ornantur, ita qvoq; hi sancti milites verbo potente Dei erunt armati sup. vers. 2. Ephes. 6. & Christi justitia, ac sua inchoata ornati Esa. 61, v. 10. Ephes. 5, v. 27. Col. 3, v. 10, 12. Qvia autem hæc vestis fidei nuptialis ac salutis, vestis item charitatis & bonorum operum nullibi induitur, nisi in locis decoris sanctitatis seu in Ecclesia, subordinatæ sunt hæ, non contrariæ explicationes. Piscator hæc addit: in ornatibus sanctitatis, id est, in sancto proposito te colendi, & in vitæ sanctitate: metaphorâ ductâ à sacerdotibus Levi-

Christi milites ordinantur.

Piscator.

viticis, qvi cultum Dei obituri, sacrasqve ceremonias administraturi, sacris, iisqve elegantibus & preciosis vestibus sese induebant. Et in hac significatione nomen הֲדָר reperitur etiam Ezech. 16, v. 14. Mich. 2, 9. Unde autem habebit ille populus illas vires ? non qvod est in hunc mundum natus, sed qvod abs te est ex Ecclesia renatus Joh. 1, v. 12. *inde ab utero*, puta Ecclesiæ matris omnium credentium Gal. 4, v. 26. *auroræ* & initii prædicationis Evangelii, qvod fuit lux illa magna orta post tenebras V. T. imò principium diei N. T. post noctem V. T. confer Matth. 4, 16. 17. Rom. 13, 12. 13. & hoc mane spirituali ex somno ignorantiæ ac malitiæ divinitùs excitati studiosè atqve accuratè se comparabunt ad tuam doctrinam imbibendam & præcepta in vita exprimenda (vide exerc. bibl. in loco suprà allegato sub initium hujus versus) & ita mirabiliter erit *tibi ros juventæ tuæ*, hoc est, multi, sine opera ullius hominis, qva talis, salutariter & mox renascentur sub Evangelii auroram, ut ros solet dari sub ortum solis, & ita Christi mystici in N. T. hæc primùm per Apostolos hinc inde coacta Ecclesia, est velut juventa, cujus deinde subseqventibus temporibus adolescentia sub Apostolorum discipulis, & patribus. Virilis autem ætas & summum complementum in altera demum vita seqvetur. Confer Ephes. 4, 13. 14. 15. 16. 1. Corinth. 13, 10. 11. qvomodo facilè liqvet, qvomodo יַלְדוּת non notet pueritiam divinitatis Christi (hæc enim, qvùm sit ἄχρονος sine principio & fine, pueritiam aut alia ætatis tempora diversa non habet) sed Christi mystici in piis suis natis juventutem, collectivè sumpto vocabulo, de qvo etiam ibidem in Exerc. bibl. qvibus addi

Lutherus Ecclesiæ.

Ros juventa Christi.

יַלְדוּת

possunt, qvæ prolixè tractat Mollerus in Comm. p. 1246. 1247. siqvidem sunt talia, qvæ fundamentum habent in scriptura, & usum insignem præbent. Præterqvam autem qvod hæc sit Lutheri, Lutheranorumq;, plerorumq; omnium (Dn. D. Gesnerus Comm. in Psalmos aliter statuit, & cum patribus explicat de æterna filii Dei generatione à patre, sicut & ex Calvinianis Simlerus lib. 1. de filio Dei c. 3.) Calvinianorumq; præcipuorum constans explicatio, etiam longè ante eandem tradidit Chaldæus interpres, qvi videatur. Id addo: I. Qvum in Calvinianis nonnullis, qvi illam Christi nativitatem à patre ab æterno factam dicunt esse metaphoricam, maximè hoc reprehendamus, haud video, qvomodo, qvæ citra omne dubium erunt tum metaphoricè explicanda, nimirum uterus, aurora, ros, juventus (qvùm nihil horum propriè sit in Deo, cum tamen generatio filii Dei à patre sit maximè propria) huc qvadrare possint, ùt non metaphorica inde seqvatur generatio. II. Locum ex Esa. 46, v. 3. huc non spectare qvicqvam, qvùm neq; ibi, neq; alibi in scriptura Deo patri tribuatur expressè, & qvod ad literas (aliàs vide qvæ extant Prov. 8, 22. 24. 25. & 30, 4. Psalm. 2, 7.) uterus respectu generationis λόγου æternæ, sed respectu nostri spiritualiter in tempore ex verbo ac sacramentis regenitorum, licet neq; literaliter hoc, hic qvidem, dicatur primariò, nec versionem latinam malam seqvere. Primum ait, nos portari, id est, sustentari ab ipso Hebr. 1, v. 3. & Deut. 1, 31. Exod. 19, 14 Deut. 32, 11. deinde nos (pios, qvi sumus domus Jacobi spiritualis atqve fide, residuum domus Israelis, qvod alibi prolixè declaratum, illo notari credentes, electos) bajulari & gestari,

Probatur explicatio. 1. ex consensu.

2. qvia altera impingit.

3. locus Esaiæ c. 46, 3. non rectè citatur

Ubi versio prava.

stari, inde ab utero, inde à vulva, id est, ex eo tempore qvo sumus nati & renati, confer Num. 12, v. 12. Job. 3, 10. & 10, 18. & 38, 8. Psal. 22, 11. & 58. 4. Jerem. 1, 5. &c. & 20, 18. & Jud. 13, 5. 7. & 16, 17. Job. 1, 21. & 3, 10. & 10, 19. & 20, 15. & 31, 18. & 38, 29. Psalm. 22, 10. 11. & 58, 4. (qvem locum diligenter confer) & 71, 6. Eccles. 5. 14. Esa. 44, 2. 24. N. B. & 48, 8. & 49, 1. 5. Hos. 9, 11. qvod genus loqvendi ut tantò rectiùs observaretur, Spiritus S. jod in fine utrobiq; apposuit. Atq; ita, qvod mala sit ista versio demonstratur per bis repetitam præpositionem. Demum idem liqvet, qvando consideramus ibidem adjectam oppositionem, qvia seqvitur v. 4. usq; ad senium ego idem, usq; ad canitiem ego portaturus sum, hoc est, à primo in hanc vitam ingressu usq; ad ex eadem egressum semper adero & juvabo vos, dum hanc vitam miseram in Ecclesia militante vivitis. Si loqveretur autem locus ille Esaiæ de vulva Dei, potest inverti hoc argumentum, qvia illa Deo tribuitur, non qvatenus λόγον genuit ab æterno, sed qvatenus nos regeneravit in tempore. Objicitur præterea unum, tantorum & tam multorum patrum consensum negligere, insolens videtur R. ex eo, qvod nostrates demonstrant in L. de Ecclesia, posse fieri, ut etiam tota Ecclesia erret in iis, qvæ ad circumstantiam qvandam aut explicationem loci biblici pertinent, etiam tum, qvando consentienter aliqvid docetur, ut patet de regno Christi mundano, reditu Eliæ Thisbitæ &c. circa tempora Christi. Plura & similia in hanc sententiam huc possunt referri, ut dixi aliqvoties in Exerc. bibl. etiam ex ipso Luthero, qvi qvando scripturam habet præviam, & à suis partibus stantem à nobis potius attendi-

Ab utero à vulva.

Obj. Consensus patrum. R.

tur, qvàm omnes patres, qvia tum loqvitur cum eo, qvi est ante omnes, & solus audiendus, nempe Jesus Christus. Vide etiam Comm. D. Bugenhagii p. 632. 633. & omninò vide, qvæ habet D. Franz. lib. de interp. script. pag. 832. De accentu Athnach nunc non disputamus anxiè: id tamen falsum est Psal. 113. v. 2. & 3. eum non distinguere, licet non disjungat prorsus. Peculiaris est explicatio Vatabli, Rorem pro benedictione & plenitudine gratiæ posuit, q.d. O Christe, ros nativitatis tuæ, id est, gratiæ illæ, qvæ tibi donabuntur à patre, dum carnem assumes, obvenient tibi jam inde ab utero, & à principio nativitatis tuæ. Verum de Christi nativitate in tempore in hoc Psalmo non agitur, neq; gratia vocatur ros, multò minus illa gratia Christo homini data, qvi fuit plenus gratiâ. Manum de hac tabula, in qvâ, si opus, deinceps plures possunt duci lineæ, juxta scripturæ normam.

Vatabli explicatio.

Bugenhagii nota proba.

Vers. 4.) Hactenus Christum regem in Psalmo vidimus (verba sunt D. Bugenhagii) nunc verò sacerdotem & pontificem qvoq; nostrum videamus. Rex est defensor suorum: sacerdos placator est in conspectu Dei: utrumq; nobis Christus est. Qvod si vel leviter intelligeremus, tota nos in Deum projiceremus fiducia, qvia hic habes Christum, qvi sacerdos non esset, nisi auferret nostra peccata, rex non esset, si vinceretur. Qvia verò hæc res, qvam jam erat dicturus David in V. T. erat prorsus insolita, videlicet ex tribu Juda dari sacerdotem, qvùm tantùm ex tribu Levi ille esset desumendus, vide saltem ep. ad Hebr. c. 7. juramento Dei interposito illam confirmat. Vide ibidem cap. 6, 16. 17. 18. Non autem frustra jurat Deus, qvod etiam hominibus severè prohibetur

DEus jurat.

Matth.

Matth.5,v.34.37. Jac.5,12. neqve sua causa,sed nostra: ideò qvoties jurat,judicabimus eum de re magna,& plerumqve ad salutem nostram, vel Dei justitiam qvandoqve pertinente agere. *Juravit Jehova*, fore ut Christus à se constitutus rex etiam simul sit sacerdos,ideoqve certò hoc erit futurum, qvod ut tantò firmius credamus, addit Psaltes, *& non pœnitebit*, non diffinget infectumvè reddet, qvod semel dixit, qvia non est homo, qvem alicujus rei pœnitere propriè possit, Num.23,v.23. 1.Sam. 15, v. 29. ideoqve eventus respondebit huic vaticinio meo,qvia audivi ex revelatione Sp. S. in concilio Trinitatis patrem ad filium suum dicere, qvemadmodũ etiam epistola ad Hebræos expressè dicit, c.7, 21. hæc esse verba patris ad filium, si qvis rectè singula, qvæ ibi dicuntur, excutiat. Qvænam autem illa verba? hæc qvæ seqvuntur,*Tu* fili Dei & Davidis,*es sacerdos*, ἱερεὺς, *in æternum* id est æternus,*secundum ordinem* non Aaronis,qvi desinunt esse sacerdotes,sed *Melchizedek*,qvi neq; principium dierum, neqve finem vitæ legitur habuisse Hebr.7, v. 3. Fuerint igitur in lege & V. Test.aliàs distincta officia regis & sacerdotis,& qvidem adeò, ut qvùm Usias sacerdotium invaderet,& sacrificium offerret, & Jehovæ adoleret,leprâ statim percuteretur 2.Chron.26,16.18.19.20. confer Exod.30,7.&c. tamen in V. Test.qvoq; hujus rei fuit umbra qvædam in Melchizedek, qvi erat simul rex & sacerdos in Salem Gen.14,v.18.19.20. prout pluribus hoc explicatur Hebr. c.7. Valeant ergò primum nugæ Judæorum,qvi h.l per מלך intelligi volunt solùm politicum aliqvem ducem, prout accipitur illud vocabulum Gen.41,45. 2.Sam.20,v.26.Exod.3,v.1. & ex collatione

Melchizedek.

מלך

2.Sam 9,4. 1.Chron 18,17. apertè liqvet. Vide Exere. bibl.pag.58,ed.3. qvia ita & hîc juramento tum nullo opus esset, siqvidem ad tribum Judæ regia majestas pertinebat de jure, Gen.49,10. nec Abraham nec Ezechias (de qvibus hæc dici volunt illi scripturæ sacræ perversores) fuerunt in æternum: & Christiani habemus Sp. S. interpretem omni exceptione majorem Heb.5,6. & 7, 17.21. dum vertit ἱερεύς. Secundò vel hinc consideremus linguæ sanctæ seu hebrææ necessitatem & utilitatem, qvam ipse Spiritus Sanct. commendat, qvando nomina illa hebræa מַלְכִּי־צֶדֶק, & שָׁלֵם Hebr.7,v.2. interpretatur, qvæ de re audiamus D.Bugenhagium in h.l. qvi scribit: vel in hoc uno videas, qvàm non liceat feliciter agere in scripturis sine linguarum peritia, & proinde debent foveri qvi doceant & discant. Et porrò: Nihil igitur moror, qvid interpretentur pontificii, ex eo, qvod ipsi finxerunt, sed attendo, qvid ipse textus scripturæ habeat. (Agit a.de loco Gen.14,v.18. unde Pontificii sacrificium Missæ, qvod tamen tum temporis planè non erat, conantur probare, neq; in textu hebræo invenitur verbum הִקְרִיב vel הִגִּישׁ qvæ aliàs de sacrificiis usurpantur, sed הוֹצִיא, neq; protulit Deo panem, & vinum Melchizedek, ut illi in Missa, sed Abrahamo ejusq; militibus fessis, esurientibus ac sitientibus. Vide tamen Bellarminum lib. 1. de Missa cap. 6. & ex nostris qvi hunc locum vindicarunt, inprimis D.Chemnitium. Confer etiam, ut vim verbi pervideas, hæc loca, nusqvam offerendi Deo aliqvid simpliciter & per se, sed proferendi significationem passim invenies, ac inibi προφέρειν rei peragendæ, cujus gratia sit eductio, denotari deprehendes. Gen.15,v.5.7. & 19,8. & 24.

Linguæ hebr.æ necessitas.

NB.

Gen. 14, 18.

הוֹצִיא

& 24,53. & 40,14. Exod.6,6.7. & 8,14. & 12,3.16. & 18,1. & 20,1. & 32,12. Num.23,26. Pſ.135,7. Ezech. 21,5. Vox מִנְחָה itidem ſæpè notat munus, qvod homo donet homini, non qvod homo Deo offerat. Sic Chaldaica & LXX. verſio non de oblatione in Miſſa agunt, qvia hæc non habet verbum ῥᾴζειν, ſed ἐξήνεγκεν qvod eſt ἀπὸ τῦ ἐκφέρειν. (Confer Luc.15,21. Act.5,6.10. 1.Tim. 6,7. Heb.6,8. & qvæ habet Joſephus lib.1.ant.c.18.) Tertiò ut tantò meliùs ad Bellarmini argumentum reſpondere qveamus, inſtituenda eſt proba Melchizedeki & Chriſti comparatio, qvam ſeqventibus membris includemus. Conveniunt enim non in miſsificando (ſiqvidem de ſacrificio altum in epiſtola ad Hebr.c.7. ubi ſedes hujus materiæ, ſilentium) ſed I. in nominis omine, qvod duplex 1. viri מַלְכִּי־צֶדֶק i. e rex juſtitiæ, 2. loci שָׁלֵם pacis ἑρμηνευόμενος βασιλεὺς δικαιοσύνης καὶ εἰρήνης Heb.7,2. II. in functionis dignitate, qvæ duplex 1. regalis, qvomodo Abrahamo munificè panem & vinum producit 2. Sacerdotalis, qvomodo Abrahamo benedicit Hebr.7,1.6.7. & ab eodem decimas accipit ibid.v.8.9. III. in perſonæ utriusq; & officii æternitate, Hebr.7,3. ubi notamus 1. qvæ Melchizedeko myſticè tribuuntur, qvatenus ſcriptura ſacra hæc de ipſo tacuit, ut in his typum Chriſti repræſentaret, illa reipſa & ſecundum utramq; naturam Chriſto conveniunt, ſiqvidem verè ἀπάτωρ eſt humanitate, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, ἄναρχος divinitate; 2. qvod plura ſint in antitypo, qvàm typo, & qvod hæc qvidem ideò de typo afferantur propter ſilentium, de antitypo autem credantur propter Dei patris juramentum ſuprà expoſitum, & in Chriſto factum omnium typorum complementum

Ἐκφέρειν.

Melchizedek cum Chriſto comparatur.

1.

2.

3.

IV.

Ordinis in sacerdotio proprietate, qvia uterq; non fuit sacerdos secundum ordinem Leviticum, Hebr. 7, 11. &c. qvæ omnia cum ita diligenter exponat illa epistola, & non faciat mentionem Missæ, ex hoc silentio Sp. S. facilè liqvet, ibi non fuisse ullam in hoc sacrificio comparationem, qvùm Spiritus S. sciret, in Genesi c. 14. non extare sacrificii oblationem. Contrahi illa priora ita possunt: priùs hic habetur typi propositio, posteriùs expositio. In propositione sunt hæc tria I. hominis nomen, functio, rerum gestarum expositio v. 1. II. nominum interpretatio vers. 2. III. eorum, qvæ à Mose typicè dissimulata κατὰ λόγον ἱστορίας observatio, & ad Christum κατὰ λόγον ἀληθείας facta accommodatio versu 3. In expositione porrò probatur Melchizedeki in typo præstantia, & Christi in rei veritate excellentia I. à jure decimandi v. 4. 5. II. à jure benedicendi v. 6. 7. III. à peculiari jure scripturæ hujus vitæ principium & finem hic silendi, vers. 8. qvùm aliàs reliqvorum patriarcharum ætas & mors expressè indicetur, Gen. 5. &c. ubi huic argumento petito à typico Mosis silentio adjungitur aliud argumentum à Davidis aperto testimonio ex hoc Psalmo centesimo decimo petito Hebr. 7, v. 17. & 21. Qvi ulteriùs progrediuntur, ostendunt, qvomodo Christus afferat veram & æternam justitiam Jer. 23. & 33. Dan. 9. Heb. 9. & solidam pacem donet Esa. 9. Rom. 5. Mich. 5. proferat semper panem & aqvam vitæ Joh. 6. & 4. & vinum spirituale Prov. 9, 5. Cant. 5, 1. & 8, 2. Psalm. 8, 23. 5. semper pro nobis apud patrem intercedat Rom. 34, v. 1. Joh. 2, 2. Hebr. 7, 25. etiam panem & vinum sacramentale Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. Sed nos

hæc

hæc ex aliis petenda relinqvimus, & ad locos doctrinæ eruendos nos convertimus,

Loci Communes.

Ex vers. 1. *I. Davidis Psalmus.*) Utilis fuit hæc prædictio de regno & sacerdotio Christi: in V. T. qvidem ad desiderium Messiæ magis magisq; excitandum Johan. 8, 56. Luc. 10, 23. 24. & in N. T. utilior fuit completio ad solatium firmum præstandum in omnibus calamitatibus, qvando premitur hoc regnum, ejusqve subditi semper ab hostibus, contra peccatum Rom. 7, v. 24. 25. hostes externos seu tyrannos Actor. 4. ex Psal. 2, 23. & deniqve hostem ultimum, omniumq; terribilissimum, videlicet mortem 1. Cor. 15, 25. 26. *Vaticinii hujus usus.*

II. *Dictum Jehovæ.*) Si est hoc dictum Jehovæ, est verum, justum, &c. &, qvia penes illum est præcipiendi potestas, penes nos est, nosq; manet obediendi necessitas, qvia qvæ hîc nobis tacitè mandantur, ut Christum regem nostrum esse agnoscamus, eumq; colamus, ea confirmat divina autoritas. Et qvia est hoc divinum oraculum, mirum non est, hoc videri illis absonum, qvi tantum sequuntur rationis suæ ductum, ut Judæi, Turcæ, Photiniani, qvi negant hujus regis divinitatem, qvæ probatur. *Dei patris verba.*

III. Ex his verbis, *ad Dominum*) puta Davidis Regis. Jam autem, qvà homo tantùm, non est ejus Dominus, qvia hactenus est ejus filius, Ergò alia qvædam ibi erit natura, qvàm humana, qvemadmodum Christus hoc argumentum evolvit Matth. 22, v. 43. 45. Simul ex hoc Christi nomine, imò reipsa & divinitate *Messiæ divinitas.*

Imperium.

auxilium.

est major & melior David?

I. Q. Qvid sit dextera Dei.

R.

ejus discimus, qvod tum demum sit felix aliqvod imperium, qvando rex, dux &c. & subditi colunt hunc Dominum, qvemadmodum rex potentissimus David hic eis præbet optimum exemplum. Semper etiam hoc nomen nos soletur, nostrum caput Christum esse Deum, ac rerum omnium Dominum, qvi etiam tandem opera diaboli dissolvet. 1. Joh. 3, 8. & nos in se omnium malorum victores efficiet 1. Cor. 15, 57. 1. Joh. 5, 5. Confer etiam Rom. 16, 20. ubi potissimùm loqvitur de publico verbi ministerio. Etiam hic monemur, ita cum Davide Christum comparare & conferre, ut meminerimus, hunc infinitis modis tum ratione personæ, tum ratione regni præferre, vide Comm. D. Bugenhagii pag. 611. 612.

IV. Sede ad dexteram meam.) Pluribus hic ab aliis tractatur controversia de sessione Christi ad dexteram patris : paucis eam delibabimus in thesi, siqvidem non libenter commentariis longiores controversias immisceo. Vide præter alios D. Gesnerum. Qværitur ergò *I. qvid sit dextera Dei ?* R. non est locus, sed æterna & infinita Dei virtus ac potentia ac majestas , nulli loco inclusa, à nullo loco exclusa, qvâ omnia gubernat , regit, ac moderatur , tam ordinariè in rerum conservatione, qvàm extraordinariè in miraculis. Videantur & expendantur hæc dicta Matth. 26, v. 64. Luc. 22, 69. Hebr. 1, 3. & 8, 1. Exod. 15, 6. Psal. 77, 11. & 139, 10. Esa. 40, 12. 13. & 48, 12. 13 & 66, 2. Psal. 21, 9. Actor. 4, 27. Psalm. 44, 4. & 89, 14. seu dextera Dei non significat membrum aut partem Dei (qvia est spiritus) non locum qvietis & gaudii, sed potentiam & operationem divinam, qvâ suos cives defendit, & hostes retundit Psalm. 20, v. 7. & 17, 7. & 45,

& 45,5. & 48,11. & 80.15. & 118,15. estq; in cœlis, ut Deus ipse, id est, in cœlesti majestate, ubiqve regnans Amos 9, 2. estq; hæc dextera Dei patris diversa à dextra Christi θεανθρώπε, de qva Matth. 20,23. & 25,33.

II. Qværitur, *qvid sit sedere ad dexteram DEI?* R. non notat situm aliqvem localem, qvia ipsa est illocalis, sed sedere in genere notat (1) manere Psal. 9, v. 8. & 125, v. 1. Luc. 24, v. 49. (2) regnare, scilicet ita, ut istius regni causa, ratio & modus sit sessio ad dexteram Dei. Aliàs si simpliciter intelligis, non est planè idem, qvia Pater Filius & Spiritus S. regnant, sed per omnipotentiam suam naturalem ab æterno: Christus-homo per datam potestatem in tempore & plenariè manifestatam per ascensionem in cœlos, & sessionem ad dexteram Dei. Non igitur hic tantùm notat regnum, sed etiam causam, unde illud sit profectum. Christus enim regnat, ut Deus per se ab æterno propriâ omnipotentiâ: ut homo personaliter, à tempore ascensionis ad cœlum & dextram majestatis communicatâ omnipotentiâ: & dominium omnium rerum Christo-homini in unione fuit datum, sed nec innotuit semper, nec cum imperio actuali continuo fuit conjunctum. Hoc enim sessioni ad dexteram patris fuit reservatum. Et probè notandum, qvod Christus in tempore (ut homo) dicitur accepisse gloriam, non adventitiam, sed illam ipsam, qvam habuit ut Deus ab æterno apud patrem unigenito Dei filio propriam Johan. 17, v. 5. & 1, v. 14. Etiam observandum est, qvod sancti qvidem recipiantur in cœlum, sed qvod Christus occupet cœlum, ut in eo regnet, & omnia impleat Actor. 3, v. 21, Ephes. 4, 10. Vide Exerc. bibl. pag. 1141. & seqq, & qvod

2. Q. qvid sedere ad dexteram Dei? R.

Christus etiam dicatur esse in dextra Dei Rom.8,34. & sedere in dextra Dei, Ephes.1,20. Hebr.1,3. hoc est regnare 1. Cor.15,25. & subjecta habere omnia Hebr.2,8. Confer Jerem.23,23.24. Sap.1,7.

3. Q. Quis sedeat ad dexteram Dei? R.

III. Qværitur, *quis sedeat ad hanc dexteram Dei?* R. ex jam dictis, solus Christus Heb.1,v.5. Unde vir dextræ Dei dicitur Psal.80,18.

4. Q. Secundum qvam naturam? R.

IV. Deniqve potissimùm qværitur, *secundum qvam naturam sedeat Christus ad dextram patris?* Resp. secundum humanam naturam Dan.7, v.13.14. Luc.1,v.33. Phil.2,5.9.10.11. Hebr.2,6.8. Marc.14,62. Luc.22,69. Et de his pro instituti nostri ratione satis: prolixiora alibi videantur, præcipuè apud D. Mentzerum contra Martinium, ex qvo nonnulla superiùs allata sunt desumpta.

Scabellum pedum Christi & Christianorum.

V. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.) Qvia Christus mundum vicit, confidamus, Johan.16,33. & Ecclesiæ qvoqve verisqve ejus membris Lunam ac sublunaria esse sub pedibus Apoc.12,v.1. credamus, hoc est, neqve nimis diligamus, neqve nimis metuamus, ut illa, qvæ sunt velut scabellum pedum. Christus qvidem solus per se est victor, sed & nos in eo plusqvam victores evadimus Rom.8,37. hîc per fidem 1. Johan.5,v.4.5. & spem Rom.8,v.24. ibi, in altera vita, per sensum 1. Cor.15,57. ut tum, qvemadmodum ipse Christus jam non amplius moritur Rom.6,9. nec à suis hostibus infestatur, ita & nos tum cum ipso triumphemus Johan.16, v.11. Ad patrem verò hoc qvoqve refertur h. l. ut multa alia, qvia S. S. Trinitatis fons est & origo:

aliàs

aliàs & ipse Christus dicitur confringere suos hostes virgâ ferreâ Psal.2.qvod & ipsum suis suo modo donat Apoc.2,27. Vide etiam Apoc.19,15.

Ex Vers.2. *I. Scipionem robustum tuum.*) Qvale hoc regnum,tale sceptrum. Regnum videtur coram mundo fragile,& tamen est maximè stabile, sic & sceptrum, videlicet verbum Dei, qvod videtur & habetur qvidem stultitia,sed est Dei sapientia, videtur & habetur infirmum,sed est Dei potentia 1.Corinth. 1,21.24. *Sceptrum regni Christi.*

II. Emittet Jehova Sione.) Judæis oportuit primùm prædicari Evangelium Rom.3,v.2. Actor.13,v.46. qvia Christus est ex illis secundum carnem Rom.9,5. qvi & ipse factus est minister circumcisionis Rom. 15,v.8. & ut in sua persona prædicaret Evangelium,idq; miraculis confirmaret, tantùm vel non nisi ad oves perditas domus Israeliticæ venit Matth.15,24. Sic etiam olim David primùm Sione, deinde super totum Israelem regnavit 2.Sam.5,v.6.7.capp. omnesq; hostes suos ibid.cap.8. Sic etiam Christus Rom.11,26. Gal.6,v.15.16. 1.Corinth 15, 25. &c. *Lex Sione exiit.*

III. Dominare.) Christo datum est regnum Apoc.22,10. & omne judicium Joh.5,27. à patre, non ipse illud rapuit,ut Judas & Theudas Actor.5,36.37. aliiqve Pseudo Christi. *Christus rex & judex.*

IV. In medio inimicorum tuorum.) Hostes Ecclesiæ sunt hostes Christi Actor.9,4.5. qvod facit ad correctionem tyrannorum, & erectionem ac confirmationem Christianorum. Ut enim Christus tandem superat *Christus vincit suos hostes.*

(videatur historia Juliani apostatæ) ita non planè succumbent ejus fratres.

Ex vers. 3. *I. Populus tuus oblationes voluntariæ.*) Veri Christiani habent Christi ingenium. Ut ille sponte sua patri obediebat, & qvidem libenter Psalm. 40, v. 9. ita hi non faciunt coactè officium: ut ille omnia referebat ad gloriam patris, sic etiam Christiani 1. Cor. 10, 13. Col. 3, 17. Qvi autem deprehendunt, se nondum habere animum hunc principalem ac liberalem, rogent cum Davide ex Ps. 51, 14.

Christiani habent Christi ingenium

II. Die copiarum tuarum.) Christus est Dominus Zebaoth. Psal. 24, 8. 10. optimiq; ejus duces sunt verbi ministri Hebr. 13, 7. 17. & milites omnes Christiani, qva de re alibi jam prolixiùs.

III. In decore sanctitatis.) Deus vult suos esse sanctos, qvia & sicut ipse sanctus est Levit. 11, 44 & 19, 2. & 20. 7. 1. Pet. 1, 15. 16. & sine sanctimonia Deum nemo videbit Heb. 12, 14. Ephes. 5, 27. 1. Thess. 4, 3.

Sanctissimus

IV. Tibi ros juventæ tuæ.) Verbum Dei rori confertur: cur autem, & qvomodo, dictum est in Comment. in Micham c. 5, 7. L. C. 2. Actum non agam. Videantur etiam alii Commentatores in Hos. 14, 6.

Ros spiritualis.

Ex vers. 4. *I. Juravit Jehova.*) Etiam in hoc Deus nobis condescendit, ut ad veracissimas suas promissiones ac comminationes qvoq; juramentum addat, ut homo tantò firmiùs credat. Felices igitur, qvorum causa Deus jurat, infelices, qvi ne qvidem juranti credunt! nam maximâ in juriâ, qvantum in se est, Deum afficiunt, qvando ei velut mendaci fidem nonnulli infideles detrahunt seu derogant 1. Joh. 5, 10.

Deus jurat.

II. Tu

11. Tu es sacerdos in æternum.) Si Christus est æternus sacerdos, semper etiam erunt, dum hic mundus durat, in Ecclesia, pro qvibus intercedat, & qvibus sua beneficia applicet. Si autem Christus à patre expectat hanc divinam vocationem, qvantò magis alii ministri verbi? Hebr. 5, 4. De reliqvis jam antea in explicatione textus satis pro instituti nostri ratione dictum esse existimo. *Christus sacerdos æternum.*

Pars Posterior.

Vers. 5.) Hucusq; audivimus, qvomodo Christus sit rex & sacerdos constitutus: nunc porrò indicabitur, qvomodo hoc suum officium administret, & qvam viam in statu exinanitionis ad gloriam tantam instet. Audivi, inqvit Psaltes in dramate hoc sacro, qvomodo tu pater cœlestis dixeris tuo filio incarnato, sede ad dextram meam v. 1. &, tu es sacerdos in æternum vers 4. hinc ipsi novo regi sum gratulatus tantam majestatem vers. 2. & subditis felicitatem vers. 3. etiam cognovi decreti de sacerdotio immutabilem veritatem v. 4. nunc itaq; addam felicem eventū in tui nominis, Deus pater, celebrationem, & hominum instructionem ac consolationem: instructionem qvidem malorum, ut convertantur & huic regi subjiciantur, consolationem bonorum, ne à suo rege adversitate ullâ avertantur, aut animo prorsus dejiciantur. Hoc igitur dico, ô Deus pater, (malim enim cum Tremellio, Bugenhagio & aliis hîc statuere apostrophen ad Deum patrem, de qvo vers. 1. qvam ad Ecclesiam, de qvâ vers. 3. cum Mollero & Piscatore, qvasi sit sensus, Dominus, qvi est ad dextram tuam, ô grex sancte, qvi te juvat, regit, tegit, vide suprà Ps. 36, 8. & 109. *Apostrophe hæc ad qvem directa?*

& 109,v.31. tum qvod ita maneat eadem phrasis eodem sensu, ut v.1. tum qvod pater sit ille, qvi dedit hoc judicium filio Joh.5,27 multò minùs puto apostrophen hanc id velle, qvod censet Chrysostomus, per Dominum intelligi patrem, qvomodo enim ille bibit de torrente & caput extulit?) *Dominus* ille, & verus Deus אֲדֹנָי cum Cametz (confer suprà v.1.) *ad dextram tuam* exaltatus, & in supercœlestibus collocatus Ephes.1, v.20. Christus Jesus, *confringet* vulnerando & perfodiendo (מָחַץ, conferantur loca Num. 24,17. Deut.32,39. & 33,11. Jud.5, 26 2.Sam.22,38.Job.5, 18. Psal.26, 22. 24. in hoc Psalmo infrà v.6.Es.30,26. Hab.3,v.12.) *in die iræ suæ reges* Psalm. 2, 9. 10. omnesqve adeò magnates, qvotqvot se huic regi spirituali sup. v. 1. Christo opponunt, atq; ita illis invitis suum regnum confirmabit, sacerdotium & sacra continuabit, atq; hoc tam certum est ac si jam esset factum, qvomodo dico propheticè confregit. Jam enim prævideo per spiritum prophetiæ Herodem ab angelo percussum, Neronem sibi ipsum manus violentas inferre, Domitianum, Maximum, Decium, uti digni erant, crudeliter interfici, Valerianum captivum teneri, Diocletianum imperium præ desperatione deponere, Julianum cœlitus interfici, Valentem aliosq; tyrannos miserè perire, atq; in gehennam detrusos pœnas meritas dare, uti scribit Bellarminus h. l. Tremellius & Junius huc accommodant 2.Corinth.10,4.5. & per reges accipiunt omnem sublimitatem, qvæ extollitur adversus cognitionem Dei, credo per Synecdochen. Verùm qvâ scripturæ analogiâ, & cur sit deserenda aperta litera, non video, inprimis, qvùm maximè opus esset hic scriptio adversus tyran-

מָחַץ

Christus reges frangit.

tyrannorum violentiam, qvi Ecclesiam semper vastant & exterminare cogitant. In N. a. T. per regem etiam intelligi regem & Imperatorem Romanum, notum est ex 1. Pet 2, 13 17. ut non sit insolens nomen regum malis illis imperatoribus, Ecclesiæq; acerrimis persecutoribus à nobis tribui cum Bellarmino.

Vers. 6.) Et de hoc versu jam ante qvædam sunt in genere allata in Exerc. bibl. p. 426. neq; hîc mihi placet cramben eandem apponere. Sed qvia sunt alii adhuc Christi regni hostes tam corporales, gentes infideles, Judæiq; pertinaces Christi Jesu hostes, qvàm spirituales, videlicet diabolus illorum omnium dux, caput & imperator, his qvoq; nunc Psaltes comminatur exitium & irati hujus regis judicium. *Judicium exercebit in gentes*, primùm per verbum earum incrudelitatem arguendo Joh. 16, v. 8. & ita hæc phrasis usurpatur Genes. 6, v. 3. לֹא יָדוֹן רוּחִי בָּאָדָם non disceptabit amplius spiritus in vel cum hominibus per præconem justitiæ Noachum ulterius prædicando, cum sint planè præfracti 2. Pet. 2, v. 5. 1. Pet. 3, 20. Deinde verò ubi verbo non dant locum sceptro ferreo eas comminuendo *complens corporibus* hinc inde campum, velut victor hostiles copias prosternens & prosequens, qvia nomen hebræum גְּוִיּוֹת sæpè etiam accipitur de corporibus mortuis seu cadaveribus, qvomodo Mollerus reddit, implebit cadaveribus seu cumulabit cadavera, ostenditq; magnam hinc inde fore cæsorum stragem, ut magnitudo iræ divinæ ex acervis cadaverum & regnorum ruinis æstimari qveat. Hieronymus olim vertit valles, & legit גְּאָיוֹת. Qvid igitur tandem fiet omnium maximo & infensissimo hosti diabolo?

Gen. 6, v. 3.

גְּוִיּוֹת

bolo? Etiam *confregit* Christus *caput super terram amplam*, seu in terra valida, principem mundi, ejusqve velut qvendam Deum. Hebræus textus qvum habet distertè רֹאשׁ עַל־אֶרֶץ רַבָּה, non potest commodè verti cum Tremellio, in regionibus plurimis, neqve exponi, id est, omnibus Psal. 97,1 ibi enim est plurale רַבִּים. Neqve proba est versio latina vulgati interpretis, conqvassabit capita in terra multorum. Norunt hoc, qvi non ignorant planè literas hebræas, esset enim in textu רָאשִׁים בְּאֶרֶץ רַבִּים.

Vers. 7.) Qvâ viâ autem Christus ad tantam dignitatem & gloriam iverit, nunc tandem subjicit Psaltes, nempè per passionem, crucem, mortem, & super hunc versum velut Commentarium qvendam scripsit Paulus Philp. 2. à v. 5. usqve ad 12. Verba sunt metaphorica, sed scripturæ analogiam si spectamus, satis dilucida. *De torrente*, non ut alii homines è calice iræ vel salutis Dei bibunt, hoc est, patiuntur, moriuntur, qvemadmodum pluribus est hoc probatum Comm. in Obadj. v. 16. qvem videre potest, cui placet, & confer qvæ superiùs in Psal. 69, v. 1. sunt allata, *in viâ*, dum adhuc est in cursu ad statum exaltationis, in spacio vitæ suæ mortalis & transeuntis *bibet*, omnis generis acerbissima mala sustinebit pro genere humano redimendo, unde sub initium passionis orat, pater, si fieri potest, transeat à me ille calix. Non bibit ad delectationem, sed ut qvi demerguntur ad internecionem, ut suprà Psal. 69, v. 1. & seqq. versib. vidimus.

Vatabli error. Vatablus judaizat, De torrente, sub: sanguinis cæsorum, q. d. tantum sanguinis fundetur, ut etiam liceat victori bibere è torrente sanguinis cæsorum in via, dum perse-

qve-

qvetur hostes: & propter eam victoriam multum attolletur &c. Tremellius, Junius, Piscator aliter exponunt hoc modo, victoriam constantissimè persequetur, qvemadmodum strenui duces ne cibo qvidem aut potui indulgent, qvùm fusos hostes persequuntur, qvam glossam (qvæ parum abit à Rabbinica illa Aben Esræ in Comm.) ita rejicit Calvinianus Mollerus: Retineamus simplicissimam sententiam, qvam phrasis ipsa gignit, nec qværamus argutias procul qvæsitas, & priorem nostram explicationē sequitur etiam autor ideæ concionis Heidelbergæ super hunc Psalmum habitæ, qvi pag. 578. satis benè scribit. De torrente, ad significandum passionem ejus omnium acerbissimam, dolores intensissimos & exqvisitissimos, mortem maximè detestabilem & execrabilem. Atq; ut torrens ex pluviis de montibus in valles descendentibus collectus subito impetu fertur, inundatusq; non sine horribili susurro

Tremellii & aliorum.

sternit agros, sternit sata læta, boumq; labores.

Ita Christi passio non calici, sed torrenti assimilatur, proinde ac si ad ipsum applicemus, qvod legimus Psal. 42, 8. idq; congruit cum dictis N. T. Luc. 24, 26. Phil. 2, 8. Heb. 2, 14. & Psal. 8, 6. Vitam autem Christi vocat viam. Hæc ille. Chaldæus etiam diversimodè explicat, nec id dicit, qvod est in textu, dum vertit: Ex ore prophetarum in via accipiet doctrinam. Sed qvùm aliàs magno consensu hunc versum omnes veteres de Christi humilitate & exaltatione exponant, mirum est, (censente Bellarmino) aliqvos recentiores aliter sensisse. Græca scholia sic habent: non cum fastu ingredietur, nec satellites habebit, cum advenerit (scil. Messias) sed tenui & frugali

Chaldæi etiam.

vitæ se ipse tradet, ac tali, ut de torrente sit bibiturus. Addit Mollerus: Videtur Scholiastes respexisse ad illam historiam Eliæ, qvæ extat 1. Reg. 17. ubi Elias jubetur bibere de torrente, hoc est, in exilio & ærumnis contentus esse communi potu, qvi obviam fiat. Sed qvid multis? seqvens membrum ostendit, qvomodo hoc prius sit explicandum. Illud enim qvùm sonet satis disertè de Christi exaltatione, hic Psalten egisse de exinanitione, nullum est dubium, idq; tam clarum est, ut etiam Calviniano Rudingero hæc verba expresserit. Cum me neqvaqvam fugiant aliorum interpretationes, libet tamen & mihi hunc versum de humiliatione Christi interpretari, qvam postea gloriosa exaltatio ejus in regnum æternum secuta, ad qvam gloriam per illam humiliationem ingressus est. *Idcirco*, (qvod non semper notat causam meritoriam, sed crebrò tantùm conseqventiam Act. 20, 26. Heb. 3, 7. 2. Petr. 1, 10. Phil. 2, 9. confer qvæ prolixè dicta ad Amos 2, 4.) *attollet caput*, victor non modò evadet, sed etiam ad gloriam infinitam evehetur (vide qvædam huc facientia in Comm. in Psal. 3, 4.) qvemadmodum pater suprà v. 1. filio promiserat.

Idcirco notat conseqventiam.

Breviter qvondam homileticè hoc dictum & versum hunc ultimum ita tractavi. (Exord.) Prov. 15, 33. Ante honorem abjectio. Ut hoc in aliis piis Josepho, Mose, Davide, Esthera, Christianis &c. videre est, ita in Christo duce apparet Luc. 24, 26. 46. Phil. 2. utriusq; metaphorica qvidem, sed emphatica in hoc ultimo hujus Psalmi versu descriptio. (partitio) ubi *exinanitionis miseria, & exaltationis gloria.* Jesu Christe fac tecum patiamur, ut tecum potiamur Rom. 8, 17. (pars prior)

Jud.

Jud. 8, v. 6. lambentes ex aqva vincunt trecenti, apud Græcos ſcribitur ille numerus litera T. eſtq; forma crucis. Et huc referunt qvidam illud, qvod Abraham 318. vernis vicerit reges ſuperbos Gen. 14. apud Græcos autem Gen. 14, 14.

ιη

olim qvidam ita ſcribebant nomen Jeſu T, de qvo apud Prudentium,

ſi qvid trecenti bis novenis additis
poſsint, figurâ noverimus myſticâ.

Vide Druſ. in Alphab. hebræo, idq; ita poteſt accommodari, qvod verus Abraham, pater multarum gentium, & in vernis ſuis in Eccleſia renatis vincat diabolum, mundum, carnem, ipſe autem primariò eos hoſtes in paſsione vicit, & nobis in ſe credentibus victoriam donat 1. Cor. 15, v. 57. 1. Joh. 5, v. 5. & ex illo rege, duce, συμμάχῳ noſtro promanat omnis virtus noſtra: & ut Gideon Jud. 7, 17. alloqvitur ſuos milites, ut facio, ſic faciatis, ita Chriſtus Matth. 10. & paſsim ſuos vult ſe imitari & ſeqvi, unde vulgatum illud, Chriſti actio, addam & paſsio, (rectè tamen accipiatur & in genere) eſt noſtra inſtitutio. Paſsionem ita deſcribit Pſaltes, *bibet*, id eſt, mala patietur, Vide Matth. 20, v. 22. 23. *de torrente* מִנַּחַל torrente per vallem decurrente ac turbido, confer Joh. 18, 1. & typum 2. Sam. 15, 23. & rem ipſam vide Matth. 26, 39. 42. *in via* בַּדֶּרֶךְ in illa via, qvæ ipſi decurrenda, ut canimus in hymno,

Geminæ gigas ſubſtantiæ
Alacris ut currat viam.
Egreſſus ejus à patre,
Regreſſus eius ad patrem.

Excursus usqve ad inferos,
Recursus ad sedem Dei,

dum nondum pervenit ad patrem & ultimam metam Joh.14,15.16.capp. L.C. I. Christus affligitur, Christianus inde erigitur: Christo est plaga, ut nobis sit pax Esa. 53. bibit ex torrente malorum, ne nos in illo planè absorbeamur Psalm. 18. & 69. nostra mala bibendo prius edulcat, & bibit prior medicus, ne horreat bibere ægrotus. II. Flumen omnium malorum in Christum exundavit, in nos saltem rivuli, imò stillæ vel potiùs vertitur ille calix in salutes Psalm. 116,13. III. Nobis etiam decurrenda via, ut perveniamus ad metam propositam. Contendamus cum Paulo 1. Cor.9,26. Phil.3,12.2. maneamus autem semper in viis nostris, ut tantò citius metam attingamus. (Pars Posterior) Elegans locus in bibliis Germanicis Lutheri Tob.3,v.21.22.23. & qvod ibi de membris asseritur, hic qvoq; de capite dicitur, *Idcirco* seu propterea est ordinis, consequentiæ, עַל־כֵּן propter sic, *exaltabit* ipse *caput* in resurrectione & ascensione in cœlos, & pater etiam eum exaltabit Actor.2. Psalm.27,6.qvod ad rem verò confer Esa.53.L.C. I. Dei hic est ordo, per angusta ad augusta, per aspera ad astra, per malum ad cœlum, insistamus Christi vestigia, ut evehamur ad cœlorum fastigia. II. Christus etiam seipsum exsuscitavit & exaltavit ut Deus Johan.2,v.19.21. & 10,18. III. caput spinâ olim laceratum videmus nunc gloriâ esse coronatum & ornatum Psal.8. Hebr.2. sic & nos attollamus capita, qvia appropinqvat redemptio nostra Luc.21,28. Rom.8,19.23. Christus etiam exaltatus est post triduum: etiam nobis est triduum, primus

dies

dies est generationis, secundus regenerationis, tertius παλιγγενεσίας Matth. 19, 28. & omnium restitutionis Act. 3, 21. ô utinam cito hic affulgeat, Veni Domine Jesu veni, Amen.

Loci Communes.

Ex vers. 5. *I. Dominus, qui ad dextram tuam.*) Christus ad dextram Dei postqvam consedit, super omnes hostes potenter dominari secundum humanam naturam & manifestè cœpit, ita ut tum jus & omnipotentiæ κτῆσιν conferret ad χρῆσιν, qvia à patre jam factus erat Dominus Actor. 2, 36.

Reges malâ tandem puniuntur.

II. Confringet in die iræ suæ reges.) Ut Deus habet horam suos juvandi Johan. 2, v. 4. ita etiam diem hostes puniendi. Vide Israelitas in Ægypto, Josephum, Davidem. Ergò

Si durum, levius durans patientia reddit,
Si qvid prima statim corrigere hora neqvit.

Magna est divinæ potentiæ illustratio, qvod ei reges qvoq; cedere cogantur. Ergò nemo confidat viribus, opibus, amicis potentibus, principibus, regibus, nemo nimis ad magnorum potentiam contremiscat, sed hoc Psaltis dictum discat.

Ex vers. 6. *Judicium exercebit in gentes.*) Christus nostrum caput erit judex hostium suorum & nostrorum: hoc illos corrigat, nos erigat, qvia est noster גֹּאֵל & vindex. De reliqvis jam suprà.

Torrens iræ.

Ex vers. 7. *I. De torrente bibet.*) Et divina excandescentia est velut torrens; qvia ut hic in montosis regionibus sæpè obvia qvæq; sternit, ita illa resistentes proster-

sternit, ille subitò inundat & decurrit, & Deus inopinatò in suos hostes incurrit: ille mare petit, hæc in tartara detrudit: & humana omnis excellentia est velut torrens. Qvomodo enim torrens magno impetu & sonitu fluit, & turbidus ac turbatus incedit (verba sunt Bellarmini in Comm.) & paulò post cessat, ita ut ne vestigium sui relinqvat: sic sunt res humanæ tempore hujus mortalitatis. Transeunt enim omnia, & ut plurimum turbida ac turbata. Audiuntur sæpè maxima prælia & turbationes gentium ac populorum, ut tempore Alexandri M. & postea Cæsaris. Sed paulò post finem habent, tum ipsi, tum posteri eorum.

rerum humanarum.

Hac vita via.

II. In via.) Omnis calamitas hujus vitæ est levis & brevis, si cum secutura æternitate conferatur Psal. 30, 6. Es. 26, 20. 2. Corinth. 4, 17. Rom. 8, 18. 1. Pet. 1, 6. Apoc. 6, 11. Et tandem post hanc miserabilem viam deducemur ad æternam vitam.

Christum sequamur.

III. Idcirco attollet caput.) Qvi non vult crucem Christi portare, non potest cum ipso lucem vitæ æternæ intrare, qvi non vult cum ipso mala tolerare, non potest cum ipso regnare, & qvi non vult cum eo mori, non potest æterno gaudio potiri, Actor. 14, v. 22. Luc. 22, 29. 30. & si qvis non servat hoc pactum, de illo est actum. Qvi verò crucem ejus in se tollet, hunc ipse Christus exaltatus à patre extollet,

ut consors beatitatis
vivat cum justificatis
in ævum æternitatis. Amen.

Enar-

Enarratio

PSALMI CENTESIMI DECIMI OCTAVI.

Hebr. 13, *v.* 6.

Ωϛε θαῤῥοῦντας ἡμᾶς λέγειν, κύριος ἐμοὶ βοηθὸς, καὶ οὐ φοβηθήσομαι, τί ποιήσει μοι ἄνθρωπος.

Matth. 21, *v.* 42.
Marc. 12, 10. 11.
Luc. 20, 17.
Actor. 4, 11.
1. *Petr.* 2, 7.

Λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας. Παρὰ κυρίου ἐγένετο αὕτη, καὶ ἔστι θαυμαστὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν.

Matth. 21, *v.* 9.
Marc. 11, 9.
Joh. 12, 13.

Ωσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβὶδ· εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου, ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις.

DE tempore & occasione hujus Psalmi, qvando sit factus, & qvæ ejus ἀφορμὴ, varii varias habent conjecturas: si qvis tanti esse existimat, adeat Esromi Rudingeri paraphrasin & notas ad eam, ac Comm. Molleri. Sufficit nobis scire, hunc Psalmum esse Spiritus Sancti vaticinium, & qvidem eximium, unde

Qvando Psalmus factus.

undè Luther' eum solebat habere in deliciis, eumq; PULCHRUM SUUM CONFITEMINI nominabat, idque ut probaret, eximio commentario eum illustravit. Psalmum verò hunc quoque agere de Christo, notum est ex iis, quæ paulò ante ex N.T. allegavi, & videri ea de re potest Lutherus, Bugenhagius, Gesnerus. Nihil ergo nos movet Calvinianorum plerorumque ἰδία ἀπὸ λύσις, dum de Davide Psalmum agere censent. Vide Mollerum, etiam Vatablum, qui scribit, David ab hostibus liberatus, gratias agit, aliosq; hortatur. Eadem sententia est hebræorum, qui priorem partem ajunt agere de Davidis liberatione, & partem posteriorem (quæ incipiat vers. 19.) de templi ædificatione & dedicatione. His tamen contradicit R.S. Jarchi in Comm. Mich. 5, v. 2. (vide eum, & Comm. in h. l. Jacobi de Valentia pag. 254.) qui verba versus 22. explicat de Messia.

agit de Christo.

Summa.

Summa est hæc: Christus omnes suos fideles subditos excitat, ut ingentia Dei beneficia per ipsum ex mortis doloribus liberatum ipsius incarnatione, passione & resurrectione generi humano parta celebrent, hinc Deo soli confidant, eumq; canant ad suum ipsius exemplum. Huic autem pii respondent, suam fidem & gratitudinem spondentes, piaq; gratulatione ac sacrificiorum N. Test. propriorum oblatione eam contestantur.

Analysis.

Analysin alii aliam exhibent: singulas relinquimus suo loco. De Valentia dividit Psalmum in partes duas, in quarum priore David in spiritu vaticinans invitet fideles Judæos ad Dei laudes, qui Christum jam receperunt v. 1. & seqq. in posteriori petunt gentes se quoq; recipi v. 19. &c. Rectius cum Gesnero partes Psalmi constitui-

Partes 4.

tuimus qvatuor, qvarum I. sit ad laudes Dei canendas instituta exhortatio tam generalis v. 1. qvàm specialis v. 2. 3. 4. ibi omnium, hîc singulorum, additâ & qvater repetitâ ratione, videlicet qvia durat ejus benignitas in perpetuum. II. ergò pars est beneficiorum ex hac Dei benignitate in Christum mundi salvatorem ad salutem generis humani redundantium enumeratio. Exaggerat enim beneficium (1) præteritum, cùm à sua angustia, tum à Dei benevolentia & potentia v. 5. (2) præsens, à gratiosa Dei præsentia, suaq; inde orta confidentia v. 6. 7 qvam illustrat à contrario, vana nimirum in homines v. 8. vel maximos, posita fiducia v. 9. nam Dei protectio est certa, hominum incerta, Ergò illi fidendum, his non nitendum. Utrumq; beneficium tum præteritum, tum præsens ut amplificet, exaggerat (a.) & suum, in qvo fuit malum, (b) Dei auxilium præstitum, semper per ἀντίθεσιν & malorum hominum conatus, & Dei ope secuti eventus vers. 10. 11. 12. 13. (c) & tandem etiam sibi inde ortum gaudium singulare v. 14. commune verò apud omnes pios, ejusq; solennis formula v. 15. 17. (3) futurum, non moriar prorsus, sed resurgam ad Dei laudes, v. 17. qvia in morte non maneo v. 18. III. Est Christi spontanei ac fiducialis in urbem Jerosolymam ingressus ad passionem declaratio. Hîc considerandus est Christus ut rex ingrediens, populus ut subditi ejus, eum prosequens. Christus (1) intrat, vult sibi portas urbis sanctæ vers. 19. & hinc Ecclesiæ latè in N. T. aperiri vers. 20. (2) qvid certò speret per suam passionem futurum, explicat, nempè certissimam sui resurrectionem v. 21. & ad gloriam ac regnum evectionem v. 22. Christianorum cœtus hæc à

II.

III.

Christo percipiens, admiratur v.23. lætatur v.24. fausta precatur v.25. gratulatur v.26. se invicem ad gratitudinem exhortatur v.27. IV. est iterata Salvatoris ad populum instituta ad laudes Dei peragendas exhortatio, ubi populi εὐχαριστία v. 28. Domini κέλευσμα v. 29. In toto autem Psalmo ut videas & æstimes studium atq; ardorem Christi & Christianorum, est crebra repetitio, commoratio, expolitio, ἀντίθεσις.

IV.

Pars Prior.

Vers. 1.) Totius præcedentis 117. Psalmi summam unico hoc primo & ultimo versu comprehendit, celebrate & canite Jehovam, qvia est perpetuò bonus, ideoq; inter se conferantur verba & ipsa sententia. Qvod ibi in propositione erat, שַׁבְּחוּהוּ, יַהַלְלוּ, hic est, הוֹדוּ; qvod ibi in ratione כִּי־טוֹב כִּי לְעוֹלָם חַסְדּוֹ וְאֶמֶת גֶּבֶר לְעוֹלָם, hic כִּי לְעוֹלָם חַסְדּוֹ. Ponitur hic laudis, veræ Christianorum objectum, nempè Deus, & ratio, qvia est bonus, ideoq; huic debetur confessio laudis, sicut hominem malum decet confessio fraudis. Celebrate, vel potiùs *gratias agite*, vulgò confitemini, Lutherus danket/ vide qvæ dicta in Psalm. 6, v. 6. *Jehovæ*, vos omnes homines, *qvia* cum vos eratis mali in Adamo facti, & perditi, ipse solus essentialiter *bonus* est, vosqve per me redimere statuit, nec tamen ibi metas suæ benignitati posuit, sed & alia aliis superaddit beneficia, *qvia in seculum* durat *benignitas ejus*, qvod singulis versibus subjicitur in toto Psalmo 136. Et ego per passionem meam temporalem redemptionem inveni vobis æternam Hebr. 9, 12. Bellarmini Commentarius hîc probus est. Invitat David omnes ad laudandum Deum

Deum, & rationem reddit, qvoniam bonus. Nihil brevius, nihil grandius dici potuit. Nam solus propriè & simpliciter bonus est, & nihil jure laudari potest, nisi bonum. Addit, qvoniam in seculum misericordia ejus, ut ostendat ab effectu, Deum esse bonum, ac per hoc etiam laudabilem. Nam bonitas Dei nulla in re magis cognosci potest à miseris, qvàm in misericordia. Misericordia enim nos creavit, misericordia redemit, misericordia protegit, misericordia coronabit, ita usq; in seculum misericordia ejus.

Vers. 2.) Ponitur hìc laudis veræ subjectum, dum hoc & seqventibus duobus versibus explicat (& qvidem per phrases V. T. res N. Test. vide omninò qvæ dicta in Comm. in Zach c. 12, 12. 13. 14.) qvinam in specie Deum laudare debeant, nimirùm non mali, non gentes infideles (nam Psalmo præcedenti gentes conversas alloqvitur, interprete Apostolo Rom. 15, 11.) sed boni, fideles, & fide Abrahamum, Isaacum, Israelem, Aaronem, &c. imitantes. Confer etiam Psal. 115. à v. 9. usq; 14. ubi eadem distributio, qvæ etiam hoc in N. Test. denotat, decere omnes status, politicum, Ecclesiasticum, œconomicum, ut laudent Deum, qvia omnes ab eo accepere beneficia. *Dicat nunc*, & qvod corde credit, ore qvoq; confiteatur Rom. 10, 9. 10. *Israel*, non ille terrenus, sed Dei Gal. 6, 16. vide supra Psal. 22, 24. & 69, 37. gratias ago Deo meo, *qvia in seculum* & perpetuum durat *benignitas ac* misericordia *ejus*, etiam super me.

Vers. 3.) *Dicant nunc domus Aaron*, illi qvi sunt de familia ipsius, ministri Dei in statu Ecclesiastico.

ego qvoq; gratias ago Deo meo ingentes, *qvia in seculum benignitas ejus* durat super me.

Vers. 4.) *Dicant nunc timentes Jehovæ* & veri Dei cultores, *qvia in seculum* durat *benignitas ejus* super nos. Ut enim superiores sciant, qvales & ipsi esse debeant, & tamen multi sunt inter eos mali, ac hypocritæ, hos demum veros fideles DEum laudantes DEus vult & probat.

Loci Communes.

Deo agendæ gratiæ.

Ex vers. 1. *I. Gratias agite Jehovæ.*) Cum in omnibus & ab omnibus Christianis sint Deo agendæ gratiæ Colos. 3, 17. tum vel maximè celebrandum est illud beneficium, qvod suum filium nobis redemptorem & salvatorem miserit, qvi non modò in hoc Psalmo loqvitur, sed etiam ut in V. T. Ecclesia jugiter hujus rei, præcipuè autem tempore agni paschalis, meminisse posset, hunc Psalmum cum aliis cani hymni loco voluit Matth. 26, 30. in qvem locum vide comment. & expende Psalmum 111. ac seqventes. Videbis in eis vel vaticinia vel typos hujus liberationis.

II. Qvia bonus est.) Bonitas Dei cùm in nostri creatione, sustentatione ac conservatione, tùm vel maximè in redemptione ex potestate diaboli elucet.

Benignitas Dei perpetua.

III. Qvia in seculum durat benignitas ejus.) Qvando hæc verba deinceps repetuntur, qvæ etiam ponuntur Psalmo præcedenti 117. v. 2. non est cogitandum hanc esse tautologiam (vide pluribus id refutantem D. Gesnerum) sed propterea id fieri, tum qvia singulis diebus Thren. 3, 22, 23. tum qvia singulis rebus ac beneficiis ab-

abundè illa Dei bonitas declaratur. Vide supra Psal. 69, 5. pag. 261. & Psal. 40, 14. 15. p. 217.

Ex vers. 2. *Dicat nunc Israel.*) Israel ille corporalis sæpiùs erat Dei bonitatem expertus in Ægypto, in deserto, in terra sancta, in captivitate, sed majora tamen & ipse, qvatenus erat Israel Dei, & in N. Test. fideles beneficia à Deo perceperunt, qvàm illa externa & non diu permansura. *Israel.*

Ex vers. 3. *Dicant nunc domus Aaronis.*) Ministrorum verbi est aliis bono exemplo in precibus prælucere, non modò publicè in templo, sed & privatim in qvovis convivio, qvemadmodum verisimile est, qvod, ubi adfuerunt Levitæ, qvando comedebatur agnus paschalis, illi præcinuerint hunc Psalmum. *Ministri verbi ubiq; laudent Deum.*

Ex vers. 4. *Dicant timentes Jehovæ.*) Solorum fidelium oratio & gratiarum actio est Deo grata & accepta, Hebr. 11, v. 6. Psal. 33, v. 1. infidelium verò laudes Deus negligit Psalm. 50, 16. Sirac. 15, 9. confer 1. Samuel. 15, 22. Esa. 1, 13. *Fidelium preces gratæ*

Pars Secunda.

Vers. 5.) Hortatus vos sum, ô mei pii, ad laudes Dei, propterea qvod semper duret ejus bonitas: sed qvia talia miracula bonitatis Dei qvotidiana facilè vilescunt, agite, ne sine causa eam gratiarum actionem tantopere ursisse videar, dabo vobis causam satis gravem, & qvæ potissima laudis vestræ tempore paschatos esse debeat, edisseram. Me vestrum redemptorem videte, qvi si in morte & inferno mansissem, vobis omninò omnibus fuerat pereundum, nunc autem qvùm virtute Dei ex mortuis

tuis redivivus resurgo, credo agnoscis satis popule DEI,

omnia cum Domino dona redisse tuo;

& proinde esse tibi satis justas DEI laudandi, eiq́ve gratias agendi causas. Ita tamen ut tantò meliùs pervideas, enarrabo tibi meum periculum, Deiq́; auxilium in genere hoc versu, 6. & 7. & in specie v. 10. & seqq. In passione cùm interna tùm externa omnia mala me velut circumvallabant, sed animum non despondi, nec ad illicita media decurri, *Ex illa* tali ac tanta *angustia* mea מִן־הַמֵּצָר, siqvidem λύπη δεσμὸς τῆς καρδίας, & licet exterius non essem obsessus velut civitas qvædam, tamen torrentes Belial circumdederunt me sup. Ps. 40, 13. *invocavi Jah*, neq; is etiam meas preces neglexit, sed *exaudivit me*, propriè, respondit mihi, & collocavit me erutum ac liberatum ex illa angustia *in lato Jah*, confer Psal. 4, 2. & 69, 30. qvando omnibus hostibus devictis intravi in meam gloriam, & jam deinceps omnibus piis me invocantibus ac in periculo clamantibus adesse possum, eosq́ve eripere, qvæ sanè est causa maxima, cur Deum laudetis meritò. Me enim ad tempus dereliqvit, ne vos deserat in vestris periculis, & qvemadmodum me juvit, ita vos juvare paratus est.

מֵצָר

Vers. 6.) Si qvis scire desiderat precationis, qvâ utebar in illa calamitate, formulam, age summam ei dabo. Ita dixi, in hæc verba fiduciæ plena erupi, *Jehova* adest *mihi*, Jehova est pro me (־ h. l. valere idem qvod pro, alibi est annotatum, & autor Epistolæ ad Hebræos ita dilucidè explicat, κύριος ἐμοὶ βοηθὸς, qvasi ἐπὶ τὴν βοὴν ad clamorem meum suprà v. 5. θεὼν, accurrens subi-

Βοηθός.

lubitò, mihiq; ſuccurrens) ideò *non timebo* ſerviliter ſervilia ac creaturas, *qvid* enim *faciat mihi homo* multarum creaturarum dominus? (אָדָם homo de limo terræ rufæ factus, creatura infirma, & proinde nullo modo hactenus Deo comparanda, qvia Deus eſt omnipotens, infrà v. 14. 15. 16. homo impotens, & omnes omninò homines ſunt velut unus, unde ne qvidem dicam homines, ſed hominem, ut extenuem, qvod videtur magnum, qvùm ſit valdè parvum, ſi cum Deo comparatur. Conferantur ſimilia qvædam loca Pſal. 3, 5, 6. 7. & 27, 1. & 56, 4. 5. & 146, 5. Nota verò qvod non dicat, Jehova eſt pro me, ergò nihil mali me affliget, non ita: Chriſtum manebat crux, neq; eadem abeſt à Chriſtianis, verùm non nimis illa mala ſunt timenda, qvùm ex omnibus liberet tandem Jehova Pſal. 34, 20.

אָדָם

Verſ. 7.) Repetitione ejusdem ſuam fiduciam amplificat, *Jehova eſt pro me inter auxiliatores meos*, Lutherus, mir zu helffen/ & rectè, qvod ad ſenſum, ſiqvidem ב cum plurali nomine conjunctum denotat ſingularem nominativum, qvando de uno fit ſermo. Vide Grammaticam hebræam viri Clariſſimi D. Sixtini Amamæ p. 188. ubi citat hæc exempla Pſal. 54, 6. & 99, 6. Prov. 23, 20. & 3, 26. & 16, 6. adde Jud. 11, v. 35. *ideò ego videbo in oſoribus meis*, paſcam oculos meos, & ſanctè in Deo gaudebo de planè obſtinatorum Deiqve meiqve hoſtium interitu. Phraſis ipſa hebræa innuit, ita potiùs cum Luthero, Ich wil meine Luſt ſehen an meinen Feinden/ & qvibusdam aliis hoc eſſe vertendum, qvàm cum Tremellio, Junio & nonnullis reddendum, ideò deſpicio oſores meos. Vide qvæ dicta in Obadj. v. 12. Habac. 1, 13.

ב *cum plurali de uno dictum.*

רָאָה cum ב.

Qvomodo autem sine peccato Christus & Christiani possint gaudere super exitium malorum, id suprà est explicatum: nimirùm & hoc qvoq; ex principio, objecto, fine ac circumstantiis est dijudicandum. Lutherus noster etiam ita explicat, ego videbo, qvod Deus ex meis inimicis meos magnos amicos fecerit eos convertendo, qvæ est summa pio homini delectatio.

Non confidendum in homine.

Vers. 8.) Hactenus dictum, qvid bonum in numine, ecqvid ergò bonum in homine, non qvidem ex eo, sed in eo à Deo? nunc id qvoq; exponam. *Bonum est* confugere & *recipere se ad Jehovam*, illi soli confidere, i. e. & *non confidere* seu fiduciam habere *in* ullo *homine*, qvemadmodum Lutherus eleganter explicuit, Es ist gut auff den HErrn trauen/ und nicht sich auff Menschen verlassen/ & non malè extulit Esr. Rudingerus: Deo est nitendum solo, in hunc collocare spem & fiduciam verum est & tutum, & non in ullum hominem. Et Bellarminus: deducit ex dictis utilem admonitionem de spe collocanda in Deo, non in hominibus, qvamtumvis potentibus.

ℵ negat.

ℵ h.l. non comparativè, sed negativè esse accipiendum, subjecta materia clamat, & hunc ejus usum alibi demonstravi Jon. 4, 3. Hos. 6, 6. & Mollerus h. l. ex nostra lingua adducit illud loqvendi genus, er bekömpts für einem andern/ & certum est, qvùm maledictus sit, qvi fiduciam habet in homine, & benedictus sit, qvi fiduciam habet in Jehova, Jerem. 17, 5. 7. bonum esse, confidere soli Jehovæ, & non bonum esse, confidere hominibus. Genus loqvendi Cl. vir Sixtinus Amama in sua Gram. hebr. exponit etiam hoc pacto p. 199. ex Prov. 25, 7. 1. Corinth. 7, 9. 1. Petr. 3, 17. sic apud Homerum,

βέλομ'

βέλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι,

id est, ἢ δὲ ἀπολέσθαι.

Vers. 9.) Fortè autem hæc fiducia non est collocanda in plebeis, vilibus, potest autem collocari in Dei vicariis ac magnatibus: respondet ad hoc qvoqve, *Bonum est*, decens, utile, jucundum, tutum *recipere se* tanqvam ad asylum *ad Jehovam* (vide Comm. in Psalm. 2. ult.) *& non confidere in ingenuis* בִּנְדִיבִים spontaneis, liberalibus, munificis, qvomodo Christus vocabulum illud hebræum rectè exponit per nomen εὐεργέτας Luc. 22, 25. Confer autem qvæ addit Psaltes Psal. 146, 3. & qvæ prolixè satis habet in Comm. Lutherus noster, cui adde, qvod notat Junius, esse hic gradationem: non est fidendum in homine, imò ne qvidem in potentibus, & qvidem multis: illi enim qvàm sæpè spem de se conceptam vel ex impotentia, vel ex malevolentia fefellerint, historiæ testantur. *Non confidendum in principibus.*

Vers. 10.) Ergò hominibus infirmis relictis ad Deum ejusq; auxilium contra malos homines declarandum redit, idq; exaggerat (1) ab hostium multitudine v. 10. (2) eorundem inqvietudine v. 11. (3) ardore & rabie v. 12. (4) periculi magnitudine v. 13. *Omnes gentes*, id est, multæ, atq; tam multæ ac si omnes convenisse viderentur, *circumdederant me, sed in nomine Jehovæ* ingeniti Dei Patris est ac fit, *qvod enervem*, circumcidam, imò prorsus concidam *eos*, Lutherus, wil Ich sie zerhauen / Piscator, Ich zerhiebe sie / מוּל enim notat circumcidit. Vide Psal. 20, 6.

Vers. 11.) Primum depulsi non qvieverunt, sed secundò ac tertiò me invaserunt, etiam atq; etiam rursus

& denuò *circumdederant me, etiam circumdederant me* multò majoribus & pluribus copiis, viribus, conatibus, qvàm antea, qvod puto etiam innui per סְבָבוּנִי pro כִּתְּרוּנִי, sed neq; hic animum abjicio Deo fretus, *in nomine Jehovæ* geniti, Dei filii, atq; ita mea ipsius virtute qvi sum Deus, est *qvod concidam eos.* Vulgatus latinus interpres אַמִילֵם vertit ultus sum in eos: Bellarminus censet, qvod fideliter verterit, vix credo. Confer Job. 14, 2. & 18, 6. Psalm. 37, 2. & 58, 8. & 90, 6. & consule qvi de elegantiis latinæ lingvæ ejusq; proprietate rectè scripserunt, an etiam dicam, ulcisci in aliqvem: Cicero certè ita non loqvitur.

Apes vindictæ cupidæ.

Vers. 12.) *Circumdederant me* viribus & numero potentes, & ubi deest potentia, nocendi libidine ardentes, *tanqvam apes*, qvæ eum, qvi eas offendit, confertim & denso agmine ab omni parte aggrediuntur Deut. 1, 44. & qvæ in vindictam etiam cum suo damno, imò exitio ac nece ruunt velocissimæ, infensissimæ, de qva vindictæ cupiditate Virgilius 4. Georg. vers. 236. 237. 238.

Illis ira modum supra est, læsæq; venenum
Morsibus inspirant, & spicula cœca relinqvunt
Affixæ venis, animasq; in vulnere ponunt.

Vide etiam Plin. l. 11. c. 18. & qvæ habet Lutherus noster in h. l. in jam superiùs allegato germanico commentario p. 92. a. confer etiam ea, qvæ allegoricè de Assyriis hostibus Judæorum infensissimis scribit Esaias cap. 7, 18. Hic est eorum magnus conatus, at qvis eventus? non tantum possunt, qvantum volunt, *exstincti sunt* subitò & derepentè *ut ignis spinarum*, qvæ qvidem facilè exar-

exardescunt, sed etiam citò ardere desinunt, & planè tùm pereunt Eccles. 7,6. Nah. 1,10. in qvem locum vide Comm. in h.l. passim alios commentatores. Lutherus vocem hebræam דֵּעֲכוּ in Pual explicat activè, sie dempfen / & in margine, sie lauffen alle zu und leschen / als wolt alle Welt verderben / von meiner Lehre wegen / niemand wil der letzte seyn. Consule etiam D. Bugenhagii Comm. p. 644. Vulgatus latinus habet, exarserunt, antecedens pro consequente. Non diu durat incendium in vepribus, sicut neqꝫ in lauro, qvemadmodum legere est qvoqve apud Theocritum Idyll. 2. v. 13. 24. 25. δάφναν

Αἴθω χὼς, αὐτὴ λακέει, μέγα καππυρίσασα,
Κήξαπίνης ἄφθη, κἀδὲ σπόδον εἴδομες αὐτᾶς.

Sed *in nomine Jehovæ* Spiritus Sancti (qvùm enim ter in tribus versibus hoc repetatur, neqve sine causa, libet juxta scripturæ analogiam hæc ita explicare) est & fit, *qvod concidam eos.* SS. Trinitas

Vers. 13.) Ita demum victor ubi evasi à Deo adjutus, meis hostibus insulto, & hæc ad singulos verba usurpo: *impellendo*, id est, graviter & valdè *impulisti me ut caderem* & perirem ex casu, sed *Jehova* te per me prostravit, *& me adjuvit*, unde constat simul de tua malevolentia, mea impotentia, Deiqve in illa vigente potentia & benevolentia.

Vers. 14.) Hinc meo exemplo, imò mea salute excita pii singuli canunt porrò hoc ὑπινίκιον & carmen triumphale, in qvo tria recensent, nempè qvod Deus fuerit ipsorum firmum præsidium, dulce decus, & certa in salvatore salus. *Robur meum* non in me, non ex me, sed in me Deo, *& carmen* meum est *Jah* Exod. 15, v. 2. eò Ἐπινίκιον.

quod fuit mihi in salutem seu saluti, und ist mein Heil/ לִישׁוּעָה meus Jesus per qvem vinco & vindico, qvem laudo, cui plaudo, qvi est meus liberator & salvator, meus rex, vindex, judex.

Vers. 15.) Hæc singuli sigillatim, ut Christus ipse ex passione & morte sua erutus: sed commune omnium gaudium ita explicatur porrò: *Vox cantus* seu ovationis *& salutis in tentoriis justorum*, qvod Lutherus dilucidiùs ita extulit, man singet mit Freuden vom Sieg in den Hütten der Gerechten/ dicens (seqventia enim per μίμησιν recitantur) *dextera Jehovæ* Dei patris *agit strenuè*, hebraicè, fecit virtutem, Lutherus, behält den Sieg/ qvando te, Christe Jesu, in statu exinanitionis summiæ, confirmavit ac corroboravit, ita ut in omnibus malis plusqvam victor evaseris, & postea te ad summam majestatem evexit in cœlis. Non enim simpliciter id accipio, qvod habet Bellarminus, qvod Christus sit dextera Dei, qvod ante eum scripsit etiam Jac. de Valentia, Dextera Domini est Christus, qvi fecit virtutem debellando & superando diabolum, & ita dicitur Christus, qvia per eum exercet Deus suam virtutem. D. Bugenhagius meliùs huc refert illud ex Actis cap. 2, 33. dexterâ Dei exaltatus, dextera Domini (inqvit Christus) glorificavit me, qvem manus impiorum subvertere & occidere voluit. Atq; ita prædicatur gratia, dum Dominus omnia fecisse dicitur, & liberasse, & glorificasse, ubi omnia erant desperata. Impii verò de dextera sua gloriantur, qvæ est repleta iniqvitate Psal. 26, 10. & sanguine Esa. 1, 15.

Dextera Jehovæ.

Vers. 16.) Vulgatum est, φῶς καὶ τρὶς τὰ καλὰ, Luthe-

therus h. l. ein gut Liedlein mag man wol zweymal singen/ id sibi qvoq; dictum putant hi justi ac pii Deum laudantes, repetunt & ingeminant, qvod dixerunt: verùm non sine causa iterum ter, sed ad innuendum S. S. Trinitatis mysterium (vidè suprà v. 10. 11. 12.) qvia licet Christus virtute patris hostes suos vicit, & per eandem est ad dextram patris evectus, tamen idem etiam suâ ipsius virtute hostes prosternit, qvà Deus, & humanæ naturæ hanc virtutem communicavit, & qvùm hæc eadem humana natura à Spiritu S. oleo illo lætitiæ sit uncta supra & præter consortes peculiari & singulari modo, qvemadmodum opus resuscitationis Christi omnibus tribus S. S. Trinitatis tribuitur, ita etiam opus devictionis hostium, & evectio ad dexteram patris, qvia & Christus ipse dicitur consedisse ad eam, & proinde juxta scripturæ analogiam hæc ita explicare possumus, *dextera Jehovæ* geniti seu filii Dei, hoc est ejus infinita majestas (vide suprà in Psalmum 110. L. C. in v. 1. qvæst. 1.) est *alta*, elata, non in se modò, sed ratione agnitionis & manifestationis, uti Deus dicitur sanctificari, magnificari, glorificari, exaltari, imò & ipse λόγος, incarnatus tamen, est exaltatus, sed non secundum utramqve naturam, unde h. l. piorum cantus aliam phrasin adhibet, nempè רוממני est exaltans seipsum. Vulgatus latinus, exaltavit me, qvod non qvadrat, licet hoc qvoqve nobis conetur persuadere Bellarminus, qvi tamen fatetur, qvod in hebræo non habeatur. Sed pergunt pii illi cantantes & laudantes, & velut cantarent illum Ecclesiæ versum, Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto, subjiciunt, *dextera Jehovæ* à Patre & Filio procedentis, hoc est, SS. Trinitas.

est, Spiritus Sancti *agit strenuè*, facit virtutem עשה חיל ἐποίησε κράτος Luc. 1, 51. qvando Christum clarificat & de eo prædicandum curat.

Vers. 17.) Huc usq; piorum gratulatio Christo exaltato facta: is ergò in statu exinanitionis cùm ex Dei auxilio suprà v. 6. & seqq. tum ex hoc verissimo Spiritus S vaticinio seipsum erigens, ita pergit: *Non moriar*, non ita occumbam prorsus, ut vult diabolus, scribæ, Judæi, ut in morte maneam, vel mortem æternùm oppetam, sed ex morte in vitam paulò post redibo, *sed vivam*, Psal. 116, v. 9. 13. 14. & non vivam ociosè, sed *enarrabo* accuratè recensendo singula suprà Psalm. 22, 23. *opera Jah*, qvia propterea Deus me liberavit & exaltavit, ut omnia fierent ad gloriam patris Phil. 2, v. 11. Hic est sensus hujus loci, sicut totius Psalmi: de Christo loqvitur principaliter, qvod autem capiti accidit, id, si rectè fiat debitoq; modo, membris potest accommodari, & proinde etiam qvivis Christianus hunc versum sibi in summis periculis, etiam morte ipsa, verè subjicit, non moriar, nisi Dei voluntate, non hominum libidine, non moriar prorsus, sed in morte vivam & in vita æterna Deum meum laudabo, ut Lutherus hunc versum parietibus musæi appinxit, sed & priùs cordi impressit anno 1530. qvùm magnum veræ religioni, & peculiariter ipsi Luthero imminebat periculum, qva de re vide Matthes. conc. 8. de vita Lutheri p. 90. b. & vide Comm Lutheri ejusdem in h. l. Qvod autem dicit Salvator, Non moriar, simpliciter non est accipiendum, qvia voluit mori & mortuus est, sed secundum qvid, qvemadmodum scri-

Non moriar sed vivam.

Christus.

Christianus.

scriptura dicit Matth. 9,24. puella non est mortua, qvia non diu mansit in illa morte, ita etiam hoc loco, non moriar ita, ut diu me mors teneat.

Vers. 18.) Idipsum ita ipse Salvator exponit, ut inter se passionis suæ acerbitatem, castigationisqve paternæ severitatem ac brevitatem opponat, & exinanitionis miseriæ exaltationis gloriam opponat. *Castigando* inqvit, id est, severè ac valde pro genere humano, cujus personam sustinebam, *castigavit me Jah*, confer similia, non omninò paria loca Esa. 10, 6. 7. Zach. 1, 14. *sed mortis non tradidit* & planè permisit *me*, ut in illius potestate essem, & illa pro libidine mecum ageret, qvemadmodum DEUS dicitur tradere diabolo, & in sensum reprobum Rom. 1, 24. 26. 28. qvos deserit planè, qvod ad gratiam, & qvos pro libitu ille potest tractare 2. Tim. 2, 26. Moriar ergò, qvia Deus pater vult, & ego volo, sed qvia etiam hoc vult pater, tertio die resurgam, & mors mortis ero, futurumq; est, ut mors mihi tradatur, qvùm & omnia mihi secundum humanam naturam dentur, & omnes hostes tum mihi subjiciantur, suprà Psal. 110. vers. 1, 2, 6.

LOCI COMMUNES.

Ex vers. 5. *I. Ex ipsa angustia invocavi Jah*) Mala docent nos orare ardenter, constanter. Malis enim pressus ex intimis cordis penetralibus suspirat, pleno ore clamat, nec cessat, donec gratiam Deus faciat Psal. 123, 2. & qvia, dum premit altum corde dolorem, malè est cordi, cor suum totum Deo suo effundit. Vide Comm. in Psal. 102, 1. *Mala docent orare.*

Deus eripit.

II. Respondet & collocat me in latum) Solus DEUS ex magnis malis potest eripere, eruere, liberare, & nos in latum ac altum collocare, ubi mala nulla nos arctent vel angustent. Simile videtur esse petitum vel ab urbe obsessa, qvæ liberatur à potentiori hostes fundente, vel ab eo, qvi carceri sqvalido ubi diu fuit inclusus, libero cœlo redditur, qvando educitur.

Pii fiducia.

Ex vers. 6. *I. Jehova mihi, non timebo)* A DEO exauditus, à DEO custoditus non metuit nimis Rom. 8, 32. & seqq. qvia habet optimum directorem, maximum protectorem. Vide martyres in morte tyrannis insultantes.

Hominum infirmitas.

II. Qvid faciet mihi homo?) Ad Deum comparata omnis hominum omnium excellentia, omnis potentia est nihil qvicqvam. Vide & expende Esa. 40, 6. 7. 15. 17. 22. 23. præsertim hoc tempore, ubi etiam Lutherus noster illud Esa. 51, 6. כְּמוֹ sic explicat, wie das/ & in margine, Esa. 51, 6. Solch das muß man mit einem Finger zeigen/ als schlüge man ein Kniplein mit Fingern/ wie man sagt/ Ich gebe nicht das darumb. Vide eundem Com. in h. l. Qvid enim est homo?

nil nisi terra sumus, terra hæc est nil nisi fumus;
sed nihil est fumus, nos nihil ergò sumus.

Unde etiam Deus reges potentissimos populo Dei valde minantes vocat caudas titionum fumigantium Esa. 7, 4. Vide Sennacheribum, Pharaonem, Julianum, & disce aliorum similium minas in Deo contemnere.

Ex vers. 7. *Jehova est auxiliator meus)* Christus hæc dicit secundum humanam naturam in statu exinanitionis, in qva Dei auxilium oravit & exoravit, sicut

ut suprà in Psalmi 8. 16. 22. 40. 41. 69. 109. enarratione vidimus. Confer ea qvæ h. l. scribit D. Gesnerus. Propterea autem Christus hæc passus est, ut posit συμπαθῆσαι πεπειρασμένοις, & nos accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut accipiamus misericordiam, & gratiam inveniamus ad oportunum auxilium Heb. 4, 15. 16. Hebr. 4. 15

Ex vers. 8. & 9. *Bonum est confidere Jehovæ*) Qvia Deus alios & nos ipsos ante juvit, ipsi soli confidamus, tum qvia ipse bonum opus in nobis incepit, tum qvia se suprà omnia diligi præcepit: in homines autem spem nostram non collocemus, qvia sunt instabiles, & proinde fallunt facilè, sunt impotentes, ergò sæpè juvare non possunt, sunt mendaces, ergò sæpè decipiunt suos clientes, & qvod maximum est, qvi illis fidunt, sunt maledicti Jer. 17, 5. 7. *Deo fide, non homini.*

Ex vers. 10. *I. Omnes gentes circumdederant me*) Qvemadmodum olim Jerosolyma montibus, sic semper Ecclesia hostibus est undiqve cincta Psal. 125, 1. 2. & velut lilium inter spinas Cant. 2. qva de re sic scribit D. Gesnerus in h. l. Nunc verè hac postrema mundi ætate Ecclesia vera circumdata est hostibus, dum orientales partes obsidet Turca, occidentales Hispanus, septentrionales Tartarorum, Muscovitarum & similium barbararum gentium copiæ, ad meridiem Romanus ille papa sedet. Præterea si non omnes gentes Christum in statu carnis & exinanitionis circumdederunt, postea tamen eum successivè in statu glorificationis in suis membris oppugnarunt Ps. 129, 1. 2. *Ecclesia hostibus cincta*

II. In nomine Jehovæ concidam eos) Ecce qvæ mira Christianorum arma & parma! nil aliud habent, *Dei nomen arma.*

bent, qvàm nomen, qvod coram mundo contemtum: sed qvia est nomen Jehovæ, & omnipotens, dejicit superbos reges ac crudeles imperatores. Vide Lutherum hæc suo more eleganter explicantem in comm. germanico, & illud adde, nomen Dei esse invocandum, usurpandum, prætendendum, ita non otioso, nec dormienti, sed prælianti cedit in Christo victoria, etiam per media contraria Rom. 8, 35. 36. 2. Cor. 6, 7. 8.

Contrà audentior ito.

Ex versu 11. *I. Etiam atqve etiam circumdederant me*) Qvùm diabolus & hostes nostri pugnam sæpiùs redintegrent, etiam nos animum semper resumamus, & contrà audentiores eamus, qvia si crescit in illis malitia, in nobis crescat fides, qvum semper recens est Dei nostri gratia.

Mala præsidia.

II. In nomine Jehovæ concidam eos) In Ecclesiæ defensione (qvod cum aliâs, tùm hoc loco videmus) nil agitur humanis, licet validis, præsidiis, nil proficitur callidis & calidis technis & consiliis, nil spei est in seditionibus, nil auxilii in pravis molitionibus, multò minus in impiis prætextibus, qvasi defendant illi religionem, qvi appetunt regionem, qvasi hi sint aversuri mala politica, qvi se convertunt & tantùm spectant bona Ecclesiastica. In nomine Jehovæ, hoc est, ejus mandato, fiducia, consilio, qvod incipitur, id demum feliciter perficitur, & gnaviter pertenditur. Qvid enim boni speres, ubi causæ belli non justæ, mentes bellantium non castæ, linguæ mendaces, manus rapaces, duces ac milites gulosi, ociosi &c. Interim tamen Deus etiam qvandoqve in optima causa suos sinit succumbere, ut discant ipsi tantùm incumbere, nec semper ab illis partibus stat Dei gratia, à qvibus est victoria.

Ex

Ex vers. 12. *Circumdederant me tanqvam apes)* Ne nimis metuas hostium Ecclesiæ multitudinem ac rabiem. Sunt apes, non leones, stridunt, bombos edunt, habent aculeum, sed non tantum possunt qvantum volunt, & non nocent, nisi cum suo certissimo exitio. Crede Deum etiam nobis acclamare,

Hostes Ecclesiæ apes.

Hi motus animorum, atq; hæc certamina tanta
Pulveris exigui jactu compressa qviescent,

qvando ipse magnos illos, qvi tamen sunt cinis & pulvis, projiciet in terram ac pulverem, uti fecit sæpè, & deinceps etiam faciet. Horsum pertinet seqvens similitudo à spinis implexis & arefactis petita, qvæ citò ignem concipiunt, magnum sonitum edunt, magnum fumum in aëra volvunt, sed citò consumuntur, & citò à vento earum cineres disperguntur. Sic transit gloria mundi.

& spinæ.

Ex vers. 13. *Graviter impulerasme, ut caderem)* In magnas calamitates, sæpè etiam graves tentationes suos Deus deducit, sed etiam, si in fide perstent, inde eruit: permittit impiis pios impellere, verùm etiam ille novit eos tandem repellere, & suos erigere. Diabolus enim & mundus hoc spectat, ut cadamus, Deus hoc agit, ut stemus, & superemus.

Deus sustentat pios.

Ex vers. 14. *Robur meum & carmen Jah)* Pii etiam in malis lætantur, & Dei sui viis oblectantur Matth. 5, 12. Act. 5, 41. Rom. 5, 3. Luc. 1, 47.

Ex vers. 15. *Vox cantus & salutis in tentoriis justorum)* Semper de salute per salvatorem nostrum Jesum Christum nobis data canamus, neq; tanti beneficii memoriam ulla calamitate obliterari patiamur, & licet in hoc regno gratiæ tantùm dentur justis tentoria, non magna

Cantus in tentoriis piorum.

& firma palatia, tamen eos non deficiunt vera solatia, unde mentis tranqvillitas, & vera hilaritas.

Ex vers. 16. *Dextera Jehovæ facit virtutem*) Dextra Dei est Dei infinita virtus ac potentia, vide suprà in Psal. 110, 1.

Deus est laudandus.

Ex vers. 17. *Non moriar*) Vivimus, ut Deum laudemus, dum hic sumus. Dicendum id hodie erat pro concione illis, qvi ita turpiter Dei nomine abutuntur, omnibusqve rebus divinis, qvi blasphemant, incantant, diris devovent. Hi scilicet sunt vivi mortui 1. Timoth. 5, 6. Matth. 8, 22. & qvi non enarrant Dei opera, sunt tantum inutilia terræ pondera & onera, qvantumvis videantur magna mundi lumina, magna etiam Ecclesiæ & politiæ columina.

Castigatio Dei.

Ex vers. 18. *I. Severè me castigavit Jah*) Deus persecutiones piorum permittit, imò immittit, non ut hostis, sed ut pater, non ut tyrannus flagellat, sed ut doctor, ductor, eductor noster nos castigat.

Ejus fidelitas.

II. Morti non tradidit me) Ubi mundus & diabolus in perseqvendo, opprimendo, affligendo est crudelis, Deus in eruendo, tuendo, sustentando est fidelis, 1. Cor. 10, 13. Es. 54, 7.

Pars Tertia.

Vers. 19.) Enarravit Salvator sua pericula, exaggeravit sua præsidia, & ex acceptis à DEO patre beneficiis animum nunc sumit aspirandi ad majora, & audendi mortem ipsam aggredi. Ego rex justitiæ & gloriæ Psal. 24. venio Psal. 40, 8. ut faciam nunc ipsam voluntatem patris patiendo, nec me terret mors, non abster-

sterrent mala alia, intrepidè accedo, & qvia nunc est dies Nov. Test. exortus infra vers. 24. agite, *aperite mihi portas justitiæ*, ut ingrediar hanc urbem & in ea justitiam amissam generi humano recuperem, spei bonæ plenus, fore, ut omnia feliciter expediam, *ingrediar per eas portas*, & *celebrabo Jah*, intrabo civitatem cum pompa, intrabo templum cum potentia, illam illustrabo, hoc reformabo ac purgabo, utrobiq; autem patrem celebrabo, ex ore infantium ei laudem parando, vendentes ejiciendo, alios vera docendo, Pharisæos, scribas, Sadducæos refutando & convincendo. Bugenhag: Det Deus gratiam, ut justitia Dei manifesta fiat mundo, (lege exeunte de Sion) ingressus prædicabo nomen ejus per meos apostolos. Alii de cœlesti Jerosolyma exponunt, qvia in illa sunt tantùm justi v. 20. sed hæc sunt subordinata, siqvidem qvando Christus terrenam Jerosolymam intrabat, ut in ea patiens pro genere humano satisfaceret, etiam tum portæ cœlestis Jerosolymæ ipsi & per eum piis sunt apertæ; De merito loqvor, non cum pontificiis de tempore, qvasi antea nulli pii essent in cœlum susceptι, sed in limbo patrum detenti. Bellarmini argumentum est nullum, qvia non dicitur in textu, qvod justi soli intrent, sed qvod justi intrent, puta cum injustis, vel qvod illi ritè possint, ac soli meritò intrare debeant. Christus enim justitiæ portas omnibus reseravit, qvas suo cum commodo intrant, qvi fide justificantur. Jacobus de Valentia putat, his verbis contineri populi gentilis petitionem, ut & ipse in communionem Ecclesiæ suscipiatur, & ad eam dari apostolorum responsionem vers. 22. populiq; Judaici acclamationem vers. 24. atqve ita pro hac hypothesi portas justitiæ interpretatur

Portæ justitiæ. qvæ? 1.

2.

2.

tatur sacramentum initiationis, baptismum, sicut etiam D. Gesnerus. Sed per hunc non intrant, sed fiunt justi, & nolim Psalmum sine causa divellere, & potissimum ibi, ubi unus tantum, puta Christus, loquitur. Mollerus existimat, quod sacerdotes alloquatur Salvator, quod ego malim impersonaliter seu indefinitè accipere, nisi illud typicè velis explicare.

Vers. 20.) Aperite mihi prius Salvatori, ut postea pateat hæc porta cœtui fideli, quia hæc *ipsa porta* est ac ducit ad *Jehovam*, hæc mea passio, satisfactio, meritum, atq; adeò ego totus Christus fide applicatus, sum verum illud ostium, per qvod accessus patet ad patrem, Joh. 10, 7. in Ecclesia enim redduntur participes sortis sanctorum in lumine per Christum Joh. 14, 6. *justi intrabunt per eam* portam ex regno gratiæ in regnum gloriæ, ex tenebris in lucem, ex regno diaboli in regnum filii Dei. Valentia & D. Gesnerus huc referunt visionem Jacobo apparentem Gen. 28. de scala in cœlum pertingente. Qvando autem Ecclesia h. l. dicitur esse cœtus justorum, intelligendum hoc est de Ecclesia visibili synecdochicè, uti dicitur sancta. Vide prolixiùs de his differentem Mollerum Com. pag. 1322.

Vers. 21.) Qvid facies, Christe, qvando apertæ fuerint illæ portæ, & templi Jerosolymitani, urbisq; typicè & N. T. in antitypo? qvid faciam, qværis: curabo prædicandum Evangelium de me exinanito ac passo, & exaltato ac glorificato. *Celebrabo te*, ô pater, ego ipse, ut alios hortatus sum vers. 1. & gratias agam, per publicum Evangelii præconium celebrans tuam miram viam, qvâ genus humanum redemisti per me, videlicet

qvod

quod in ſtatu exinanitionis clamantem ac te invocantem *exaudiveris me* ſupra v. 5. & me juveris *ac* ita *factus mihi ſis in ſalutem*, ſeu ſalus, ſuprà verſ. 13. & 14. Lutherus cum Campenſi & Gallica paraphraſi עניתני vertit, daß du mich demütigeſt/ qvod etiam non malè qvadrat huic loco: ſed qvùm ſuperiùs v. 5. ad eundem modum, licet in alia perſona, loqvutus ſit de Deo, & alias ענני in cal potiùs reſpondit, qvàm afflixit, notat, non facilè hic conſenſum reliqvorum interpretum plerorumqve omnium negligam. Non tamen cum Bellarmino ſtatuam, hæc ita ſonare, qvaſi dicat Salvator patri, qvi mihi eras viaticum, factus es nunc præmium, qvaſi & Chriſtus ſibi aliqvid promeruerit, aut David aliusqve pius ſibi aliqvid poſſit mereri. Utrumq; enim falſum eſt.

Verſ. 22.) Sic venit Salvator ſalvatum, ſed qvomodo excipitur? à plerisqve ſapientibus ac potentibus mundi rejicitur. De hoc enim lapide angulari Eccleſiæ Jeſu Chriſto agi, non de alio materiali, de qvo fabulantur Judæi (uti refert h. l. Valentia & D. Bugenhagius) non tantùm contextus docet, ſubjectaq; materia, ſed etiam allegatio in N. Teſt. locorum jam ſuperiùs in initio Pſalmi hujus poſitorum (qvibuscum confer Eſa. 8, 14. & 28, 16. Rom 9, 33. Epheſ. 2, 20.) evincit. Non igitur cum qvibusdam Calvinianis, inter qvos etiam eſt Piſcator, partim de Davide, partim de Chriſto explico, qvia illi hæc nullo modo competunt, qvod præter alios etiam Bellarminus probat etiam inde, qvod qvando Chriſtus hunc locum de ſe allegavit locis ſuprà citatis, nullus Judæorum unqvam contradixerit, qvaſi malè citaretur

De Chriſto hæc ſonant.

taretur à Christo de se, qvi loqvatur de Davide, ũnde concludit: Certè non auderem scripturam ita celebrem & decantatam à Christo, & apostolis explicatam, ullo modo cum Davidis persona commutare. Etiam inde, qvod ante Davidem Saul, & post eum Salomo fuerit rex etiam super utrumq; populum, Israëlis & Judæ, si modò illi sunt dicendi pro illo tempore duo populi, regnis nondum scisis. Ad rem ipsam: *Lapidem*, qvi, externam speciem si attendas, vilis videri poterat, *spreverunt* ac reprobarunt *ædificantes* seu structores Ecclesiæ, qvales qvidem esse decebat Pharisæos, scribas, pontifices maximos: sed is *factus est* à DEO *in caput anguli* εἰς κεφαλὴν γωνίας, præcipuus, summus, fundamentum ipsum, continens duos populos Judæos ac gentes, & conjungens in unum, ut angularis lapis duos parietes, uti Paulus qvendam in hoc ultimum comma scribit, commentarium Ephes. 2, 14. 15. 16. 17. 18, 19, 20. De voce hebræa פִּנָּה Soph. 1, 16. & 3, 6. Zach. 10, 4. & qvomodo Christus vocetur lapis? qvi hi structores eum reprobantes? qvomodo sit lapis angularis? prolixè explicat de Valentia p. 256. a. b. qvem videat, qvi prolixiora desiderat, nobis properandum, & hoc agendum, ut verum eruamus sensum.

Vers. 23.) A qvo autem hoc omne? *à Jehova est hoc*, מֵיְהוָה זֹּאת, fœmininum pro neutro more hebræorum, qvem etiam in N. T. retinuere more suo Evangelistæ & apostoli, dum vertunt, παρὰ κυρίου ἐγένετο αὕτη, qvod cum Tremellio & Junio qvidam frustra referunt ad unum aliqvod vocabulum vel פִּנָּה, γωνίας, vel etiam qvidam ad κεφαλὴν, qvùm melius ad totam orationem præceden-

cedentem spectet, & cum Calvinianis aliis Mollero, Rudingero, Piscatore, imò Luthero rectius efferatur, daß ist vom HERRN geschehen. Vide Mollerum in Comm. p. 1326. lin. 3. &c. *estqve* omne *mirabile in oculis nostris*, satis mirari non possumus, qvi ille afflictus sit adeò evectus, qvi ille reprobatus sit adeò glorificatus, qvi ille humiliatus sit ita exaltatus. Qvi plura vis, adeas iterum Jac. de Valentia pag. 256. b. En DEI manum mira illa perficientem, & piorum animum fide illa perspicientem.

Vers. 24.) Qvùm igitur impii illi primates Christum rejecerunt, pauci fideles ex populo tum eum receperunt, qvùm illi eum reprobarunt, hi in eum sperarunt, & sibi gratulantur, dum illi reluctantur. Illi igitur pii qvando aliqvandiu stupentes illam miram mutationem à DEO factam sunt intuiti, in hæc verba gaudii plena erumpunt, qvùm Christum ad se venire cernunt, & ex mortuis resuscitatum iri firmiter credunt. *Hic* hic est *dies* maximè niveo lapillo notandus, qvem *fecit* ipse Jehova, & qvidem nobis, nostro bono ac commodo, ergò & nos *exultemus & lætemur in eo*, ita dicentes, ita Christo regi nostro venienti accinentes, ita ei precantes & hæc vota pro eo fundentes: *Dies Jehovæ.*

Vers. 25.) *Obsecro Jehova* DEUS pater, *salva nunc* hunc nostrum regem, & nos per illum, da robur tuum servo tuo, & salva filium ancillæ tuæ Mariæ Luc. 1, 38. Psal. 86, 16. *obsecro Jehova prospera nunc*, & benè verte, qvod agit & molitur hic noster rex, da ut prosperè omnes res sub manus succedant, da felicem optatumq; cœptis ejus eventum, ut per manum ejus consilium tuum

de redimendo genere humano recte confieri possit; age, age, exaudi nos, & annue nostris votis, ubi in textu hebræo precantium ardor particulis in initio & fine positis indicatur, & notatu dignum est, Davidem ex revelatione Spiritus S. ipsa verba, qvibus erat usurus populus die palmarum Christum Jerosolymam venientem excipiens, probè sciviſſe, uti ex collatione horum cum Evangelistarum locis sub initium Psalmi positis videre est. Vulgatus latinus interpres, & à textu hebræo recedit, qvando vertit, & preces invertit, salvum me fac, & fortean etiam à latini sermonis proprietate, qvando הוֹשִׁיעָה־נָּא reddit, prosperare, qvod ad Deum patrem non potest referri, qvem tamen pro Christo invocat populus.

Vers. 26.) *Benedictus* sit, & benedicat nobis, ille, *qvi venit in nomine Jehovæ*, qvi ex patris mandato & jussu venit propheta, rex, sacerdos, Deut. 18, 15. Actor. 3, 22. Psal. 110, 1. 4. & 2, 6. & qvi venit ut angelus DEI magni consilii, legatus atqve apostolus eximius, & proinde in nomine Dei patris sui venit, imò & ipsius Jehovæ nomen est in ipso: ita nunc nostro regi adventanti dicimus, & nos etiam, qvando vos ejus apostoli venietis qvoqve in ejus nomine, vobis qvoqve omnia fausta precabimur, *benedicimus vobis* & omnia prospera vovemus qvi estis *de domo Jehovæ* illius geniti, non ampliùs propriè sic dicti de domo Aaronis, etiam illis salutem ac benedictionem spondemus, qvotqvot se ad Ecclesiam Dei per vestrum ministerium aggregaverint. Qvidam putant, hæc verba esse apostolorum & ministrorum verbi, qvi populo gratanti velut per choros respondeant,

Num.

Num. 6, 22. 27. sed non facilè in textum novum subjectum inseruerò, & non est insolens etiam hæc formula aliis, qvi non sunt Levitæ vel publici verbi ministri. Vide Psal. 129, 8. & 115, 13. 15. Fruatur tamen qvisq; suo sensu, & cum Mollero subjectum constituat ex his verbis, nos qvi sumus de domo Jehovæ ac sacerdotes, ratione officii benedicimus vobis Christo benedicentibus: mihi prius magis placet, si per alios ita explicare licet.

Vers. 27.) Ratio hujus nostri gaudii & jubili est, qvod lux nobis, qvi in tenebris ac umbra mortis sedebamus, orta sit in illa mundi luce, *Deus est Jehova*, & ille *qvi lucem præbuit nobis*, qvi illustravit nos, nos beavit, nobis salutem contulit redemptore misso, qvemadmodum aliàs prosperitas, lux, & calamitas tenebræ nominantur in sacris, vide qvæ dicta in Amos 5, 18. 20. & 8, 9. & proinde si ille Ethnicus ita exclamat, Lux.

Deus nobis hæc ocia fecit,
Namq; erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpè tener nostris ab ovilibus imbuet agnus,

nos longè rectiùs nos invicem hortamur ad debitam gratitudinem & exsolvenda vota N. T. propria, ad victimas N. T. hoc est, laudum offerendas. Ergò ut cœpimus sub initium Psalmi vers. 2, 3. 4. phrasibus V. T. res N. T. explicemus. Sicut in V. T. in solemnioribus festis adeo confertas victimas afferebant mactandas, ut etiam qvasdam ad cornua altaris ligarent, ita nunc in N. T. *ligate etiam sacrificium festi funibus usqve ad cornua altaris*, de qvorum verborum sensu genuino adeò multa jam antea scripsi, ut nunc nolim plura addere, nam si cui illa non satisfaciunt, qvæ habentur in Exerc. bibl. edit. 3. *Phrases V. T.*

à pag. 397. usq; ad pag. 411. pag. 516. neq; illa poterunt persvadere, qvæ nunc afferre possem. Interim & hic seqvatur per me qvisq; qvod volet, & præter ea, qvæ olim adduxi, videat etiam, qvæ habet Vatablus & D. Bugenhagius in h. l.

LOCI COMMUNES.

Portas paradisi aperit Christus.

Ex vers. 19. *Aperite mihi portas justitiæ)* Solus alter Adam potuit portas paradisi aperire, qvæ erant ob injustitiam prioris Adami clausæ Genes. 3. hic enim sua morte expiavit iniqvitatem, & adduxit justitiam perpetuam Dan. 9, 24. & meritò sibi aperiri has portas Salvator præcipit, qvia ipse promeruit. Vide 2. Cor. 5, 21. & si qvis fide hujus meritum sibi applicat, eoq; nititur, in cœlestem Jerosolymam cum ipso admittitur Matth. 25, 10. Apoc. 21.

Est ostium cœli.

Ex vers. 20. *Hæc porta ad Jehovam.)* Solus Christus aditum ad patrem nobis fecit Rom. 5, 2. Eph. 2, 18. 1. Pet. 3, 18. solus est ad cœlum janua Joh. 10, 7. & Spiritus S. janitor ibid. v. 3. Valeant igitur cum suis aliis mediatoribus & ad Deum ostiis Pontificii: scimus, qvod in nullo alio salus Act. 4, 12. & qvod nemo veniat ad patrem nisi per Christum, blasphemumq; esse, qvod ad Franciſci imaginem ab illis adscriptum, *facilius per istum.* Serva nos Deus hoc tempore in hac veritate, verbum tuum est veritas.

Celebremus Deum.

Ex vers. 21. *Celebrabo te)* Si Christus, Deus benedictus & laudandus in secula, celebravit patrem suum, qvantò magis nos humunculos id decet, qvibus omnia Christi beneficia parantur, dantur, offeruntur, conferuntur, si qvi fide illum amplectuntur. Ex

Ex vers. 22. *I. Lapidem spreverunt ædificantes.)* Sæpè qvi debent Ecclesiam, ad id à Deo vocati, struere super fundamentum Jesum Christum, hi sunt, qvi maximè conantur hoc evellere, illam destruere, qvod pluribus persequitur D. Gesnerus in Comm. *Structores qvidam destruunt.*

II. Is factus est in caput anguli.) Etiam ex malo Deus pro sua omniscientia bonum elicere novit, & consilia improborum potest eludere, qvemadmodum hoc in passione Christi liqvet. Et Christiani maximè in mundo pro Christo spreti olim in cœlis erunt glorioſi Domini, qvi hic sunt mundi περικαθάρματα, ibi possidebunt cœli χάρματα, qvi hic sunt περίψήματα, ibi obtinebunt æternùm mansura τρόπαια. Vide Sap. 5, 2. 3. *Ex malo bonum Deus elicit.*

Ex vers. 23. *I. A Jehova est hoc.)* A Jehova bono est bonum, non malum, ut h. l. qvidam Calviniani nimis extendunt particulam *hoc*, ad id, qvod antecedit, ædificantes spreverunt, qvasi etiam hoc originaliter ac principaliter esset à Deo, qvùm Deus contrà voluerit maximè diligi, honorari, recipi, & retineri illum à se positum electum lapidem. Ergò mittamus illam detorsionem. *Bonum à Jehova.*

II. Est ea mirabile in oculis nostris.) Impiis Dei sapientia est stultitia 1. Cor. 1, v. 18. sed pii eam mirantur Luc. 2, v. 33.

Ex vers. 24. *Hic est dies, &c.)* Dies festos potissimum Deus instituit, ut Deus laudetur, & homo pius de beneficiis Dei lætetur, potissimùm in die N. Test. qvi est dies salutis 2. Cor. 6, 2. *Dies Jehova.*

Ex vers. 25. *Obsecro Jehova salva.)* Qvia nihil felix sine Deo felicitatis omnis autore, qvotidie ex oratione Dominica ita ingemiscamus, pater, sanctificetur no- *Felicitas à Deo petenda.*

nomen tuum, adveniat regnum tuum, libera nos à malo. Christe Jesu, sis Jesus & Salvator, Spiritus S. sis noster consolator.

Ex vers. 26. *Benedictus qvi venit in nomine Jehovæ*) Christus venit in nomine patris, antichristus in suo nomine, & proinde ut is est benedictus, ita hic maledictus.

Ex vers. 27. *I. Deus fortis nos illustravit*) Ingens Dei beneficium, qvod filius Dei è sinu ejus prodiens nos illuminavit Joh. 1, 18. & lucem cœlestem attulit.

Gratitudo. *II. Ligate sacrificium*) Reqviritur piorum gratitudo, sed non in umbris V. T. verùm in veritate bonorum operum N. T. qva de re alibi prolixiùs.

Pars Qvarta.

Vers. 28.) Sacrificium autem potisimùm N. T. est gratiarum actio, qvando Deo offerimus juvencos labiorum nostrorum Hos. 14, 3. ergò etiam populus nunc excitatus id facit, & solvit εὐχαριστήρια hoc modo: Intelligo jam, qvantum beneficii, Deus pater, Christo salvatori, & mihi in ac per ipsum contuleris, ideoq; qvùm, qvod reponam, præter gratam mentem, nil habeam, ita dico: *Deus meus es tu* אֵלִי nunc in Christo per fidem, qvi me potes & vis eripere fortiter; ideò *gratias agam tibi, Deus meus es* אֵלִי ideò *exaltabo te* glorificando ac tuam majestatem agnoscendo atqve prædicando.

Vers. 29.) Qvia verò facilè hominum pietas refrigescit, instat salvator suo κελεύσματι ut suprà vers. 1. qvemadmodum in multis aliis psalmis versus primus ultimo loco repetitur. *Gratias agite Jehovæ, qvia bonus*

nus est, qvia in seculum durat benignitas ejus, dic semper, ô DEUS,

à te principium, tibi desinet,

ad te principium referam & finem, tu qvi cœpisti in me bonum, etiam idem perfice, & ad finem optatum omnia perducito, ut & ego tecum vivam perpetuò. Sic ego te canam, qvia es bonus, sic ego tibi serviam, qvia es Dominus. Amen.

De locis doctrinæ, qvi hinc poterant erui, jam suprà aliqvoties est actum, videlicet de Dei potentia, ejusqve in nos benevolentia, fidelium pietate, DEI patris benignitate, ideoqve nunc gratiis Deo actis concludimus, qvod in his turbis licuerit hæc sacra rimari, meditari, publicare, eundem Deum rogo, porrò nobis adsit, ut nostrâ operâ, ipsius ope, aliis prodesse possimus. Amen, & iterum Amen.

Enarratio

CAP. LIII. ESAIÆ.

Matth. 8. v. 18.

Αυτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε, καὶ τὰς νόσους ἐβάστασεν.

Marc. 15, 28. Luc. 22, 37.

Μετὰ ἀνόμων ἐλογίσθη.

Johan. 12, 38.

Κύριε, τίς ἐπίστευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν; καὶ ὁ βραχίων κυρίου τίνι ἀπεκαλύφθη;

Actor. 8. 32.

Ως πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἤχθη, καὶ ὡς ἀμνὸς ἐναντίον τοῦ κείροντος αὐτὸν ἄφωνος, οὕτως οὐκ ἀνοίγει τὸ στόμα αὐτοῦ.

v. 33.

Ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη· τὴν δὲ γενεὰν αὐτοῦ τίς διηγήσεται, ὅτι αἴρεται ἀπὸ τῆς γῆς ἡ ζωὴ αὐτοῦ;

Rom. 10, 16.

Κύριε, τίς ἐπίστευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν;

Rom. 15, 21.

Οἷς οὐκ ἀνηγγέλη περὶ αὐτοῦ, ὄψονται· καὶ οἱ οὐκ ἀκηκόασι, συνήσουσι.

1. Petr. 2, 22.

Ος ἁμαρτίαν οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ.

v. 24.

Ος τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον, ἵνα ταῖς ἁμαρτίαις ἀπογενόμενοι τῇ δικαιοσύνῃ ζήσωμεν· οὗ τῷ μώλωπι ἰάθητε.

1. Sam. 11. 1.

EXord. Hiſtoria, qvæ extat 1. Sam. 11. per partes ſuas præcipuas conſideretur, & cum opere redemptionis noſtræ h. m. comparetur. I. Adverſarii calliditas & ſuperbia. Ibi Nachaſch Hammonita fœdus ſe cum populo initurum promittit hac conditione, ut dextrum ipſis effodiat oculum. Sic Diabolus ſerpens ille antiqvus 2. Cor. 11, 3. Apoc. 12, 9. & 20, 2. rex Hammonitarum ſeu populi, princeps hujus mundi, Joh. 12, 31. adeoqve Deus hujus ſeculi 2. Cor. 4, 4. fortis ille armatus Luc. 11, 21. caſtra ponit contra Jabeſchum

Diabolus נָחָשׁ

schum Gilhadis, hoc est, eos, qvi exaruere circa cumulum testimonii, seu eos, qvi cum in baptismo lavacro aqvæ in verbo non tantum sunt loti, sed etiam Spiritu S. aqvis illis mundis abundanter ditati, tamen propriâ suâ culpâ exarescunt, qvod ad pietatis fontem 2. Petr. 2, 17. Epistola Jud. v. 12. 13. & suum fœdus cum Deo initum rumpunt, hos ille velut castris mundi hujus circumvallat, & cum illis hoc fœdus pangit, ut serviant ipsi, qvum dextrum illis effodit oculum, qvo nimirum cœlestia debebant spectare, siniſtrum oculum, qvo terrena intuentur, relinqvit, qvando dicitur eos excœcare 2. Cor. 4, 4. יָבֵשׁ

II. Senum fiducia: sic illi, qvi jam in Christo aliqvantum adoluerunt Eph. 4. respondent Diabolo, se missuros per omnes terminos Israëlis, hoc est, totam scripturam vel præcipua ejus dicta percursuros, anne sit, qvi ipsos possit salvare, anteqvam exeant ex Ecclesia & fœdere cum Deo inito. II.

III. Saulis Regis Israëlitarum liberatio, in qvem cum irruit spiritus Dei, accensa est ejus ira in hostes suorum: Sic Christus verus ille שָׁאוּל omnium piorum votis expetitus mundi Salvator, est is, super qvo fuit spiritus sapientiæ Es. 11, 1. Is in ira sua hostes nostros devicit, Hos. 13. 1. Cor. 15. Et sic fuit nobis etiam salus, qvando incaluit sol justitiæ Mal. 4. jam ortus super nos, unde meritò eum, ejusq; ministros seqvi nos oportet, ut Israëlitæ seqvuti sunt Saulem & Samuelem. III. שָׁאוּל

Nam qvi non seqvutus hos fuerit, ejus armenta, hoc est, bruti affectus tandem ipsum perdent, & cum ipso peribunt. Seqvamur igitur hujus ducis castra, cujus vexillum crux Christi. conf. Exod. 17, 15. Col. 2, 15. Esa. 11, 10, in qva meritò gloriamur, 1. Corinth. *Vexillum crucis Christi.*

rinth. 1,18.30. 31. Solent milites habere tesseram, qvam qvi non novit, hostis habetur, ut Maccabæi ex Exod. 15, 11. sic Christiani crucem habent cum Paulo. Sic Constantinus vicit in hoc signo. Qvemadmodum autem ipse per pasiones intravit in gloriam Luc. 24. ita & nos decet ingredi regnum cœlorum per multas tribulationes Act. 14. qvoniam ita nobis illud paciscitur Luc. 22, 29. Stigmata Domini Jesu Christi in corpore nostro portemus Gal. 6,17. Videamus igitur ipsius pasionem, humiliationem & exaltationem ad nostram instructionem & consolationem, juxta monitum Apostoli Heb. 12,2.3. Illæ verò à nullo melius uno in loco describuntur, qvàm à Propheta Esa. c. 53. Qvod vaticinium dignissimum, ut teneatur ab omnibus. Id agere de Christo, testes sunt omni exceptione majores Evangelistæ & Apostoli, id allegantes in N. T. & toties, qvoties vix ullum aliud caput in N. T. Matth. 8, 17. Marc. 15, 28. Luc. 22,37. Act. 8, 3. Rom. 10,16. & 15,21. 1. Petr. 2, 22, 24. 1. Cor. 15, 3. confer etiam Joh. 12, 28. 1 Joh. 3,5.

Discamus hæc.

Esa. c. 53. agit de Christo.

Partes capitis.

Partes ejus tres. 1. Proleptica propositio. 2. Christi Exinanitio. 3. Exaltatio.

Summa v. 1.

Vers. 1.) Primum autem omnium hîc etiam qværimus cum Eunucho Æthiope Act. 9, 27. obsecro, de qvo Propheta dicit hoc qvod sequitur, num de se, an de alio? Respondebit autem ibidem v. 35. Philippus: de Christo. Sicut etiam alii apostoli & evangelistæ, dum aliqvid ex illo capite allegant, & de Christo explicant. Sunt autem in v. 1. ac parte prima hæc tria: Qvis, qvid, qvomodo, qvibus nota attentionis præfigitur, & summa est; Christus θεάνθρωπος ratione humanæ naturæ evacuabit se ad tempus suâ gloriâ, & postea extolletur valde,

de, atq; ita sapientissimè opus redemptionis perficiet. Notandum verò, qvod totum caput sit sacræ alicuj⁹ comœdiæ instar dialogismo figuratæ. Atq; hic qvidem primò omnium primus Deus Pater progreditur, & ita de suo Filio loqvitur; ECCE. Particula hæc vel est Spiritus S. asterisqus, & ad res maximi momenti probè perpendendas adhiberi sæpe solet, ut Esa. 7. Zach. 9. vel est nota promptitudinis, vel certitudinis vel præsentis exhibitionis. Omnia qvatuor huic loco optimè qvadrant. I. Nam si qva res est scitu necessaria, hæc certè est, qvæ de Christi passione, morte & resurrectione agit, & proinde benè notanda, & semper cordi nostro dicendum Ecce, ad hunc intende, Esa. 53, 1. Qvis est iste? Idqve ut fiat tantò accuratius, confer duo Ecce alia sibi mutuò opposita. Genes. 3. Ecce Adam est, sicut unus ex nobis, & Joh. 19, 5. Ecce homo. Et v. 14. Ecce Rex vester. Ille enim cupiens esse Deus, nos homines perdidit, hic, qvi erat Deus, homines redimit. Jam confer hos duos Adamos. Rom. 5. 1. Cor. 15. ille imprudens fuit, hic verò prudens erit. II. Nos omnes sumus tardi, imo mortui in rebus sacris Eph. 2. sed Christus promptus est Ps. 40. Heb. 10, 9. ubi, Ecce venio. Adamus & nos in illo fugiebamus Dei conspectum. Gen. 3. At hic in medio constitit Joh. 1. Mediator verus 1. Tim. 2. III. Certissimus hic sermo est 1. Tim. 1, 15. Tit. 3, 8. confer Luc. 18, 31. Ecce ascendimus Jerosolymam. Qvid igitur dubitant Pontificii, Ecce Christus, qvi hic pro omnibus satisfacit, & omnibus credentibus suam salutem certò applicat. Et refutantur hinc ἀφταρτοδοκηται, de qvib. apud Dn. Chem. p. 1. L. C. & de duabus naturis in Christo cap. 3. IV. Hic

Ecce, nota attentionis,

promptitudinis,

certitudinis,

exhibitionis.

Christus in vaticinio, & post in veritate exhibetur, confer Joh. 1,29,36. Ecce Agnus Dei. Frustra ergo alium Messiam expectant Judæi, cum hunc negligunt, qvem indice digito Johannes Baptista, Evangelistæ & Apostoli demonstrarunt. Qvis verò, de qvo hæc dicit pater tanqvam præco, *servus meus*, inqvit: Servus dicitur, qvia & Deo patri, cujus voluntatem fecit Johan. 6,38. & hominibus, qvorum salutem procuravit, inserviit. Hic enim est, qvi de se dicit ipse Matth. 20, 28. Non venit, ut ipsi inserviretur. Vid. Zachar. 3,8. Sunt igitur nimis superstitiosi qvidam Græci Patres, qvi Christo noluere nomen servi tribuere, ut Chrysost. vid. Erasm. in cap. 12 Matth. Nos agnoscamus hoc grato animo, qvod nostrâ causâ Dominus omnium factus sit servus, ut nos servi possemus fieri Domini. Benè verò notandum, qvod Deus dicat, servus meus. Licet enim Patri inservierit, eum nobis placando, tamẽ non est conservus noster, ut blasphemat Danæus. Adam erat Dominus omnium constitutus & fit servus: hic servili pro eo assumptâ ad tempus formâ ei dominium amissum recuperat Phil. 2. Ubi inde ad humilitatem nos graviter hortatur Apostolus. Notat igitur servilis forma ibi non naturam, sed statum ac conditionem, qvia de θεανθρώπῳ ex duabus naturis constante loqvitur. Ille verò cum in assumpta humana natura, cui omnia propria divina, & proinde etiam majestas, erant communicata, poterat se ostentare ut DEUM, tamen ad tempus se abdicavit illâ communicatâ gloriâ, & pro illa formam ac conditionem servilem assumpsit, ut ita opus redemptionis in statu humilitatis perficeret, & gloriam homi-

Servum meum.

Phil. 2,7.

hominibus recuperaret, qvam Adam præ ſuperbia amiſerat, idqve ut fieri poſſet, voluit non tantùm fieri homo, ſed etiam miſerrimam vitam degere, ut qvemadmodum cum piſces capiuntur hamo, cui vermis eſt præfixus, ita hic infernalis Leviathan (cum illo enim ſolent Diabolũ comparare Patres ex Job. 41.) ſub eſca naturæ humanę, cujus reſpectu Chriſtus erat vermis Pſ. 22. qvam appetebat & deglutire parabat, caperetur. Et hæc eſt ſumma cœleſtis curiæ æterna ſapientia 1. Cor. 1, 21. ut per vitæ mortem vita mortalibus redderetur, qvomodo ſeqvitur de hoc ſervo הַשְׂכִּיל, cujus verbi ἔμφασις eſt ex intelligentia ſcitè in ſuis negotiis omnia direxit ita, ut ſecundus ac proſper ſeqveretur eventus. Certè hic ſervus intelligens, imò & ſapientia patris eſt, Proverb. 9. Matth. 11. & omnia prudentiſimè adminiſtravit, ut meritò poſſemus cum populo exclamare Marci 7, 37. omnia benè fecit, & optatus eventȝ conſecutus eſt omnia ipſius cœpta reſpectu ipſius Luc. 24, 26. & noſtri Rom. 4, 25. 1. Cor. 1, 30. Hæc autem intelligentia opponitur Adami & noſtræ ſtultitiæ in ipſo, qvi volebamus ex eſca fructus vetiti prudentes evadere Gen. 3. 1. Corinth. 10. ille הִסְכִּיל & infauſtè ac ſtultè egit, hic הַשְׂכִּיל prudenter & proſperè; ipſius rectè facta noſtris malè factis obducenda Matth. 5, 17. Hebr. 10, 7. 9. & ipſius proſperitas parta noſtræ miſeriæ 2. Cor. 5, 21. & 8, 9. Huic vero verbo tota ratio redemptionis noſtræ incluſa eſt, ut patet ex oppoſito, ut qvando dicitur futurum, ut poſt illam ſibi cælitus demandatam ablegationem expeditam *exaltetur, extollatur, & excelſus ſit.* Ipſe enim propterea, qvod Pater in hunc mundum eum miſit Matth. 15, 24.

הַשְׂכִּיל

Joh.

Johan. 20. vers. 21. & 6, 40. Galat. 4. vers. 4. etiam est ἀπόστολος Hebr. 3, 1. & in V. T. מַלְאָךְ sæpe appellatur Gen. 48, 16. Exod. 3, 20. Mal. 3, 1. missus autem est hic cœlestis legatus, ut disidentem Deum & homines propter peccata Esa. 59, 2. reconciliaret 2. Corinth. 5, 18. & sic in gloriam intraret Luc. 24. Cum autem hic tria vocabula ad eandem exaltationem declarandam adhibeantur, certè non erit inanis tautologia, & videndum, qvid notent singula. רוּם significat altum esse, ut inter alios emineas; נְשָׂא ita extolli, ut ex dono fias princeps excellens super alios, ut patet, si significationes vocabuli conjungas: גָּבַהּ seipsum exaltavit vel exaltatus est in sublimitatem, eaqve satis benè qvadrant ad tres exaltationis gradus, qvos in scriptura indicatos respectu usurpationis annotavit Lutherus. Primum facta est exaltatio Christi secundum naturam humanam in unionis primo momento, qvando illa in infinitam personam τῦ λόγυ fuit assumpta, ita ut, qvod ex Maria nasceretur, diceretur & esset filius Dei Luc. 1, 35. ex qva unione personali oriuntur illæ propositiones personales, qvando de homine prædicatur Deus Jer. 23, 5. Matth. 16, 16. 1. Cor. 15, 47. Et qvæ in secundo genere communicationis idiomatum sunt, ubi de hominis filio in statu utroq; prædicantur propria divina Phil. 2. Matth. 11, 26. Johan. 13, 3. 13. Secundò plenaria usurpatio secuta est ejus majestatis post resurrectionem, ascensionem ad dextram Dei, qvò pertinet plenarium in omnes creaturas dominium, qva de re Luc. 24, 26. 46. Ephes. 1, 20. 21. Phil. 2, 9. Act. 2, 32. 36. Et hæc majestas est Christo-homini communicata in & propter personalem unionem.

רוּם
נְשָׂא
גָּבַהּ

Trip'ex Christi exaltatio.

1.

2.

Ter-

Tertiò verò hinc sequitur, ut per doctrinam Evangelii, fidem, confessionem & laudationem Ecclesiæ extollatur, propter passionem, mortem & resurrectionem suam, quâ eam redemit & sibi acquisivit Act. 20,28. quemadmodum illa exaltatio describitur Apoc. 5,9. 10. 12. & 7,10. & 11,15. 17. Videmus igitur gloriam, quæ Christo homini data est, esse longè majorem ignominiâ, quam nostri causa sustulit, tum ut inserviat nostræ consolationi, quod hic propter nos humiliatus sit exaltatus, & jam deserere nos neq; velit, neq; possit Rom. 8,32. 33. 34. 39. tum ut exemplo suo nos incitet, ut non condignas reputemus has breves & leves calamitates futurâ gloriâ ibid. v. 18. 2. Cor. 4. 17. & hoc notat tertiò ὑπερδιορισμὸς additus מְאֹד valdè, quæ particula sæpe apud Hebræos, quo ipsi carent, superlativum format, ut sic intelligamus, illam gloriam Christo datam esse, quâ nil sublimius aut excelsius, quemadmodum Paulus vocat, nomen supra omne nomen Phil. 2, 9. quod non tantùm in hoc, sed & in futuro seculo nominatur Ephes. 1, 24. unde constat esse gloriam hanc verè divinam, infinitam, immensam, confer Matth. 28,18. Col. 2,9. Dan. 7, 14. Luc. 22,69. Heb. 7,26. unde refutari possunt Calviniani, qui illam homini Christo denegant.

3. Gloria Christo homini data. infinita.

Pars Secunda.

Vers. 2. & 3.) Secundæ partis sunt duo membra principalia, prius, anticipatio, quæ duo habet; unum piorum de Christi hac prudenti ac mirabili exinanitione, admirationem v. 2, & 3. alterum, impiorum Judæorum maximam partem nescentium hanc Evangelii præ-

Summa sequentium.

dicationem, excœcationem v. 4. Posterius est, passionis Christi cum suis causis luculenta declaratio, de qva postea. Nunc ad prioris partem priorem, ubi notandum, qvò minus necesse sit hic obscuram σύγχυσιν aut personarũ enallagen in luculento vaticinio statuere, Deum Patrem, qvi hactenus ad Ecclesiam de filio locutus est, ad eandem porrò suum sermonem dirigere, h.m. *qvemadmodum de te*, ó Israël (de qvo in verbis præcedentibus egerat) *obstupuerunt* multi, qvando es à Deo in manus hostium tuorũ traditus, ut abducereris in captivitatem, & miserè tractareris, qvi tamen eras Dei filius primogenitus, peculium, regale sacerdotium, id qvod non satis mundo patebat, qvomodo cohæreret Dei in te benevolentia, & hæc tua miseria, siqvidem ignorat mundus mirabiles Dei vias, qvi

De qvo hæc dicantur.

dejicit, ut relevet, premit, ut solatia præstet,
enecat, ut possit vivificare suos:

Ita porro & longe magis obstupescent omnes Judæi pariter & gentes *de* filii Dei veri sed incarnati *corrupta specie supra qvemlibet* alium hominem, *& de forma* externa ejusdem & habitu illius humili *præ filiis hominum*, tum cum primum hoc audiunt, & nondum satis hoc mirabile Dei consilium de redimendo genere humano per hoc opus cognoverunt, donec opere illo absoluto, & Christo ad dextram patris evecto Evangelium in toto mundo per Apostolos prædicabitur, qvemadmodum antea de Ecclesia soliti sunt mirari homines, cum ex calamitatibus mirabiliter eam eripi videbant, ita tunc obstupescent, cum Christus illa sua exinanitione, passione ac morte, totoq; suo per illa parto merito, velut sangvinẽ

Homines miramur Christum.

gvine unius pro totius mundi peccatis oblatæ victimæ *perſperget gentes multas*, & à peccatis ſuis mundabit, ut olim per ſangvinem ſacrificiorum oblatorum typicè & relatè homines mundabantur, atq; ita in ſilentio rem piè meditabuntur, ac *propter eum os ſuum reges obdent*, non obloqventur, ſed ad Evangelii prædicationem dociles accurrent, tum *qvando*, qvod *non narratum fuerat eis* antea, in verbo declaratum fidei oculis *videbunt*, *& qvod non* antea *audiverunt, animadvertent*.

qvi eos perſpergit.

Hæc eſt ſumma & cohærentia horum duorum verſuum, qvæ magis ex emphaſi vocabulorum & applicatione uberiori ipſius rei ad eventum explicanda venit. Primum qvando dicit Propheta, עָלָיו, pleriq; hoc referunt ad Chriſtum, ita ut Pater primum alloqvatur filium, deinde ad Eccleſiam de filio loqvatur. Sed 1. qvia in verſu præcedenti ac ſeqventibus ad Eccleſiam ſermo dirigitur, id hic qvoq; poteſt fieri. 2. eſſet qvædam ταυτολογία, qvia paulo poſt dicitur futurum, ut de filio, cum hoc audierint gentes, in ſtuporem dentur, 3. eſſet obſcuriſſima confuſio perſonarum & 4. idem in utroq; membro comparationis. 5. Gentes de Chriſto publicè prædicari ante tempus N. T. non audivere. Hæc qvæ ſine præjudicio cujusqvã afferuntur, qvi non admittit, abundet ſuo ſenſu; hic cum nullo litigo, ſed pergo. Deinde verbum שָׁמְמוּ hanc habet ἔμφασιν, cum ad rem externam refertur, notat plana devaſtare, cum ad animum, obſtupeſcere, unde intelligimus, id ſignificari, ita deſolare, ut qvi videt, obſtupeſcat. Exemplum eſt Eſa. 14. Apoc. 18, 10. plus igitur eſt qvàm admirari. Unde diſcimus,

עָלָיו *qvorſum?*

שָׁמְמוּ

Hominũ admiratio.

mus, qvod qvi non novit hoc consilium Dei, ipsum suos per angusta ad augusta deducere Act.14.Matth.7.Jer.12. Job.21. cum stupore mirari ac rimari: qvemadmodum etiam piis nonnunqvam hoc contingit Psal. 37. & 73. Porro de Christi summâ abjectione pro nobis factâ hic erudimur, cum dicitur ejus species seu servilis forma assumta, & habitus externus corruptior, fædior, miserabilior præ omnibus aliis filiis hominum. Ut enim Adam voluit nimis pulcher esse, similisq; Deo, ita hic ex se pulcherrimus inter filios hominum Ps. 45. pro nobis ad tempus miserabilem faciem subiit, contemptus ab omnibus, abjectus & spretus. Vide ejus nativitatem in stabulo, anxietatem in horto, flagellationem in Pilati palatio, transfossionem in crucis ligno, & verum dixisse Prophetam dices, & succinere Davidem in ejus persona de ipso audies: vermis sum, & non homo Psal. 22. מְרָאֶה enim notat id omne, qvod cadit sub oculos, videriq; ab aliis potest: תֹּאַר autè formam hominis externam, qvomodo illo vocabulo hic, qvicqvid Christus in statu humilitatis humiliter dixit & fecit, hoc qvicqvid est passus ab aliis sibi infligi, denotari potest, & pulchritudo ejus ad tempus fuit valde deturpata, speciosaq; ejus forma miserè deformata. Qvartò verbi נָזָה hæc est propria significatio, aspersit rem liqvidam, potissimùm ad sanctificandum, & de sangvine V.T. qvo & omnia tabernaculi, & homines peccatores aspergebantur & typicè mundabantur Deoq; consecrabantur, hinc inde usurpatur in Levit.c. 4.5.6.8. 14.16. qvindecies, in Numeris qvinqvies, semel in Exod. cap.29,21. & præterea tantum tribus in locis 2. Reg. 9, 33. h.l. & 63,3. de hostibus fusis. Cum igitur Christus dici-

Christi exinanitio.

מַרְאֶה

תֹּאַר

נָזָה

dicitur aspersurus suo sangvine gentes multas, significanter notatur, qvod hic solus sit sanguis N. T. qvo verè peccata expiantur. Heb. 9, 13. 14. 19. 20. 21. 22. 24. ut meritò ad hunc fontem accurramus immundi Zach. 13, 1. & ita cum Davide suspiremus ex Psal. 51, 9. expiato me hyssopo, ablue me, ut præ nive albescam, confer Lev. 14, 7. Num. 19, 18. applicari etiam huc potest Nahamanis à lepra emundatio, cum lavaret se in Jordane 2. Reg. 5. Qvod autem nonnulli interpretes phrasin hanc explicant de aspersione ministrorum verbi per prædicationem Evangelii, ex eo, qvod concionari sit stillare, vide Amos 7, 16. Mich. 2, 6. falluntur, cum hic sit verbum diversum נזה, non נטף, de qvo est qvæstio, & de Evangelii prædicatione, qvâ tanqvam instrumento, sicut & sacramentis illa sangvinis Christi aspersio fit, ut homines inde justificentur 1. Petr. 1. paulo post agetur in fine hujus versus tertii. Qvintò qvando reges dicuntur os suum obdituri propter Christum, phrasi scripturæ notantur duo, unum, qvod sit futurum, ut ipsos anteactæ vitæ pudeat, alterum, qvod in hoc Dei consilio tacitè acqviescant, ut patet ex locis his seqq. diligenter inter se comparatis Job. 21, 5. & 29, 9. & 40, 4. Psal. 39, 2. Mich. 3, 7. & 7, 16. Amos 5, 13. & 6, 10. unde nos discimus, qvomodo nos, qvando Deus aspergit per verbum & sacramenta nobis suum sangvinem, fiamus ejus participes, videlicet os nostrum obdendo, dum peccatorum & vitæ anteactæ nos pudet, eaq; ex animo detestamur cum Davide, Manasse, Petro, Maria Magdalena, Zachæo, & in consilio ejus, ut per Christi mortem nos justificemur, ei vivamus, acqviescendo, ad exemplũ illorũ conversorũ

non sonat hîc de concione.

Obdere os.

Regum conversio.

ad concionem primam Petri Actor. 2. simul etiam monemur, non tantū ad Christum cōversum iri homines plebejos ac vulgares, sed & Reges, qvales in V. T. multi, David, Josias, Hiskias, Josaphat, in N. Proconsul Act. 13. Constantinus M. Theodosius & alii. Hunc igitur Regem supremum agnoscite Reges Ps. 2, 10 11. 12. hunc colite Principes, per qvem regnatis Prov. 8, 15. 16. Sextò cum dicitur hoc futurum, qvando, qvod non narratum fuerat eis: Primò notandum, qvod hæc de Evangelii doctrina sint intelligenda, qvemadmodum eadem verba allegantur Rom. 15, 21. confer vers. præced. & c. 16, 25. Secundò, qvod Evangelium in V. T. solenniter in sola Judæa sit prædicatum Psal. 76, 1. & 147, 19. 20. gentibus vero tum ex Judæa innotuerit, unde qvidam adjuncti, ut προσήλυτοι: in N. T. autem ubiq; gentium Matth. 28. Col. 1. Act. 17. Tertiò Evangelium accipitur vel latè pro doctrina de gratia, ita fuit semper: vel strictè de Christo exhibito, qvomodo in V. T fuit promissum, & Judæis solenniter annunciatum, in N. completum & omnibus oblatum. Unde Photinianis & Anabaptistis urgentibus hæc loca Rom. 1, 2. 1. Pet. 1, 10. Roman. 16, 25. Eph. 3, 5. Marc. 1, 1. responderi potest, ea recte intelligi de Evangelio, qvod ad impletionem & cognitionem uberiorem. N. enim T. & tempori Messiæ semper major lux reservata. Es. 11, 9. Jer. 31, 34. Hab. 2. 14. Qvartò qvod per fidem videamus & intelligamus, hoc est, credamus. Sæpius enim fidere seu credere cum videre in scriptura confertur, & qvandoq; visui naturali, ratione objecti præsentis, opponitur. Duo tantùm hìc sunt verba, qvorum ἔμφασις notanda, unum סִפֵּר i. e. enarrari accuratè, more eorum,

Evangelium olim in Judæa prædicatum.

etiam in V. T.

סִפֵּר

qvi

qvi numeros exactè computant & colligunt, alterum הַתְּבוֹנֵן qvod notat prudenter animum advertit, ut intelligeret, qvod ad primum versum respicit, ubi Christus servus Dei dicitur rem prudenter confecturus: hic igitur reqviritur, ut qvi velit esse particeps ejus meriti, etiam ipse prudenter rem tractet, & conetur notitiam ejus sibi comparare exactam, qvomodo hisce duobus verbis monentur Doctores & auditores sui officii, illi, ut diligenter textus biblicos explicent, ac totam rationem salutis hominum enarrent rudi populo; hi ut diligenter animū advertant.

הַתְּבוֹנֵן

Vers. 4.) Posterius membrum partis prioris habet impiorum Judæorum maximam & aliorum ipsis similium, Evangelii prædicationem (cujus summam jam audivimus, & cujus uberiorem explicationem postea subjectam inveniemus) rejicientium, justam excœcationem v. 4. descriptam, in qvo duo, unū qvod Evangelio pauci credant, alterum, qvod & Christum pauci agnoscant: qvod utrumq; interrogatione Hebræis usitata figuratum proponitur, de qva sic habendum, qvod qvidem sæpissimè talis interrogatio omnino negativam responsionem innuat (vide in Joel. c. 1, 2. c. 3, 4. confer Ezech. 33, 11. & 18, 32.) tamen sæpe etiam non ἀδυναμίαν omnimodam, sed difficultatem rei magnam indicat. Proverb. 31, 10. Sirac. 1, 3. Psalm 15, 1. Rom. 11, 34. 1. Sam. 2, 25. si qvis in Jehovam peccaverit, qvis oret illum? Marc. 16, 3. & ita hoc loco illa esse explicanda, patet ex eventu, qvia semper pauci qvidam, licet difficulter, carnis tarditatem si respicias Luc. 24, 25. crediderunt, vide Joh. 6, 66. 69. 70. Actor. 13, 45. 48. Sensus igitur horum verborum est is, qvem

Interrogatio Rhetorica

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746337035/phys_0433
DFG

qvem in applicatione hujus dicti in N. T. facta reperimus, Joh. 12. poſtqvam Chriſtus conciones multas egregias ad populum Judaicum habuerat, easq; miraculis verè divinis confirmârat v. 37. Ita Evangeliſta ex ſpiritu Dei concludit, cum tanta ſigna Jeſus coram illis (Judæis) fecerat, tamen non credebant in ipſum v. 38. ut (ἐκβατικῶς, non αἰτιολογικῶς intellige, vide in Amos 2,4.) ille ſermo Eſaiæ Prophetæ impleretur, qvem dixerat: Domine, qvis credit ſermoni ſeu concioni noſtræ, & brachium Domini cui revelatur? ſic Rom. 10, 16. ſed non omnes obediverunt Evangelio: Eſaias enim (iterum hic repete & applica de particula ſuperiorem obſervationem) dicit, Domine qvis credit concioni noſtræ? Ex qvib. hæc omnia nullo negotio intelligimus: primùm, qvod Propheta in perſona omnium verbi divini miniſtrorum, etiam ipſo Chriſto miniſtro circumciſionis Rom. 15,8. non excluſo, hæc dicens admiretur & obſtupeat, tum ſuper incredibilem hominum incredulitatem & negligentiam, tum fidei raritatem, nobilitatem & præſtantiam (ſiqvidem cum media à Deo ordinata vel planè non, vel non ritè uſurpant, fides, qvæ per illa tantùm ordinariè datur, non eſt omnium 2. Theſſ. 3, 2. ſed donum Dei per media collatum Phil. 1, 29. Matth. 16, 17. Eph. 2,8. Joh. 6, 44.) Deinde qvod ad Deum ſe convertat (utrobiq; enim in N. T. κύριος apponitur) eumqve alloqvatur, qvodqve hominum miſertus apud eum intercedat, h. m. tu vides Domine, paucos credere, converte tu eos, & convertentur. Porro, qvod phraſi hebræa, per ἀκοὴν in græco, & vocabulum שְׁמוּעָה non audiendi actus, ut vulgò aliàs, ſed objectum auditus ſeu res audita, ſeu medium, per

Joh. 12, 37.

2. Theſſ. 3, 2.

שְׁמוּעָה

qvod

qvod audire possumus, nempe prædicatio Evangelii intelligitur, sic Brentius, Schilterus, qvomodo idem vocabulum eodem modo pro fama accipi probatum est, Hobad. v. 1. Qvartò qvod per brachium Domini virtus & divina dona collata homini-Christo, & per eum tum in miraculis, tum verbo revelata hominibus potius intelligatur, qvàm Evangelium ipsum solum, ut Junius explicat, de qvo in priori membro. Id enim & scripturæ analogia, ubi brachium Deo tributum omnipotentiam & robur ejus denotat, ut inductione exemplorum, qvæ ubivis obvia, patet, & Johannis allegatio probat, qvod cum ex illa divina potentia Christus feciſſet divina miracula, tamen in ipsum non crediderunt Judæi, cum tamen propter illa meritò credere deberent Joh. 10, 37. 38. Qvintò, qvod עַל מִי super qvem, non sit relativè de Christo cum Musculo explicandum, sed interrogativè de hominibus aliis incredulis. Unde etiam refutatur Judæorum insania, qvi hæc verba gentium esse de Judæis à Deo exaltatis usurpata somniant. Paucis igitur ut complectamur hæc omnia, ita dicit Propheta: ô Deus, cum de illa exinanitione & exaltatione tui filii prædicabunt N. T. doctores, & paucos credere animadvertent, meritò exclamabunt, ô Domine, qvis *credit huic nostræ prædicationi*, & qvod magis mirum, *cui revelatur brachium Domini* seu virtus illa divina in Christo per miracula se exerens? paucis, paucis utiq;. D. I. qvæ causa damnationis? incredulitas proprio hominum vitio in illis manens, cum Deus verbum suum prædicandum curet, per qvod credere poterant. II. Qvod multi sint vocati, pauci electi, & qvidem omni tempore eadem ministrorum & doctorum verbi sors est,

Brachium Domini.

Incredulitas

qvod eos solabitur, nempe non omnes credere, nec salvari, qvod tamen qvorundam supinæ negligentiæ nil patrocinatur.

Summa sequentium.

Vers. 5.) Posterius membrum nostræ partis est luculenta passionis Christi cum suis causis declaratio h. m. instituta, ut sit ad superiorem anticipationem responsio & præmunitio, ne pii ex specie Christi externâ præposterè judicent, sed hujus humiliationis & causas & eventa benè considerent. Ejus loci sunt duo: prior, in qvo tenuitati in vitæ hujus ingressu ac progressu v. 5. ac infirmitati atq; contemptui cum in illis, tum sub ejus egressum potiss. v. 6. vera eorum subjicitur causa, unde illa sint in ipso, nempe sunt in causa peccata nostra, qvæ in se expianda suscepit v. 7. Unde qvicqvid in Christo miserum, tenue & infirmum, à nobis, & pro nobis est nostra causa susceptum, ideoq; non oportet nos eo offendi. Hæc verò duo, qvod propter nos ita patiatur, & qvod ea passione peccatum tollat, ulterius explicatur, dum declaratur passionis ejus modus, qvi in dolore, castigatione, tumice, afflictione consistit. 2. causa impulsiva seu meritoria, defectiones, iniqvitates, errores, peccata nostra. 3. Causa finalis, pax & curatio nostri. 4. Efficiens, Jehova. 5. Adiunctum, summa patientia, vers. 8. 9. 10. Jam de tenuitate in vitæ ingressu & progressu, atqve hinc insecuto contemptu. Illa illustratur imagine & comparatione teneræ plantæ seu virgulti & radicis ex terra aridæ efflorescentis, hic externæ formæ humilitate declaratur. *Assurgit qvidem* Christus *coram illo* (de qvo in seqventi membro) qvi externa saltem respicit, & ad alia non attendit, *ut virgultum, & tanqvam radix in*

Passio Christi.

Christi tenuitas.

Christus virgultum consentum.

terra

terra arida, in qvâ enascuntur qvidem nonnunqvam surculi & radices, sed qvia non habent terræ pinguedinem, humorem, & alia necessaria ad fructificationem, non habent aspectum jucundum, non videntur fructum aliqvem ferre. Ut igitur isti surculi & radices qvidem sunt, sed tales, qvæ contemnuntur; ita etiam Christus fuit revera surculus qvidam optimus & germen. Vide Esa.11,1. Jerem. 23,5. & 33,1. Zach.3,8. & 6,12. sed velut ex terra arida, ex contempta virgine Luc.1,v.48. pronascitur, & ab hominibus contemnitur Joh. 1, 11. Matth. 13,55. Joh.6,42. & 8, 48. & 7,2. ubi simul notanda qvædam Messiæ veri nota, qvod nimirum tum sit venturus ex stirpe regia Davidis, cum jam illa ferè exaruit Esa.11, 1. Vox יֹנֵק est à R. יָנַק suxit, & propriè de infantibus dicitur Numer. 11, v.12. Deut.32,25.1. Sam.15,3. & 22,19. Psal. 8,3. h.l. vero per metaphoram, sicut & cognatum nomen יוֹנֵקֶת transfertur ad plantam sive ramum tenerum, qvi succum terræ & arborum exsugit, ut infans ubera matris, qvomodo h.l. tenuis sustentatio Christi simul indicatur,

germen יוֹנֵק

יָנַק

dum lacte matris pascitur,
per qvem nec ales esurit.

Qvid legerint in suo exemplari, qvum redderent verba priora LXX. ἀνηγγείλαμεν ὡς παιδίον, non conjicio. Symmachus rectiùs multò, ἀνέβη ὡς κλάδος. Ubi meritò mireris, cur h.l. vulgatus latinus illos græcos suo more non sit secutus; qvid jam dicet Bellarminus ad h.l. LXX. omnium optimè intellexisse, qvæ ejus vet. est cantio. Observamus cum Riveto, scripturam variis nominib. plantarum varios hominum status explicare Dan.4,v.7. Psal.

37,35. Jer.16,6. Ezech.17.cap. Psalm.92,13. Hos.14, 4.5. Jer.48,6. Mich.7,4. Vide ea qvæ dicta in Psalmum 1, v.3. & confer ea, qvæ de Christo legimus Esa.11,1. Rom. 15,v.12. ita apparebit, Christum ex humili matre ortum, tenuiter educatum, ac miris modis sua sponte pro nobis fuisse humiliatum. *Coram eo*, variis modis explicatur (uti recenset D. Rivetus) sed optimè de unoqvoqve infidelium & non credentium accipitur, ascendit coram eo, licet is non animadvertat, qvia externam speciem non ostentat. Superioribus adde, qvæ de silva politica extant Esa.2,8.12.13. Ezech.31,3. Esa.22, 8. Jerem. 21,14. & 22,7. Amos 1,4. & 2,9. Zach.11,1. Docemur hic, qvia eadem capitis & membrorum sors est, qvod & verè pii in hoc mundo contemti à tenuibus initiis mirabiliter tamen excrescant, & tandem in cœlum eleventur, & licet in terra arida sint constituti, tamen crescant divinâ benedictione adjuti. Contemptus, qvi illam Christi tenuitatem est insecutus, his verbis describitur, *non est forma ei, neqve decor, & qvando videmus eum, non est species, ob qvam desideremus eum*, ubi omnia ad externum aspectum pertinent, qvi qvia erat humilis in hoc Messia, propterea à plerisqve repudiatus est, delusus & derisus, ut & tota vitæ & inprimis passionis historia testatur. Vide saltem nunc Luc. 4. Matth 8. Johan.8. Matth 21. & 27 Luc.23. de voce תֹּאַר, qvæ prima est hoc loco supra v.2. secunda est הָדָר qvæ notat decorem magnum & insignem, atq; adeo majestatis plenissimum, qvi propriè regibus aliisq; in sublimitate constitutis competit. Talem autem qvum Christus in statu exinanitionis non habebat, cùm tamen Judæi talem exspectarent

Christiani contemti.

הָדָר

Mes-

Messiam, qvi ad instar Salomonis, Cyri aut Alexandri Magni magnâ cum pompâ incederet, & regnum mundanum longè præstantissimum conderet (ut hinc inde ipsi qvoq; discipuli, ante sui illuminationem miraculosam somniant Matth.20,21. Luc.24,21. Actor.1,6.) & hujus regnum non veniebat cum tali externa observatione Luc.17,20. sed erat non de hoc mundo Joh.18,36. sequitur tertium, qvando videmus eum, non est aspectus seu species externa, hebr מַרְאֶה, ubi allusio ad præcedens verbum נִרְאֶה, vide sup. vers. 2. & tandem subjicitur וְנַחְמְדֵהוּ ut desideraremus eum. חָמַד significat cum magno ardore appetiit & desideravit rem longè optimam, qvomodo apud Hebræos vir desideriorum dicitur, qvi omnium votis expetitur, Dan.10,11. & 9,23. & terra desiderii Esa.3,19. qvæ optima est lacte & melle fluens. Licet igitur Christus in se esset optimus, tamen qvia exterius id non ostentabat aut præ se ferebat, non fuit desideratus. Notatur hic hominum perversitas, ex Adami prima superbia adhuc inhærens, qvod non desiderent, nisi id, qvod habet externam formam, speciem & majestatem, licet aliàs sit utilissimum, qvod mirum nobis videri non debet in reliqvis, cum Christo ipsi hoc contigerit. Et talibus ignaris potius est condolendum qvàm ut eos planè damnemus. Etiam hoc observandum, illis, qvi volunt esse veri Christiani, hoc esse agendum, non qvomodo exterius sint coram mundo magni, sed qvomodo coram Deo sint accepti. Hunc verò contemptum Christi, de qvo in hoc versu, compara cum versibus ultimis duobus c.10.l.1.Sam. & v.22.c.19.2.Sam.

חָמַד

Hominum perversa judicia.

Vers.6.) Sed qvid Christus porrò, cum per totam

vitam, tum potissimum sub ejus finem pertulerit, porro Propheta declarat, nempe hujus vitæ miserias seu calamitates, & tandem animi, corporisq; cruciatus maximos, semper autem externum contemptum. Erat enim *contemptus & abjectissimus virorum* חֲדַל אִישִׁים qvod & ipse ob nimiam abjectionem ac miseriam ferme homo esse desiit, & qvo cum homines versari familiarius cessant, ubi exemplaris loco nobis proponamus Jobum Job. 2,7. 9. 11. aut Lazarum Luc. 16,20. 21. qvod ad genus calamitatis & summum contemptum atq; abominationem, non qvod ad speciem calamitatis, desitus virorum *vir dolorum & cognitus morbi*, ut textus hebræus habet emphaticè. In qvo enim qvis reliqvis antecellit, hebræis dicitur אִישׁ Gen. 9, v. 20. Exod. 4,10. & 15,3. Jud. 7,14. Gen. 47,6. Exod. 18,21. 15. Buxt. thes. p. 329. sic h.l. vir dolorum dicitur Christus, qvia supra omnes reliqvos homines doloribus & plagis fuit affectus, in horto cum ira Dei & morte æterna conflictatus, in Pilati atrio flagellatus, spinea corona vulneratus, in cruce per manus & pedes transfixus. Sic etiam cognitus morbi dicitur, qvi expertus est infirmitates longè maximas & freqventissimas, חֳלִי enim generale est, & qvam vis infirmitatem notat, & יָדַע significat qvicqvid vel intellectu vel sensu probè percipio & experior. Propheta igitur idem dicit de Christo qvod epistola ad Hebr. cap. 4,15. qvod fuerit tentatus in omnibus excepto peccato. Hinc verò iterum contemptus insecutus, & qvidem maximus, ille videlicet, qvo rem adeò aversamur nauseabundi, ut os avertamus & nares comprimamus, qvod his verbis dicitur: *Et velut abscondens faciem ab illo, contemptus*

חֲדַל אִישִׁים

אִישׁ

Vir dolorum.

חֳלִי יָדַע

ptus adeo fuit, ut planè non æstimaverimus illum, sicut & in Psalmis legimus, præsertim, 22,7.8.14. & 69,8.9. & completum, qvando seniores populi, pharisæiqve avertentes se clamant, tolle, tolle, crucifige. Abscondere autem ab aliqvo faciem dicitur is, qvi planè eum non vult respicere, vel ob summam miseriam & indignitatem Psal 10,11 de Deo qvatenus non juvat, Psalm. 13,2. Deut.31, v.17.18. & 32,20. Esa 59,2. Mich.3,v.4. vel ob summam excellentiam Exod. 3,6. & qvia phrasis hæc, abscondere faciem ab eo, qvi in miseriis est constitutus, Deo tribuitur hinc inde in Psalmis & Prophetis, & h.l. etsi nominativus expressus non est in textu, id licet inde colligere, h.l. intelligi, qvod Christus sit reputatus pro eo, qvem Deus dereliqvisset planè, ut & ipse clamat Psal. 22,1. & ipsi Judæi illi exprobrant Matth. 27, v.42. atq; ita longe melius omnia cohærent, qvàm si vel cum plerisq; de hominib⁹ aspicientibus Christum crucifixum accipiamus, cum de illorum contemptu & antecedat & seqvatur, & singularis numerus aliud innuat, vel cum Tremellio, qvod Christus abscondérit suam faciem à nobis. Discedo hîc à Pagnino & Vatablo, qvi pudorem in hominib⁹ Christi congressum sibi esse pudori existimantibus ponunt, q.d. talis erat Christus cultu & vultu, ut à se averteret spectantium facies, sicut explicat D. Rivetus. pag. 446.a. qvi ibidem rectè subjicit: חָשַׁב inter cetera significat æstimare, vel in aliqvo loco habere & magnifacere, id est, nihili fecimus, in nullo numero habebamus, atq; ita nostra explicatio firmatur, videlicet propterea Judæos, qvi putabant se esse Dei populum, Christum rejecisse & nihili reputasse, eò qvod existimarent

Abscondere faciem ab aliqvo.

rent Deum patrem ab eo abscondisse faciem, eumq; non curare. Meritò autem qværitur, in qvorum persona hæc dicantur? & optima est Responsio, dici in persona potissimùm infidelium, sed tamen addiderim per κοινοποίησιν sacris scriptoribus usitatissimam, qvia & ipsi sibi relicti, & qvales sunt à naturâ, reliqvis non sunt hactenus meliores. Et hoc modo qvodammodo leniunt, qvi redarguunt, reprehensionis duritiem. Vide Com. D Riveti pag. 445. a. qvi dignus est ut legatur. D. I. Hanc esse notam Christi & Christianorum veram, pati, & ita intrare in gloriam, contemni in mundo, & magnos esse apud Deum 1. Cor. 1. II. qvod Deus videatur faciem suam abscondere, qvando non statim audit aut juvat, vide præter loca suprà allegata Psalm. 22,25. & 27,9. & 30. & 31,21. & 44,25. & 69,18. & 88,15. & 104,29. & 143,7. Esa. 54,8. & 64,6.

Deus abscondit faciem.

Vers. 7.) Remota falsa causa calamitatum Christo impositarum à Deo, jam vera subjicitur per θέσιν καὶ ἄρσιν. Estq; hic versus id in hoc capite, imò in Propheta toto, qvod gemma in annulo, cor in animali, fundamentum in ædificio, sol in mundo, hoc est, omnium præstantissimus, & consolatione plenissimus, qvippe in qvo nostræ redemptionis mysterium optimè explicatum. In eo igitur declarando aliqvantò diutius immorabimur, explicantes 1. verborum ἔμφασιν & proprietatem, 2. meriti Christi nobis parti veritatem. 3. meditationis hujus utilitatem. 4. locorum, ubi allegatur in N. T. congruentem & ingentem autoritatem. Primum verbum est אָכֵן nota certitudinis, *certè*, verè, profectò, cum veteribus, tum recentioribus Lexicographis probatis testibus,

Versus hujus dignitas.

summa.

אָכֵן

bus, qvin & scripturæ usu perpetuo, ut nova sit & rejicienda Musculi, Munsteri, Junii explicatio veruntamen, tamen, ut sit tantum adversativa particula. R. Mardochai Nathan in concordantiis hebræis אמית הדבר וקיומו confer Gen.28,v.17. Exod.2,v.14. 1. Sam.15,32. 1.Reg.11,2. Job.32,8. Psal.82,7. Esa.45,15 & 49,4 NB. benè potest vel deduci à כין vel cum ejus significatione conferri, qvemadmodum etiam cum אמן qvandam convenientiam habet. Secundum vocabulorum est חלינו, h. e. *infirmitates nostras*, in plurali numero, qvem puncta indicant, ut non sit necesse in singulari vertere cum aliis, vide Matth. 8, v. 17. τὰς ἀσθενείας ἡμῶν redditum est. Per infirmitates autem hic, ut supra versu 6. notantur calamitates & miseriæ ob peccatum Christo verè imputatum inflictæ à Deo, ut, qvod esurivit Matth. 4, v. 2. sitivit Joh. 19,28. defatigatur Johan. 4,6. flet, Joh. 11,35. Hebr. 5,7. Luc. 19, v. 41. Tertium vocabulum est הוא *ille ipse*, de qvo hactenus, qvi est Messias seu Christus, & nullus alius, qvam ob causam in hoc capite (juxta Lutheri versionem numero) qvinqvies repetitur vers. 7. 8. 10. 14. 15. ille est de qvo idem usurpatur articulus, Genes. 3, v. 15. confer vers 5. supra. Qvod autem alii addunt הוא esse nomen Dei proprium, in eo falluntur, cum sit tantum Esa. 42, v. 8. relativum, & Jerm. 5, v. 12. demonstrativum. Hinc igitur Christi divinitas probari non debet. Qvartum vocabulum est נשא aliàs φορτίσαι, sed qvod hoc loco intelligendum sit, non de qvavis simplici ablatione, verum de illa, qvę fit recipiendo in se, cum ex seqventi ὑποδηγήσει, tum ex aliis scripturæ locis Joh. 1,29. tum ex explicatione Matth. 8, v. 17. ubi per λαμβάνειν

חלים

הוא

non est nomen Dei proprium.

נשא

νειν Petr.1.Epistola 2,v.24 ἀναφέρειν, hoc est, ab alio in se transferre ac derivare exponitur, tum deniqve ex typo hirci ἀποπομπαίῳ Levit.16,v.21.22. Adde qvod hæc significatio optimè appareat in voce derivata מַשָּׂא id est, onus grave, & qvomodo homo tum dicatur נָשׂוּי Ps. 32,1. ex Apostolo Rom.4,7. edissere. Qvintum vocabulum est מַכְאֹבֵינוּ ubi primùm nota pluralem numerum, ut etiam in præcedenti eum fuisse vel inde saltem discatur. כָּאַב verò significat doluit intensissimè & maximè, tam animo qvàm corpore in hoc qvandoqve ex vulnere inflicto, confer hæc loca Gen.34,25 2.Chron.6,29. Job.2, 13.&33,19. Psal.32,10.& 69,27.30. Thren.1,12.18. Jerem. 51, 8. ut hoc nomine, qvod & alia forma supr.v.6. extabat, intelligamus Christi gravissimam anxietatem, qvâ pressus fuit in animo, & tumices ac vulnera, qvibus afflictus fuit in corpore. Habet cognationem cum כָּאַב חָאַב mœstus fuit, qvod animo tantum tribui legimus. Matthæus exprimit per νόσος. Sextum סְבָלֵנוּ ubi primum ad ἔμφασιν in fine pleonasticè repetitur pronomen, portavit ipsos. סָבַל verò in Cal ut h.l. significat semper onus impositum gestavit more bajuli, qvi dicitur סַבָּל. Vid.Gen.49,15. 1.Reg.5,15. Neh.4,10.17. Psalm. 81,7. Esa.10,27. & 14,25. inf.in hoc c.v.14. Thren.5,7. & Matthæus satis perspicuè reddit per βαστάζειν, confer Luc.7,14. Joh.19,17. Matth.20,v.12. ad peccata verò qvandoqve metaphoricè accommodatur, qvia ut onus grave sunt, & graviora qvàm ut perferri qveant Psalm. 38,v.5. Septimum vocabulum ἐμφαλικῶς est oppositum qvodammodo per θέσιν superioris versus fini, ubi dicitur, non æstimavimus illum, hic verò æstimamus eum pla-

כָּאַב חָאַב סָבַל βαστάζω.

plaga affectum, ut hinc discamus intelligere comma ultimum præcedentis versus, qvis ille sit, qvi absconderit faciem, nempe Deus Pater Filio ad tempus. VIII. נָגַע tetigit, & sæpe metalepticè, tangendo læsit ac plaga affecit, ut h. l. manus Dei irati tetigisse Christum in passione sciamus, cum ipse sit, qvi vocarit gladium super hunc pastorem Zach. 13,7. vide de verbo ipso ejusq; significatione propria Gen. 12,17. & 32,32. Exod 11,1. 2. Reg. 15, v. 5. Sanè benè notat Rivetus vocem נָגַע aliqvando per synecdochen ad lepram referri Levit. 14,35. Hinc Hieronymus vertit h. l. qvasi leprosum, sequtus Symmachum & Aqvilam. Sicut enim omnes à congressu leprosi refugiunt, sic & nos, eum tanqvam invisum Deo & hominum societati noxium aversabamur. Vide Comm. aliorum cum in h. l. tum in Matth. 8, v. 17. & consule etiam præter alios Junium in parallelis sacris & D. Rivetum in Comm. ubi refutat Socinum, pag. 449. b. 405. a. b. &c. IX. מֻכֵּה אֱלֹהִים percussus Dei, hoc est, à Deo, ubi dupliciter peccant contra ipsam structuram hebræam, qvi vertunt, Deum percussum, primò qvia prior vox est in regimine; deinde qvia tale adjectivum participiale non præponitur, qvin & contra ipsam rem hîc descriptam, eventuq; comprobatam, siqvidem qvamdiu homines veram causam passionis Christi ignorabant, nec eum Deum esse credebant. Aliunde igitur probandum, qvod Christus patiens etiam fuerit verus Deus, nempe Actor. 20,28. 1. Cor. 2,8. 1. Petr. 4,1. Verbum autem in Hophal notat cædi seu percuti, tam ut vitâ superstit tamen, qvàm ut planè exspiret, vide saltem Exod. 5, v. 14. 16. Num. 25, v. 14. Jer. 18,21. ut hinc æstimemus gra-

נָגַע

percussus Dei.

vitatem passionum Christi, qvi non tantum graviter, sed & lethaliter percussus, imò morti traditus fuit. X. מְעֻנֶּה Tandem dicitur מְעֻנֶּה, hoc est, gravissimè afflictus, ut illi, qvi famæ jacturam patiuntur, qvamvis hoc certa ratione ad Christum referendum sit. Vide hoc verbum Psal. 132, 1. & 119, 71. & confer duo derivata עֳנִי & עָנִי qvæ omnia satis egregiè hic Lutherus extulit.

Ex hac verborum declaratione oritur jam rerum explicatio, siqvidem in hoc loco meritum Christi asseritur, qvando nostra peccata in se suscepisse, ac pro illis patiendo ac moriendo satisfeciisse Christus expresè legitur, qvod tamen negant Photiniani. Socinus l. 2. de servat. c. 4. cum apud Esaiam legitur de Christo, verè languores nostros ipse tulit: Non intelligendum est, Christum sustinuisse universas pœnas, qvas nos sustinere debebamus, id enim falsissimum est, sed sensus est, Christum à nobis omnes dolores abstuliisse, & ab omnibus malis liberasse Contra qvem ita breviter nunc concludimus: Qvicunq; peccata nostra in se recipiendo pro iis satisfacit, & sui notitiâ multos justificat, ille pro iis Deo suâ passione & morte satisfecit. Sed de Christo liqvet illud. E. Major patet ex justitiæ divinæ regulâ, qvæ nullum justificat seu liberum à pœnâ pronunciat, nisi pro qvo sit satisfactum: Et contrà pro qvo semel satisfactum est, & à qvo λύτρον applicatur, illum non condemnat. Minor est hujus capitis, ut patet 1. ex Emphasi vocabulorum declaratâ 2. ex antecedentium ac consequentium connexione, circa qvam notandum, qvod septies in hoc capite asseratur, nostra peccata esse passionis Christi causam

Socini glossa falsa.

NB.

v. 8.

v.8.bis,semel,v.9.11.13.14.15. & hæc pro hujus instituti nostri ratione breviter.

Tertium magis necessarium in homilia,& nunc ostendenda hujus meditationis utilitas, in locis communibus eruendis. Prima vox, *verè* iis omnibus opponitur ut fulmen, qvi vel Christum verum hominem, vel verè passum fuisse negarunt. Chemn. de duabus naturis in Christo c.3.ubi sic emphasin & originem declarat, qvod cum nos eramus lapsi, nos Christus verè sub crucis pondere labans erigat ac stabiliat, ut cum antea coram tribunali Dei consistere non possemus, nunc ad Deum liberè possimus accedere per filium. Deinde opponitur hæc vox typis omnibus in V.T. & sacrificiis, qvæ per se nullum peccatum auferre poterant, Christus verò suo sanguine verè peccata expiavit, ut pluribus explicat Epistola ad Hebræos c.9.& 10. Deniq; suppeditat consolationem & ἔλεγχον: illam, qvod verè simus placati, ut verè Christus nostras pœnas exsolvit: hunc, qvod Deus non maneat ex parte iratus, ut dicunt Pontificii, qvi propterea satisfactionibus nostris locum relinqvunt.

Christus verè est passus,

peccatum q; expiat.

Secundum & qvintum vocabulum opponendum iræ Dei nos terrefacientis ob nostra peccata h.m. Deus, scio, mihi deberi ob transgressiones omnis generis mala, temporalia & æterna: Verum cum Christus meo nomine illa omnia pertulerit in suo corpore, mihi non denuò impones, cum ab eo solvere qveam, qvod debeo. Dixisti Adamo, morte morieris; &c. hic alter Adam omne genus mortis h.e. calamitates, miserias ac deniq; dissolutionem animæ & corporis pertulit, & est jam nostrum ἱλαστήριον Rom.3,25. in suo sanguine.

Christus pro nobis passus.

CAP. LIII.

Verus Messias.

Tertium vocabulum nos I. iterum deducit ad typos V. T. & per eos ad mundi salvatorem unicum. Brevitatis ergo inspice Rom. 8, 3. Galat. 4, 4. 5. ipse solus est semen promissum Genes. 3, 12. 15. 26. 28. capp. ipse est fructus ventris Davidis 2. Sam. 7. ipse puer nasciturus Esa. 7, & 9. ipse Agnus DEI Joh. 1, 29. in quo solo est salus Actor. 1, 12. cui omnes Prophetæ testimonium perhibent Actor. 10, 43. quod per ejus gratiam omnes salventur credentes Actor. 15, 9. 11. Joh. 1, 14. 16. Deinde Pontificios refutat, qui ipsi suis operibus laboriosis se volunt salvare: Photinianos, qui volunt salvari piâ vitâ, in qua Christum saltem imitentur, quod ipsi vocant credere.

Refut. Pont. & Phot.

Onus gravissimum.

4. & 6. Vocabulum inserviuntur ad doctrinam, ut discamus, quàm grande onus sit peccatum nempe illud, cui ferendo non est ulla creatura, cum sit offensio infinitæ justitiæ. Rom. 8, 3. Actor. 15, 10. (à minus ad magis) & quod solum portare potuit ipse Deus Joh. 1, 29. 1. Pet. 2, 24. confer Es. 44, 17. 18. Jer. 23. 5. 6. II Ad consolationem, si Christus tulit & portans in suo corpore expiavit peccata nostra, nos per ejus gratiam salvamur Joh. 1, 14. 16. Eph. 1, 6. & 2, 7. 8. III. Ad ἔλεγχον, Photin. in primis, ut suprà ostensum. IV. Ad instructionem, si peccatum est tam grande onus, quod deprimit ad inferos eum, à quo Christus illud non derivat in se fide apprehensus Rom. 4. caveamus illud diligentius, & hic omnes pœnas in lege denunciatas nobis in memoriam revocemus. Ex reliquis illa potiss. sunt notanda 1. Dei, quam erga peccatum concipit, iræ veritas, quæ tanta, ut etiam unigenito filio non pepercerit, sed ipse eum, pro genere humano se

DEI ira.

se offerentem, percussérit, ut ex Psal. 22. & 69. etiam constat: eum non tantùm ἔδωκε Joh. 3, v. 16. sed & παρέδωκε Roman. 8, 32. tradidit, nempe Judæis & gentium libidini ad tempus exposuit, qvi alias nil juris in eum habere poterant, confer Joh. 18, 6. Luc. 22, 53. Joh. 19, 11. II. Cruciatuum, qvos Christus pro nobis pertulit, diritas, dum dicitur in se suscepisse nostras infirmitates, & dolores corporis ac animi, item plagâ affectus, à Deo percussus & gravis. afflictus, qvibus omnibus constat de λύτρῳ nostri preciositate, de qvo Matth. 20, v. 28. Rom. 3, v. 24. 25 1. Tim. 2, v. 6. Tit. 2, v. 13. 1. Pet. 1, 18. 19. III. Harum passionum utilitas, de qva etiam Petrus valdè emphaticè 1. Petr. 2, 24. cujus vibice estis sanati. Nos eramus morbo originali corrupti, actuali peccato contaminati, & propterea animo ac corpore ægroti: Christus verò verus medicus hæc omnia sanat Psal. 103, v. 3. confer hæc dicta Matth. 8, 12. 13. & 11, 28. Luc. 13, 32. Actor. 10, 38. morbos spirituales semper & in omnibus ad eum fide accedentibus, corporales, cum vult Matth. 8, 2. & in qvibus vult Luc. 4, 13.

Christi dolor.

Passionis utilitas.

Hinc jam ad qvartum membrum tractationis hujus versus progredimur, nempe, congruentem verè parallelorum in N. T. (nam qvod ad sensum & qvasdam phrases huc etiam pertinent Joh. 1, 29. 1. Joh. 3, 5. 2. Cor. 5, v. 21. de qvibus nunc non agemus prolixius) locorum autoritatem, & qvidem primò ad Matth. 8, 17. ubi qvia in præcedentibus omnino de morbis corporalibus & qvidem personalibus, qvos Christus in se non recepit, agitur, Photiniani illum tantum hujus dicti sensum esse voluit, & in hoc tantum non triumphant, cum unius loci tan-

Loci paralleli hujus versus.

Matth. 8, 17.

tan-

tum unus sensus esse possit. Sed missis pluribus plurimorum conciliationibus, cum D. Chemnitio in h. l. statuimus, qvod uterq; non primariò morborum ablationem respiciat, sed hic occasione hujus ad altiora nos velit deducere, I. ad causas morborum, qvæ sunt peccata. Sic inf. c. 9, 2. 5. 6. Joh. 5, 14. II. ad usum & finem miraculorum Christi, ut ostenderent, Christum esse revera illum, qvi peccata tolleret, ut Esaias prædixerat, atqve ita manet unus idemq; utrobiq; sensus. Nec obstat, ut impleretur, ubi sufficit, ut ostendatur personæ identitas per diversa, & ex effectus remotione causæ ablatio declaretur.

1. Petr. 2, 24. Ἀναφέρειν. Secundus locus est 1. Pet. 2, 24. ubi nota ἔμφασιν vocabuli ἀναφέρειν, qvod hic notat sursum tollere vel ducere Matth. 17, v. 1. Marc. 9, v. 2. & alluditur ad victimarum in V. T. elevationem in oblatione, ac ostenditur, qvod Christus victima pro mundi vita morti data sustulerit una cum corpore suo suspenso in ara crucis Joh. 12, 32. 1. Petr. 2, 5. Ebr. 7, 27. & 13, 15. Jac. 2, 21. omnia peccata, de qvibus hoc verbum deinde usurpatur h. l. & Hebr. 9, 28. tum scilicet, qvando delens Chirographum cruci illud affixit Col 2, 14. & qvomodo ac cur Christus in corpore peccata nostra ita tulerit, explicatur Col. 1, v. 22. NB & qvod ad phrasin, ferre in corpore vide 2. Cor. 4, 10. Gal. 6, 17.

Christum est exemplum. Si qvis verò nostræ hujus explicationis in dicto petrino causas sibi dari expetit, sciat, qvod textus συνέχεια illas indicet, cum Christus patiens ibi exemplum nobis proponitur, tum qvando injustè affligimur, qvæ ut contrahamus, ita habendum: Si Christus innocens, v. 22. patienter, v. 23. pro nobis passus est, ut nos redimeret & sanaret, v. 24. decet nos ejus exemplum imitari vers. 21.

ejus-

ejusq; hanc vocationem non negligere 21. & 25. sed propter conscientiam Dei perferre dolores, patiendo etiam injustè v. 19. sed illud E. & hoc. Ubi nota subordinata non pugnare, qvod videlicet Christi passio sit 1. pro peccatis nostris satisfactio. 2. Exempli, qvod imitemur in vita, propositio, ut per patientiam in cruce eum seqvamur. 3. instructio, ut peccatis mortui justitiæ vivamus, ne uno posito alterum omnino excludi & hic Photiniani clamitent. Atq; ita hic etiam idem sensus est, qvi in Propheta notatur 1, qvis tandem sit passus, nempe ipse θεάνθρωπος Christus, vide vers. 21. 2. causa impulsiva, ob qvam seu cur, peccata nostra. 3. Secundum qvam naturam, nempe humanam, cujus est corpus. 4. locus ubi, in ligno crucis. 5. modus, dum ipse secum in hanc illa exaltari & hæc affigi voluit. 6. caussa finalis, qvid in nobis spectarit, nempe ut salvaremur & sanati morbos caveamus, peccato mortui, viventes justitiæ. Ubi si velis etiam illam similitudinem explicare, qvod qvemadmodum Christus se obtulerit Patri προσφορὰν καὶ θυσίαν Eph. 5, 2. ita & nos decere, ut non tantùm Patri preces & alia grata pietatis officia per Christum offeramus 1. Petr. 2, 5. sed potius ut & ipsa corpora nostra hostiam vivam, sanctam, placentem Deo, & rationalem cultum jugiter offeramus Rom. 12, 1. à vero, & scopo hujus loci nil aberraveris. His omnibus ex D. Riveto libet hæc subjicere: Qværitur jam, num illud hominum judicium, qvando existimarunt *Christum plagâ affectum, DEI percussum, & gravissimè afflictum, ac humiliatum à DEO*, non fuerit verum? certè si materialiter, ut ita loqvar, consideretur, verum fuit aliqvo modo. Nemini enim

& donum.

Analysis 1. Pet. 2, 19. &c.

Q. qvale hoc judicium. R.

pio dubium est, qvin hæc omnia acciderint Christo ex dispensatione divina, & Deum Patrem de Filio sumpsisse pœnas: sed errabant illi homines in judicio suo, ut sic dicam, formaliter, qvia veram hujus rei causam ignorantes, falsam substituebant. Sic non errant materialiter, qvi de martyre aliqvo dicunt, qvod inter sceleratos reputetur, sed errant formali errore, qvia non judicant de causa, qvæ martyrem facit, & qvæ omnem infamiam aufert supplicio. Sic homines, qvales sunt Judæi, qvi Christum etiamnum עלוי (malim legere, qvia puto esse saltem mendum תלוי) suspensum appellant, non errant in genere supplicii, sed in eo, qvod existimant, insignem fuisse peccatorem & seductorem, eaq; de causa à Deo singulari aliqva plaga percussum. Nec est, qvod ignorantiam suam prætexant, cum affectata fuerit, qvia ex innocentissima ejus vita satis colligere potuerant, nullum crimen fuisse in eo Matth 27, v. 24. Joh. 18, v. 38. (vide suprà Comm. in Psalm. p. 243. 263.) Qvum ergo innoxium hominem pœnas dare intelligerent eorum, qvæ non admiserat, aut saltem intelligere possent, cogitare debuerunt, aliqvid non vulgare in eo designatum esse, non autem judicare ex simplici eventu, qvod stulti faciunt. Jure igitur de perverso hominum judicio conqveritur Esaias, qvod tantarum afflictionum causas in Christo non reputent, præsertim verò suæ gentis hebetudinem deplorat, qvæ putavit Deum hostem infensum Christo fuisse, posthabito scelerum suorum respectu, qvæ hoc modo erant expianda. Hæc ille, qvibuscum confer, qvæ de omnium actionum & judiciorum κριτηρίοις, bonæne vel malæ sint, sunt allata in tractatu de Fœderibus ex Fran. Junio, & cum

formaliter falsum.

& cum Zach. 1, 15. tum Hos. 1, 4. & in Exercit. biblicis edit. 3. à pag 801. usqve ad 806. dicta, ac videbis, Duo cum dicunt, faciunt, patiuntur &c. idem, non semper esse idem, non qvod res sit diversa, sed qvod illi, qvi dicunt, faciunt, patiuntur, sentiunt, sint diversi. Confer etiam qvæ superiùs pag. 150. sunt explicata.

Vers. 8.) Sic igitur, qvid Christus nostrâ causa pertulerit, explicatum est: qvæ verò causa, ex parte nostra, impulsiva, & qvi finis? utrumq; subjicitur vers. 8. illa designantur peccata nostra, hic autem pacis & sanitatis restitutio. Suprà audivimus, qvod Christus infirmitates doloresq; in se susceperit & gravissimè sit afflictus, nondum sufficit ita verbis emphaticis exposuisse, adjungit porrò propheta aliud, *dolore afficitur ipse* חוא מְחוֹלָל, qvod præcedentibus adjectum id notat, non tam exqvisitum fuisse dolorem ullum, qvem non Christus senserit. Est enim à R. חוּל indoluit more parturientium, & qvidem satis diu (confer primùm חָלַל supra declaratum, & חָלַל vulneratus seu perfossus est, propter cognationem, qvò Lutherus sine dubio respexit, vertens, Er ist verwundet) cujus R. ἔμφασις ex locis scripturæ pluribus declarata est antea Joel. 2, v. 6. Mich. 4, 9, 10. Nahum. 2, 11. Hab. 3, 9. Zach. 9, 5. Ita autem Christus summis cruciatibus est afflictus מִפְּשָׁעֵינוּ *id est propter peccata nostra*, מ enim sæpè notat propter Psalm. 12, 6. Hobadj. v. 10. inf. v. 11. & פֶּשַׁע propriè designat defectionem seu rebellionem, qvando vasallus seu subditus deficit à suo domino 2. Reg. 3, 7. qvomodo hac voce in memoriam nobis revocatur, qvod in Adamo primo parente omnes contra Deum rebellaverimus Gen. 3.

חוּל

מ *id est propter.*

פֶּשַׁע

Rom. 5. & sic peccatum originis qvoq; Christo imputatum sit, ut ibidem declaratur pluribus vers. 15. 16. 17. 18. 19.

דָּכָא Deinde verò idem Christus dicitur מְדֻכָּא *attritus*, ut nihil sani est in verme pedibus attrito, vide Psalm. 22. confer cum נָכֶה, de qvo versu precedente. Qvamobrem verò מֵעֲוֹנֹתֵינוּ *propter iniqvitates nostras* qvascunqve.

עָוֹן עָוֹן enim qvamcunq; perversitatem seu ἀνομίαν 1. Joh. 3, 4. significat, notanturq; omnis generis actualia peccata. Hæc igitur omnia Christus in se suscipiens expiavit; qvomodo de fine salutari seqvitur, *castigatio pacis nostræ super eum, & tumice ejus fit curatio nobis*, Lutherus noster egregiè, die Straffe liegt auff Jhm / auff daß wir Friede hätten / und durch seine Wunden seyn wir geheilet.

מוּסַר מוּסַר est castigatio, qvæ fit, ut qvis erudiatur, sic Christus eo qvod nos in Adamo nolebamus amplius præceptis Dei erudiri, coactus est discere per castigationem hanc acerbam Heb. 5, 8 9. Sic etiam vox hebræa לִמּוּד qvæ doctrinam sonat, etiam dat nomen, qvod notat stimulum, qvia hic boum est eruditio, & eorum qvi ingenii tarditate ac pravitate asinis & bobus sunt similes, & ita Gallos uti nomine disciplinæ & verbo disciplinæ tradit D. Rivetus Gallus. Et dissidium erat per peccatum inter Deum ac homines, imò inimicitiæ erant ortæ Es. 59, 2. Joh. 3, 36. Rom. 5, 10. 12. Eph. 2, 3. Christus verò hac ratione nos reconciliavit 2. Cor. 5, v. 20. pacis autor Esa 9. Mich. 5, 5. qvomodo שָׁלֵם ejus typum qvendam gessit, qvod Domino templum in pace ædificavit. Nota

Pax. verò, qvod idiotismo linguæ sanctæ pax notet omnem prosperitatem, ut ipsorum salutandi formula indicat, & qværere de pace. Sive ergo pacem h. l. accipias pro qvie-

te

te & amicitia, illam Christus nobis peperit, sivè ut suprà Psal. 69,23. שְׁלוֹמִים pro retributionibus, id qvoqve verum est, qvod castigatio retributionum nostrarum sit super eum, id est, ipsi est impositum, qvod nos ferre debebamus; vide D. Rivetum p. 453. a. Sed anteqvam poterat hæc pax iniri, oportuit justitiæ Dei læsæ satisfieri, & Christum pastorem pro ovibus percuti Zach. 13,7. Johan. 10. & qvidem ita, ut haberet sup. vers. 7. tumicem seu vibicem longè maximam, qvæ hebræis appellatur חַבּוּרָה à חָבַר, id est, associatus seu junctus fuit, eò qvod ibi sanguis livibus congregetur. נִרְפָּא לָנוּ impersonaliter, ut hebræis sæpè dicitur, curatio seu medicina facta est nobis, de qvo genere loqvendi Buxt. thes. l. 2. c. 10. in anom. commun. 1. mihi p. 394. Ex D. Riveto addo hæc. Rupicam aviculam seu galgulum physiologi mediciq; consentiunt, si icterico admoveatur, morbum in se attrahere, coloreq; luteo infici, turgescere, emori, sicut cantaridi contingit sanguinem exugenti: sic pœnas nobis debitas Christus omnes in se derivavit, & livore suo nostrum sanavit livorem. Hæc ille, qvibus plura alia à medicis adhibita remedia similia possunt adjici, ut qvod in febri petichiali columbam applicent &c.

חַבּוּרָה

Loci doctrinæ possunt tractari isti I. Qvod si Christus pro Ecclesia acerbissimos dolores sustinuit, etiam hujus membra illius causâ vicissim laborem aut dolorem non deceat detrectare. *Patiamur & nos pro Christo.*

II. Qvod pro omnibus omninò peccatis originali & actualibus, etiam eo, qvod est in Spiritum S. satisfecerit, qvod est contra Pontificios & qvosdam Neotericos.

Castigatio Dei.

III. Quod si Christus passus est se castigari, ut nos redimeret, multò magis decet nos æquo animo perferre castigationem Dei paternam, quam immittit, ut nos à damnatione, quam cum mundo subituri eramus, eruat 1. Cor. 11, 32. Prov. 3 Hebr. 12.

IV. Christus pacem & sanitatem nobis restituit, Esa. 63, 1. Eph. 2, 14.

Vers. 9.) Idem ut tantò firmius memoriæ inhæreat, aliis atq; aliis verbis propheta explicat etiam in v. 9. ubi totum genus humanum introducitur, ut turba exitiabilis, & Christus ut victima piacularis. Ibi probè notanda subjecti, hic adjuncti sive objecti universalitas, siqvidem ibi omnes omninò homines aberrasse, hic Christus omnia omninò omnium peccata expiasse dicitur. *Omnes nos* inqvit propheta, per qvandam κοινοποίησιν verisimam, qvi qvidem fuimus, sumus aut erimus, nemine excepto Psal. 14, 3. Rom. 3. à v. 10. usq; ad 23. inclusivè, 1. Reg. 8, v. 46. *ut ovis erravimus* (confer Psalm. 119, v. 176. Matth. 15, v. 24. & 9, v. 36. Luc. 15, 4. 1. Petr. 2, v. 25. & inprimis Ezech. 34, v. 4. 8. 16. 17. 20. & videbis etiam qvasdam, qvæ oves erant & vocabantur, perire penitus, qvod hodie qvidam negant (atq; ita Calvinianis favent etiam inscii) de stultitia autem ovis consule eos, qvi de naturis animalium scripsere, & inprimis D. Franz. Etiam adi Aristotelem de natura animalium lib. 9. cap. 3.

Ut ovis erravimus.

Sed qvi est mos scripturæ, qvod dixerat per parabolam & impropriè, nunc propriè stylo scripturæ exponit, *qvisqve in viam suam nos convertimus*, id est, ad actiones & rationes ipsi saltem placentes se recipiebat & pera-

peragebat mala. (Vide in Psal. 1, 1. & Com. in Hos. 14, v. 9. p. 501. & h. l. Comm. D. Riveti.) *At Jehova* nostri misertus *fecit*, ut agnus redimeret oves, & Christus innocens patri reconciliaret peccatores, fecit, inqvam, *ut incurreret in eum*, Christum scilicet servum suum sup. vers. 1. *omnis omnium nostrum iniqvitas* & propter eam pœna huic debita, ubi vox פָּגַע ut h. l. usurpatur, notat hostilem incursum, qvi fit animo perdendi, Exod. 5, 3. Num. 35, 19. Jos. 2, 16. Jud. 8, 21. & 15, 12. ut neqve hic habeant, qvod jure objiciant Photiniani, qvi totam constructionem invertunt, qvasi Christus tantùm incurrerit in iniqvitates, easqve è medio per potentiam suam removerit. Confer Psal. 110, v. 7. & bibere ac aqva, qvid notent in scriptura, confer suprà pag. 259. 370. Vide etiam qvæ de varia significatione verbi פָּגַע & sensu ejus in hoc capite dicta in Exerc. bibl. pag. 778. 779. 780. & ibidem insertam tabulam, Socinum h. l. refutat etiam Rivetus.

פָּגַע

Loci Communes.

I. Disconda hic nostra redemtorum & à Deo ante aversorum indignitas, Dei patris in nos benignitas, & Christi pro nobis afflicti caritas. Vide hæc juncta Rom. 5, 8. 10. 11. 1. Joh. 3, 16. & 4, 9. 10. unde qvid idem ibidem concludat, adjice, nempe ut proximum etiam diligamus vers. 11. *Dilectio Dei & nostra.*

II. Habetur hic universalitas meriti Christi omnibus acqvisiti, contra Calvinianos qvod est notandum.

Vers. 10.) Deniq; in hac secunda parte modus ostenditur

ditur, qvo Christus pertulerit ista omnia, de qvibus hactenus, nempè summâ innocentiâ & patientiâ v.10. ubi in veteri translatione latina est qvidem pia sententia, *Oblatus est, qvia ipse voluit*, vide D. Riveti conciliationem & ἐπίκρισιν p. 456. b. (ut Lutherus in eum locum expressè scribit) & ex Psal. 40,7. Hebr. 10, v. 9. Esa. 50,5. firmiter probanda, sed qvia textui hebræo non congruit, bona cum pace dimittenda. Probabilior est conjectura D. Brenzii & D. Schilteri p. m. qvi existimant lectum fuisse pro נָגַשׁ נִגַּשׁ, pro נַעֲנֶה, נָעֲמָה: minus probabilis in posteriori verbo Musculi, qvi putat lectum esse sine punctis יֹאבֶה ab אָבָה voluit, tribus literis immutatis, unde discamus versionibus solis non facilè credere, sed textum authenticum consulere. Lutherus tamen satis bene vertit. Sed ad rem & verborum proprietatem, qvæ in his verbis satis egregia. *Exigitur*, inqvit propheta. נָגַשׁ notat, exegit tributum aut creditum, & qvidem sæpè cum magna violentia, ut solent exactores publici. Vide qvæ dicta sunt Zach. 9,8. & in voce passiva, 1. Sam. 13, v. 6. convenit cum græco, qvod ex persico (qvod & ipsum cum hoc hebræo cognatum) ἀγγαρέυειν, vi cogere, qvalis vis solet adhiberi vel debitoribus in exigenda solutione, vel mancipiis in exigendis operis servilibus, & verbo latino cognato angustandi, ac germanico ängsten reddi commodè potest. Estq; hujus verbi usus hic longè maximus, qvia denotat, cum Christus in se sustulit peccata nostra sup. vers. 7. 8. 9. ab ipso magno cum rigore exactam esse pœnam, & solutionem illius debiti (id est peccati, scripturæ stylo, vide saltem Matth. 6, v. 12. & 18, v. 24) qvod nos, non ipse fecerat

נָגַשׁ

Ἀγγαρέυειν.

Psal.

Psalm. 69, 5. ipse enim solvit λύτρον Matth. 20, v. 28. & exsoluto debito delevit chirographum Col. 2, v. 14. *& idem* ipse est *afflictus*, qvod antea in alia conjugatione (nempè Pual.) v. 7. nunc in Niphal eadem significandi ratione dicitur. Has autem angustias, pressuras & afflictiones sustinuit innocenter (confer v. 12. finem) & patienter, qvod utrumq; exemplo ovis (à qva hîc in bonam partem sumitur similitudo. Vide saltem in Zach. 9, 15. L. c 3. & adde, qvod hæc similitudo sit ex communi proverbio petita, qvo significantur, qvi placidè & sine repugnantia ad mortem ducuntur Jerem. 12, 3.) declaratur. Nos fueramus ovi similes in malo, Christus igitur ovi voluit, imò agno immaculato esse similis in bono, qva de re Joh. 1, v. 29. 1. Pet. 2, v. 22. *non aperuit os suum, ut parva pecus, qvæ ad mactationem ducitur.* Ut enim hæc non admodum vociferatur cum impetu, aut ita ut exterrefaciat, ut bos percussus, leo captus &c. sic Christus non contradicit, non se subduxit, corpus suum exponit percussoribus, & malas suas depilantibus, faciem suam non abscondit à contumeliis & sputo Esa. 50, v. 6. *& velut ovis coram tonsoribus suis obmutescens, sic* Christus *non aperuit os suum*. Comparationis hujus (cùm resipsa facilè qveat intelligi, ulteriori declarationi hic non immorabimur) membra potissimùm hæc sunt: I. Ut tonsor agnum vel ovem subigit & detondet, lanio vitam eripit: ita lex, imò Deus pater hunc agnum, qvi se pro mundi peccatis offerebat, in passionibus affligit, imò in ara crucis mactat. II. Ut ovis nihil virium habet contra utrumq;, sic ad tempus divina illa omnipotentia in Christo qvievit, ut ipse in carne posset pati & mo-

Christus ut ovis.

1.

2.

mori. Ponit enim animam suam & resumit post tri-
3. duum, Johan. 10. & 2. III. Sicut ovis innocenter ac pa-
tienter omnis generis injurias perfert, ita Christus Phil.
4. 2, vers. 8. 1. Pet. 2, 23. 24. IV. Qvando victima erat jam mactata & Deo oblata, typicè peccatum erat expiatum, ita etiam agno hoc jam morti tradito, Deus est placatus, justitia humano generi injusto, & vita mortuis reparata 1. Cor. 5, 7. 8. Hebr. 9, 13. 14. nempe ratione satisfactionis & acqvisitionis, ubi restat hominum fidelis applicatio 2. Cor. 5, 18. 19. D. Rivetus prolixè & egregiè explicat, cur Christus agno h. l. conferatur, & qvidem se sponte offerenti, non reluctanti, & notat Johanni Evangelistæ cap. 1, 29. mirificè vocem agni de Christo usurpatam placuisse, unde etiam ad minimum in Apocalypsi eam trigesies inculcet. Adi Commentarium, si placet, pag. 457.

Debitum duplex. D. I. qvod Christus pro nobis solverit λύτρον, & debitum rigidum, lex qvod exigebat, nobis verò propterea incumbit debitum gratitudinis Rom. 8, 11. 12. & 13, 8. non igitur credentes sunt sub lege Rom. 6, 15. Gal. 5, 23. 1. Tim. 1, 9. sed in lege 1. Cor. 9, 21.

Simus patientes, II. Si Christus fuit ita patiens, etiam nos oportet esse patientes erga Deum in cruce Thren. 3, 39. 40. & proximum, & condonare fratribus, si qvid contra eos habeamus 1. Petr. 2, 1. Joh. 3. & 4. capp. vide Matth. 5, 25. & 18, 21. 22. 35. Hinc enim æstimandum, qvid amori Christi se pro nobis ita tradentis ex dilectione summa, rursum debeamus, unde toties ille inculcatur amor Galat. 2, 20. Eph. 5, v. 2. Apoc. 1, 5. & inprimis 2. Corinth. 5, v. 14. 15. NB.

II. At-

Atq; hactenus secunda hujus capitis pars, in qva de passione Christi cum ejus causis actum, qvæ omnia ad hæc capita redigi possunt. I. est nostrarum infirmitatum multitudo & noster languor. II. iræ divinæ contra peccatum magnitudo & justitiæ divinæ rigor. III. humani generis in peccatis morientis ingens miseria. IV. Dei Patris Filium suum unigenitum tradentis pro ea ardens misericordia. V. Christi patienter tanta mala pro nobis sustinentis φιλανθρωπία, bonitas ac humanitas. VI. nostra in eum credentium ex ejus afflictione profluens σωτηρία ac sanitas.

Summa superiorum in secunda parte. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Tertia Pars.

Vers. 11.) Seqvitur tertia hujus capitis pars, in qva de statu exaltationis Christi, ipsius gloria, & bonis nobis in statu exinanitionis per passiones & mortem partis agitur, siqvidem ipse à miseria ad summam beatitudinem, ex ignominia in gloriam, ex temporali passione in vitam æternam ingressus est Luc. 24, 26. qvæ omnia etiam breviter primùm prolepticè proponuntur, deinde verò aliqvantò prolixiùs exponuntur, nempè in hac antithesi, ignominia & injuria, qvam pertulit in fine v. 10. toto 12. & in princip. v. 13. gloria verò insecuta ac bona parta, qvæ ex illo duello cum morte peperit & nobis retulit v. 13, 14. 15. atq; ita abunde scandalo, qvod ex Christi passione poterat oriri, occurritur, dum finis gloriosus ostenditur. Proleptica autem propositio his verbis continetur, *A coarctatione & à judicio tollitur* seu eximitur, *at* (contrà) *durationem ejus qvis enarrabit?* Miseria qvam pertulit, duobus vocabulis denotatur,

& seqventium in parte tertia.

עֹצֶר prius est עֹצֶר, id est, occlusio, coarctatio, qvalis fit in carcere, unde qvis egredi prohibetur, sed ad alterius imperium ac nutum detinetur: posterius מִשְׁפָּט, id est, judicium, & qvidem h. l. id, qvod judex coram tribunali exercet, & sententiam juste de reo pronunciat, & notatur, qvod cum Christus pro nobis factus erat sponsor, Deus meritò ipsi vice & loco nostro omnis generis angustias, contumelias, verbera, mala ac deniq; mortem imposuerit, eumq; coram tribunali suo in judicium vocatum ad tempus tanqvam in malorum carcerem compegerit, in qvo ad ejus nutum, dum satisfieret justitiæ divinæ, detineretur, donec pœnâ, qvam nos debebamus, exsolutâ, & obedientiâ, qvam lex reqvirebat, præstitâ, inde divinâ suâ potentiâ eximeretur liber, & nos ita in libertatem vindicaret. Cogita hîc jam Dei iram, legis maledictionem, Satanæ truculentiam, Pharisæorum & militum tyrannidem, mortem, inferni dolores &c. Et confer Josephi carcerem & inde productionem Gen. 41. Simsonis obsessionem ac perruptionem Jud. 16. Jonæ in ventre balænæ detentionem & ex eo liberationem Jon. 2. Matth. 12. Franciscus Junius & cum eo Rivetus (hujus Comment. inspice pag. 459. b 460. a.) occisionem Christi his verbis significari non dubitant, & voce, *sublatus est*, etiam ipsum genus supplicii ignominiosum, puta crucem, indicari in Johan. 12, v. 32. 33. sed ob textus cohærentiam, proprietatem verbi hebræi לָקַח & consensum interpretum prius mihi magis placet. De verbo לָקַח vide saltem Genes. 5, 24. 2. Reg. 2, 9. 10. Ezech. 24, 17. Jon. 4, 3. (qvæ notat ipse Junius ad primum locum) & videbis, non de mali immissione, sed liberatione ex eo agi.

מִשְׁפָּט

Typi Christi.

agi Sic Jer.29,22. Esa.52,5. alia est ratio ob constructionem, & tamen non illud notat, qvod vult Junius. Sed expendatur.

Ex his discimus I. qvod peccata sint velut debita, ob qvæ in judicium vocamur, carcerem conjicimur, &, nisi filius nos liberaverit, æternùm constricti manemus. Confer Psal 143,2. Matth.5,25.26. & 18,34. 2. Petr.2,4. epist Jud. v.6. Joh.8,35.36. Christus verò credentibus jam vincula mortis & inferni perrupit Actor.2,24. & 13,37.38. & libertatem attulit Rom. 6.

Peccata sunt debita,

à qvibus liberat Christus.

& à morte.

II. Qvod in morte non manserit, ut ibidem Paulus ostendit & 1. Cor. 15. & proinde neq; nos, qvi ejus membra per fidem reddimur, in morte manere possimus, ibidem.

III. Nil præsidii hic habent Pontificii pro suo limbo patrum, siqvidem illa coarctatio hic intelligitur, qvæ 1. Christo soli competit, & 2. qvæ cum judicio conjuncta, 3. unde ipse est exemptus 4. qvæ per ταπείνωσιν Christi Act.8,33. exponitur, qvæ certè illi limbo patrum excogitato non benè qvadrant. Gloria verò, in qvam exacto passionum suarum curriculo Christus introiit, hic in proleptica propositione synecdochicè indicatur his verbis, *at durationem ejus*, nempè Christi, de qvo in præced. & seqq. *qvis* ullo modo vel cogitando vel dicendo *assequetur* (siqvidem verbum שׂוּחַ & cogitare & loqvi denotat) Lutherus noster egregiè, Wer wil seines Lebens Länge aussprechen? ubi primum ex idiotismo linguæ sanctæ nota, hac interrogatione negativam responsionem hanc innui, nullus omninò in hac vita. (Confer qvæ dicta sunt suprà vers.4.) Deinde vocabuli דּוֹר ἔμφασις ex lati-

Rejicitur limbus patrum.

דּוֹר

latina voce, durare, qvæ inde facta, liqvet, & ita accipitur Psal. 49, 20. Esa. 34, 10. qvæ deinde etiam ætatem seu generationem aliqvam, id est, homines unà viventes ac durantes denotat, eaq; vox ambigua cum esset olim in textu latino, hinc factum ut patres tantùm versionibus utentes qvidam de divina natura Christi, qvæ ab æterno ex patre est, qvidam de humana, qvæ in tempore certo cœpit, ex virgine, utraq; mirabili & inenarrabili modo, sint interpretati (vide Schilter. h. l. Web. in scrut. script.) sed non satis rectè ad hujus loci prophetici sensum, licet ipsa res sit verissima, & alibi in scriptura fundata Psalm. 2. Prov. 8. Luc. 1. & 2. Esa. 7. Alii aliqvantò propius ad rem accedunt, & intelligunt ipsum semen Christi seu pios ex eo nascituros: sed qvia de his infrà v. 13. 14. & hic ἀνάθεσις aliud innuit, per durationem Christi ipsius vitæ æternam gloriam ac majestatem nullis seculis terminandam intelligimus, qvia sequitur, qvod qvidem ex hac vita propter peccata hominum sit ablatus, sed in aliam æternam post resurrectionem ingressus, ubi mors non amplius ipsi dominatur Rom. 6, vers. 9. 10. cui consentit symboli apostolici articuli secundi Catechetica Lutheri interpretatio. Et decet Christum regnare in seculum, ita ut regni ejus non sit finis Luc. 1. 1. Cor. 15. Qvis igitur æternitatem seu durationem, per qvam deinceps Christus perfruetur sua majestate ac gloria, explicabit? Ita omnino mecum (qvi hæc publicè prælegi ante annos octo) explicat D Rivetus Comm. p. 460. b. qvi prodiit anno 1625. & addit, cum nomen דור significet ætatem aut tempus vitæ hominis, concinnè brevitati vitæ humanæ, qvam qvisq; potest enarrare, opponitur æter-

qvid h. l. non notet,
1.
2.
3.
qvid notet.

æternitas durationis Meſsiæ. Hæc eſt ſimplex & genuina interpretatio, qvi vitam egit brevem, qvi in ipſo ætatis flore ſublatus eſt, quàm diutiſsimè, id eſt, in æternum vivet.

Chriſti reſurrectio.

D. I. De Chriſto, ut prædictum, qvod non tantùm eſſet moriturus, ſed & reſurrecturus, eſſe impletum, qvorum vaticiniorum ac teſtimoniorum libri prophetarum, Evangeliſtarum ac Apoſtolorum pleni.

II. Ut Chriſtus æternùm vivit, ita & Chriſtiani, qvia hoc rogavit ipſe Joh. 17.

III. Hinc admoneantur pii, etiam in hac vita poſt regenerationem eſſe bonis operibus ſine defatigatione ſtudendum Rom. 6. Gal. 6, 8 9.

IV. Qvando ne qvidem cogitatione aſſeqvi aliqvem poſſe Chriſti gloriam dicitur, qvod illa ſit infinita, hic innuitur, alibi verò expreſsè probatur.

Non multi ſenſus unius loci.

V. Non eſt qvod ex h. l. & ſupr. v. 7. Pontificii ſtatuant eſſe plures unius loci ſenſus, qvia non eſſe, niſi unum verum propugnamus, licet expoſitiones varias illi afferant, qvæ ſunt piæ hominum cogitationes, non tamen in his locis ſcripturæ analogæ, ſcripturæ importatæ ex mala verſione, non autem ex textu authentico probè excuſſo reportatæ. Non igitur reprehendimus illud patrum ſtudium: ſufficiens tantùm eſſe ad verum ſenſum ſcripturæ dandum negamus, & juxta Apoſtoli monitum 1. Cor. 12, 31. dona (inter qvæ etiam interpretatio) potiora cum æmulatione affectamus, ut ibidem capite 14. declaratur pluribus.

Abſolutâ prolepticâ propoſitione, uberior utriusq; membri ac ſtatus iterum ſubjicitur expoſitio, & qvidem,

dem, qvæ illa coarctatio, qvousq; se extenderit, & unde provenerit, declaratur, qvia *abscissus est de terra viventium*, *ex defectione populi mei plaga ipsi scilicet est*, in membro priori pœna, in posteriori culpa indicatur, & qvidem verbis etiam satis emphaticis. Nam qvod ad primum נִגְזַר est à tali Rad. qvæ notat propriè secuit, abscidit, dissecuit in frusta velut lignum, aut aliam rem solidam. Metaleptice autem, qvia lignum solet frangi in sententiis decernendis, & præcipuè in criminalibus, significat decrevit, ita ut revocari neqveat. Exempla vide in priori significatione Gen. 15, v. 17. 1. Reg. 3, 25. 26. 2. Reg. 6, 4. Hab. 3, 17. Psalm. 136, v. 13. in posteriori 2. Chron. 26, 21. Esth. 2, 1. Job. 22, 28. ex utraqve verò significatione oritur metaphorica, qvæ h. l. exscindi, è vita tolli. Sic Psalm. 88, v. 6. Thren. 3, 54. Estqve hic insignis locus de morte Christi, arboris vitæ, dum cadit ante diem violenter propter nos excisæ, ut nos qvi eramus arida ligna, ipsi inseri, & ex eo succum trahere possemus, ne igne inexstincto comburemur, qvò pertinet seqventium locorum collatio diligens Gen. 2, 9. Apoc. 2, 7. & 22, 2. Luc. 23, 31. Joh. 15, v. 2. 3. Matth. 3, v. 10. 12. (vide in Psalm. 1, 3.) conferri autem rectissimè cum hac phrasi potest illa Danielis c. 9, 26. Messias יִכָּרֵת exscindetur &c. qvibus verbis notatur, qvod ratione ætatis vel corporis sui impolluti non potuerit ita tolli, sed qvod ex justitiæ divinæ rigore sit è vita propter nos sublatus, qvod tamen & ipse voluit Johan. 10. Id enim intelligimus per illa verba ex vel *propter defectionem populi mei est plaga ipsi*, propter peccata hominum hæc patitur, ut suprà aliqvoties explicatum. Terra viventium in scri-

נִגְזַר

Christus arbor vitæ.

Dan. 9, 26.

Terra viventium.

scriptura vitæ hujus societatem denotat, & cum de piis usurpatur, Ecclesiam hanc militantem, qvam ipsi incolunt, dum sunt in hoc mortali corpore. Vide exempla Psal. 27, 13. & 142, 6. Esa. 38, 11. Estq; hæc phrasis prophetæ, abscindi de terra viventium, æqvipollens illi Christi apud Evangelistas usitatæ, relinqvere mundum, abire ad patrem &c. confer etiam Act. 8, 33. ἀἴρεται ἀπὸ τῆς γῆς ἡ ζωὴ αὐτοῦ. Reliqva verba, qvod ad emphasin, nempe נֶגַע v. 8. & נָגַע v. 7. suprà sunt explicata.

Notandum hic I. Deum patrem hæc verba de filio loqvi, id qvod indicat, cum dicit, populi mei, II. Tremellii & Junii explicationem esse frigidiorem, qvàm ut huic loco conveniat, cum illa, ex defectione populi mei est plaga ipsi, sic explicant, per improbitatem Judæorum qvi deficientes à Deo ex definito consilio & providentia ejus prodiderunt & abnegarunt Christum in conspectu Pilati, ut loqvitur Petrus Act. 2, 23. & 3, 13. Qvin etiam ex sensu ipsorum accepta Calviniani dogmatis aliqvid continet, qvasi Judæi ex Dei providentia coacti sint hoc facere, qvod neq; in Actis, neq; in bibliis alibi dicitur, ubi tantum asseritur, qvod de passione Christi fuerit definitum Dei consilium, hoc respectu finis optimi, illud respectu malitiæ Judæorum, qvibus Deus, ut semper in malo, ponit limites. III. Lutherus noster satis egregiè vertit. Qvid enim est illud? plaga est ipsi, nil aliud, qvàm plagis affectus est, da Er geplaget ward / & neq; hic est qvædam scripturæ falsatio à Judæis facta, neq; etiam obscurior textus, qvod utrumq; dum qvidam asserunt, scripturam sacram, & cum ea Spiritum S. injuriâ afficiunt. Et græci sententiam sic benè expresserunt, propter iniqvitates populi

mei adductus est ad mortem. Illa enim sententia unica est hujus loci, si præsertim antecedentia considerem[9], ubi מִן significat propter, & פֶּשַׁע defectionem totius generis humani à Deo in Adamo factam, & postea in omnibus & singulis continuatam, non verò defectionem Judæorum tempore Christi Jerosolymis viventium, & à Christo suo vero rege desciscentium, ac ad Cæsarem provocantium. Tantum poterat alicui dubium suboriri, cum h. l. habeatur לָמוֹ pro לוֹ, plurale affixum pro singulari, qvid hoc sibi velit, & num hic sit mendum. Possumus autem tutò hic statuere enallagen numerorum, cum in toto hoc contextu plaga imposita Christo uni sæpissimè dicatur, idq; tantò magis, qvod aliàs de re excellenti pluralis numerus pro singulari, etiam de una re in scriptura sæpè usurpetur in nominibus Mich. 5, 2. & verbis. Vide Buxt. thes. c. 2. & 10. & qvidni etiam in pronominibus? cum ipsa loco nominum ponuntur, idq; tantò magis hic locum habet, qvod & Christus sit excellentissimus omnium, & hic sustineat omnium hominum vicem, qvod mysterium si hac enallage indicari dicamus cum Dn. Brentio, à vero non aberrabimus, q. d. plaga ipsi Christo, imò in hoc ipsis hominibus omnibus, ita tamen ut solus Christus pro istis illam sustineat, postqvam in se derivavit onus peccati, & plaga est ipsi propter plagam ipsorum seu ipsis debitam. Vide Exerc. biblic. edit. 3. p. 598. 599.

Christum pro nobis mortuum,

Loci doctrinæ hic continentur I. Christum verè esse mortuum, idq; secundum scripturas 1. Cor. 15, v. 3. qvod inservit ad doctrinam de veritate comminationum divinarum. Eò enim, qvod dictum erat Gen. 2. qvâ die comederis, morte morieris, oportebat Christum pro nobis

mori

mori Luc.24,46.ut nos à morte redimeret: Et ad consolationem, cum Christus mortuus sit & resurrexerit, nobis mortem pœnam non amplius futuram, qvi sumus in Christo Rom.4,25.Phil.1,21.Johan.5,24. & 11,21. Etiam Christus ex hac terra viventium abscissus est, ut nos verè viventium cœtui insereremur.

II. Passionis Christi vera causa iterum inculcatur, nempè peccata nostra. Ipse enim in se erat innocens, ut seqvitur v.12. Et hic declaranda est meriti Christi universalitas, siqvidem ad omnes illos se extendit, qvi peccaverunt in Adamo. Confer Rom.5,15. 1.Cor.15,21.22. pro qvibus *omnibus* redimendis unus Christus est mortuus 2.Cor.5,15.Hebr.2,9. *propter peccata nostra.*

Vers. 12.) Seqvens autem versus ob expositionum, qvæ ferè innumeræ, varietatem est valdè controversus, qvibus omnibus suo loco relictis, ipsum textum, ejusq; cohærentiam rimabimur, verumq; sensum ita (si qva ratione eum indagare possimus) venabimur. Dixerat propheta, qvod ob defectionem seu peccatum populi sit Messiæ plaga, atq; ita qvod abscissus sit de terra viventium. Ne qvis igitur putaret, Christum vel invitum hoc fecisse & contra suam voluntatem fuisse abreptum, aut meritò ob aliqvod facinus ita fuisse à Deo & hominibus tractatum (qvomodo fructus omnis passionis exspiraret, ad qvem tamen declarandum in seqq. accedit Esaias) utriq; opinioni falsæ nunc occurrit, eamq; removet. Et priori qvidem ita occurrit, *qvi*, nempè Christus (vau verò pro relativo poni, alibi prolixè probatum est. Vide exempla Psal.5,12. Amos 1,4.7.10.12.) dedit, tradidit, ut seipsum totum pro defectoribus (qvod ex *Occurrit objectioni tacitæ.*

passionis historia & præcedentibus liqvet) ita etiam *exposuit cum improbis sepulchrum suum*, & *cum divite* se exposuit *in mortes suas*, hoc est, voluntariè se obtulit ad flagellandum, crucifigendum, moriendum & sepeliendum; non secus ac si ipse fuisset improbus, ita inter eos ab hominibus hæc mala eum perpeti videntibus reputatus est, atq; ita cum eum mori viderent (mors autem est peccati stipendium) more improborum, imò facinorosorum (cum qvorum duobus etiam crucifixus est) improbum eum fuisse falsò existimarunt. Sed & hanc contumeliam propter nos libens sustinuit, imò *cum divite* (qvi aut iniqvus aut iniqvi hæres) & plerumqve pessimo tyranno se exposuit *in mortes suas* omnis generis mala antecedentia ipsam sepulturam, qvomodo nil contorti vel in textu hebræo, vel in ipsa cohærentia, imò etiam cum his & versio Lutheri & Commentarius benè congruit. Nam si ita cum improbis exposuit sepulchrum suum externa specie simillimum, ist Er ja begraben wie die Gottlosen / & si se exposuit cum divite avaro & iniqvo in mortes suas (qvum ille meretur in se, hic Christus tantum sustinet in nostra persona) ist Er ja gestorben wie ein Reicher / der sein Thun auff Reichthum setzet. Qvemadmodum idem eadem in Comm. explicat, & pluralem numerum (mortes suas) propterea positum esse censet ut & varietas cruciatuum ac dolorum, qvibus Christus fuit affectus, atqve ita ac si variis mortis generibus fuisset exstinctus, qvi tamen semel tantum mortuus est in cruce, & inexplebilis cupiditas Judæorum occidendi Christum, qvi si potuissent vel decies illum occidissent, indicetur. Utrumqve ex scriptura ita potest probari,

Mortes Christi.

bari, ut ostendatur, qvomodo mortis vocabulum pro omni malo pœnæ peccati usurpetur. Vide Gen. 2, 17. & 3, 16. 17. 19. Exod. 10, 17. 2. Reg 4, 40. Psal. 18, 6. Rom. 5, 12. & 6, 23. 2. Cor. 11, 23. Junii igitur glossam hîc deserimus, & potiùs Brentii explicationem cum Lutheri b. m. conjungimus. Ille ex Rom. 6. explicat h m. qvod Christus sepultus secum improbos sepelierit, seu eorum peccata in sepulchrum detulerit, ut ibi tegerentur, & ut ipsi cum eo sunt mortui, sic & cum eo resurgente excitati in justitia vivant, qvæ sententia nostræ non est contraria, sed subordinata, & ut finis illius ex ea consequitur. Qvod verò particula אֵת sæpè notet idem qvod עִם seu cum, alibi pro nobis probent prolixiùs Buxt. thes. l. 2. cap. 12. reg. 1. Exempla vide hæc saltem 2. Sam. 15, 11. & 19, 37. 38. 39. Psal. 143, 2. Esa. 28, v. 15. Voluit itaqve Christus pro nobis perferre summam ignominiam & mortis truculentiam. Vide etiam de hoc versu in Exercitat. biblic. à pag. 600. usqve ad 605. Posteriori, si qvis putaret Christum tanta ac tot sua culpa passum esse, ita respondet, ut probet summam ejus innocentiam. Cur verò? (ita עַל pro מִן עַל vel לְמִן accipio interrogativè?) dicam: *non fecit violentiam*, חָמָס, (de cujus vocis emphasi cum alibi, tum Joel. 3, v. 19. Amos 1, 11. & 3, 10. Obadj. v. 1. 10. Jon. 3, 8.) ob qvam solent facinorosi improbi, & divites tyrannicè proximum exsugentes, si judices faciant suum officium, morte violentâ tolli, ac sepulturâ ignominiosâ affici, imò cum *neqve dolus sit inventus in ore ipsius*, qvali homine qvid potest esse in se innocentius, aut à peccato mundius? Sic Petrus 1. Epist. cap. 2. v. 22. ad hæc verba alludit, imò ipsa adducit,

אֵת i. e. עִם

confer 1. Joh. 3, 5. 2. Cor. 5, 21. Rom. 5. 6. 8. 1. Petr. 3, 18. Et sic h. l. Junii glossa locum etiam non habebit, qvasi eam ob caussam Judæi Christum occiderint, eo qvid violentiam non fecerit. Hoc enim unicum ipsi semper prætendebant, jam esse eum blasphemum, jam esse eum seditiosum, jam eum templum destructurum clamabant. Ad sensum Lutherus nobis astipulatur, wiewol EX niemand unrecht gethan hat / qvod etiam seqv. versus ἀνυθέσει probari potest, qvem, anteqvam locos doctrinæ indicemus, majoris evidentiæ ergo subjiciemus statim, siqvidem contraria juxta se posita magis eluceſcunt.

Vers. 13.) Ita autem incipit: *At Jehova delectatus est ipsum conterere, morboqve eum affecit, qvandoqvidem* seipse & *suam vitam sacrificium* pro reatu *exposuit*, qvod tamen in textu hebræo ex linguæ idiotismo ita habetur, qvandoqvidem exposuit se sacrificium pro delicto anima ejus, siqvidem תָּשִׂים 3 sing. fœm. ad נֶפֶשׁ omnino in constructione referendum, & non ad Christum, verùm sensus est idem. Ecce iterum hic vera causa per θέσιν superiori ἄρσει falsæ & imaginariæ causæ, qvasi Christus ob sua peccata aut malefacta hæc pateretur, subnectitur, ut suprà v. 7. 8. Nam ne objicias, si Christus non fecit violentiam, imò si ne dolus qvidem in ore ejus inventus, qvomodo igitur potuere tantum juris in ipsum habere Judæi & gentilis præses? occurrit iterum per anticipationem Esaias & sic rem decidit: *Jehova* Deus pater ipse ita eum tradidit sup. vers. 9, & ex justitia sua, cui filius se satisfacturum pro
חָפֵץ genere humano promiserat *delectatus est* (חָפֵץ namq; notat non simpliciter, qvod est אָהַב, sed cum summa delecta-

lectatione voluit) ſtudioſeqve hoc egit, ut poſſet eum ſuum ſponſorem & vadem *conterere* (Emphaſin vocis hebrææ vide ſupr. v. 8.) & hic eſt, qvi *morbo*, infirmitate ac paſsione tam multigena eum *afflixit*, vide ſup. v. 7. & 9. & juſtè, cùm vellet ſolvere pro aliis, qvod non rapuerat. Huc refer, ſed rectè applica illud noſtrum, Bürgen ſol man würgen. Aliàs homines in Chriſtum in ſe juſtiſsimum nil juris habuiſſent, qvod nunc porrò indicatur, *qvandoqvidem expoſuit ſacrificium* pro reatu *animam* & vitam *ſuam* imò ſe ipſum totum, hæc eſt cauſa, cur Deus, qvi nulli facit injuriam, ita potuerit æqvo animo non tantum ſui filii crucifixionem adſpicere, ſed & ſumma cum delectatione reſpectu finis, & juſtitiæ ſuæ ratione procurare. Vide 2. Cor. 5, 21. Rom. 8, 3. ubi ad h. l. apoſtolus reſpiciens Chriſtum ἁμαρτίαν, & Galat. 3, 13. ad effectum alludens κατάραν nominat, & ἔμφασιν vobis hebr. אָשָׁם qvæ h. l. extat indicat. Notat enim primò reatum peccati grandis, deinde verò ſignificat victimam ſeu hoſtiam pro peccato ex deſtinata malitia commiſſo, qvod græcè non inſcitè πάθημα, latinè piaculum diceres. Vide exempla qvàm plurima Lev. 4, v. 5. 7. 14. capp. voluitq; tam atroci voce, ſicut & Apoſtolus, indicare propheta & peccatorum pravitatem, Dei patris ſeveritatem ac Chriſti, qvi factus eſt ἁμαρτία & κατάρα pro nobis, caritatem. Etiam hoc, qvod hic ſolus unica verè ſit expiatoria victima, cum reliqvæ in V. T. fuerint ſaltem umbræ ac typi Heb. 9. & qvomodo in his hic unicus agnus ab origine mundi occiſus Apoc. 13, 8. Sed neq; in his Lutherus à nobis diſſentit in re, tantùm in diſtinctione, cùm hæc ultima refert ad ſeqventia, qvod & nobis

Chriſtus ἁμαρτία, אָשָׁם

non

non contradicit, qvia unum ex altero necessariò seqvitur: Textus tamen hebræi distinctio nobis magis favet. Utrum tamen qvisse qvatur, sententia verborum eadem manet.

Christus cur sepultus?

L. Doct. præter alios & hi possunt hîc tractari. I. Cur Christus voluerit sepeliri? I. ut ita constaret, verum ipsum fuisse hominem, vereq; mortuum. II. ut implerentur prophetarum vaticinia & V.T. typi Psal.16. Actor.2. & 13. confer Jonæ exemplum Matth. 12. Danielis abjectionem in foveam leonum &c. III. Ut morem sepeliendi mortuos suo exemplo confirmaret, qva de re in loco de sepultura. IV. Ut cogitemus nostra peccata non tantum esse crucia affixa, verùm etiam in cor terræ reposita & tecta, & ut nos cum ipso Christo resurgamus in vitæ novitate Rom.6.

Divites mali,

II. Qvod plerumqve divites sint improbi, avari, tyranni, iniqvi: unde propter avaritiam, luxuriam, superbiam & in opibus collocatam fiduciam hinc inde in sacris malè audiunt & difficulter in regnum Dei, imò dum tales manent, nunqvam ingredi qveunt, Job.10, v.3. & 39. Luc.6, 12.16. Matth 19, 23. Psalm.62, 11. & 49, 7.8.18. Job.31, 35. Luc.8, v.14. Thesaurum igitur potius colligamus in cœlo Matth.6, v.20.33. Simus divites in Deo Luc.12, 21. 2.Cor.8, 6. 1.Timoth.6, 17. & bonis operibus. Ibidem v. 18.

boni.

Christus mortem tulit.

III. Qvod mors omnis generis temporalis & æterna, malaq; omnia eam antecedentia à Christo pro nobis sint perlata: æterna qvidem, qvod ad dolorum intensionem, non qvod ad durationem, qvia in morte æternùm ma-

manere non poterat, tum ob unionis personalis gratiam tum ob nostram justitiam.

IV. Christi innocentia in factis, ac in dictis veritas nostræ vitæ labes & maculas ἐν λόγῳ καὶ ἔργῳ expiavit Johan. 8, 46. unde vel septies in passionis historia, summæ innocentiæ testimonium ei datum legimus. Oportet tamen & nos, qvantum fieri potest, his studere. *Innocens.*

V. Justitiæ divinæ meditatio sit ad peccata cavenda perpetua exhortatio. Si enim Deus propter aliena peccata ita afflixit filium, quomodo propter propria tractabit servum? *Dei justitia.*

VI. Christus contritus est propter nos, ne istâ carnificinâ pontificiorum cordis contritione, opus esset pœnitentibus, sed eâ, qvæ ex lege cum agnoscit peccata, dolet esse admissa, eaq; detestatur Ps. 51, 10. 19.

VII. Qvod solus Christus sit pro mundi vita victima cæsa, qvem omnia V. T. sacrificia adumbrarunt, qvippe qvæ per se peccata tollere non poterant.

Deniq; fructus passionis hujus multiplicis ostenditur multiplex, & in illo respectu Christi infinita gloria, respectu nostri, pro qvibus passus est, abundans justitia. Ubi observa, qvod iterum ob majorem majestatem introducatur Deus præter de filio loqvens, qvia ita ait de ipso: Qvando ille omnia illa perpessus fuerit, de qvibus hactenus, fine suo non frustrabitur, sed qvia propterea ipse est mortuus, ut genus humanum mortuum vivificet, & ipse filius DEI unigenitus homo factus est, ut homines filii DEI per eum fierent, Joh. 1, 12. 13. 14. postqvam ex mortuis resurrexit (qvomodo enim videret, si in morte maneret?) *Videbit etiam semen*, multosqve DEI filios, *Fructus passionis.*

qvos cum Ecclesia sua sponsa ex incorruptibili semine verbi sui & lavacro baptismi regeneravit 1.Pet.1,23. Joh. 3,5. Et cum jam sit minor angelis factus paulisper, gloria & honore æterno ipse coronabitur Psalm.8,6. Hebr. 2,7.8. ac cum suo isto semine (qvod qvidem non degenerat in zizania Luc.8. Matth.13.) *prolongabit dies.* Qvid multis? Qvicqvid Deus de generis humani salute decrevit ex immensa erga illud misericordia, id solus hic perficiet, *& delectatio illa Jehovæ* (hebr. יְהוָה, in initio hujus versus) *per manum ejus*, id est, per ejus servitium temporale, ejus solius opera ac potentia, qvod notat iste hebraismus, qvi etiam hic non est ociosus, *prosperabitur* feliciterq; succedet. Lutherus noster egregiè, des HErrn Fürnehmen (in margine, das ist / sein Wille und Werck das Er im Sinne hat / nemlich die Erlösung der Menschen) wird durch seine Hand fortgehen / beneplacitum illud Domini, ut Christus justitiam amissam reparet vita & morte sua, ex hac resurgat, & ecclesiam per totum terrarum orbem colligat, per Christi divinam potentiam & operationem perficietur.

Pij semen. L.C.I. Pii comparantur cum semine respectu originis. 1. Ut enim semen est ex grano in terram projecto, ita & pii ex Christo passo, mortuo, sepulto & resuscitato Johan.12,24. ubi ut Eva ex latere Adami dormientis, ita Ecclesia mater viventium ex latere & vulneribus Christi 2. morientis est ædificata. II. Similitudinis, ut semen simile est suo grano & frutici: ita & nos oportet esse Christo veræ viti, qvoad virtutes spirituales, & arbori 3. vitæ esse similes Johan.15,v.2. Rom.6,5. III. productionis, ut semen spargitur; ita verbum Dei, unde gignitur hoc se-

semen spirituale Luc. 8, 5. &c. Et idem ut pluvia ac rore cœlesti humectatur, sole fovetur: ita semen hoc, id est pii, verbi divini rore, Christoqve sole justitiæ augmentantur, & deniq; ut tandem sub messem colligitur in horrea: ita etiam pii in cœlestia tabernacula, Matth. 13, vers. 30. 39. 43. 4.

II. Est hîc vaticinium de resurrectione Christi, & de æterno ipsius regno, qvod cum ipso possidebunt fideles. *Christi regnum,*

III. Delectatur Deus vita, non morte morientis Ezech. 18. & 33. 2. Petr. 3, 9. 1. Tim. 2, 4.

IV. Inter alia etiam manus hoc notat, qvod ministerium verbi & sacramenta sint veluti Christi manus, qva Deus offert & confert seu dispensat sua bona in Ecclesia. Hac igitur manu nos regi & erigi patiamur. *& manus.*

Vers. 14.) Ad eandem Christi exaltationem pertinet etiam illud, qvod sequitur, qvod Christus ex miseria in beatitudinem, ex ignominia & injuria in gloriam summam intraverit, qva de re propheta ita loqvitur: *Ex labore & defatigatione animæ suæ videbit & satiabitur,* qvæ omnia, qvia sunt emphatica, priusqvam ad sensum, & L. doctrinæ progrediamur, singula examinanda accuratius. Primum præfixum ב h. l. respectu Christi non causam meritoriam, sed consequentiam notat, siqvidem illis afflictionibus Christus nil sibi, sed omne nobis promeruit, ut ex toto hoc capite liqvet (confer loca similia Psal. 110, ult. Phil. 2, 9. Actor. 20, 26. Hebr. 3, 7. 2. Petr. 1, 10.) & tamen Lutheri b. m versio bene potest subsistere, eaq; ex Tremelliana hactenus potest illustrari, postqvam exemtus est molestia & labore. *Christi gloria.* *ב notat h. l. post.*

עָמָל

qvomodo eadem particula accipitur Hos. 6, 2. מִיּוֹמָיִם post biduum. Deinde vocis עָמָל hæc vis est, ut non tantum laborem designet graviorem ac molestiorem, sed illum, qvi cum summa defatigatione & tædio subitur, ut sæpè in Ecclesiaste, ubi vitæ humanæ miseria & calamitas vel isto solo vocabulo explicatur hinc inde. Adde Psal. 90, 10. Tertiò nec illud ita sicco pede prætereundum, qvod non tam de labore & ærumna corporis, qvàm animæ h.l. agat propheta, qvod iterum enervans Junius malè vertit, seipsum, cum sit prius verbum in regimine & notatur, post summam defatigationem animæ suæ, in qva præcipuos dolores sensit, Christus videbit &c. Lutherus melius, darumb daß seine Seele gearbeitet hat.

Junius notatur.

רָאָה

i. e. frui.

Qvartò notandus est hebraismus notissimus, ubi רָאָה non tam de aspectu nudo, qvàm consequenti perfruitione accipitur, idem significat, qvod uti, percipere, sentire commodum, ut alibi sæpe prolixè declaratum. Lutherus innuit, dum vertit, wird Er seine Lust sehen / putà ut inde magnam voluptatem capiat. Qvintò verbum

Satiari.

satiari hîc etiam peculiari modo & stylo scripturæ usurpatur pro gaudio divino & potissimum in vita æterna abunde perfrui. Nunc confer saltem Psal. 16, v. 11. & 17, 15. & 22, 27. & 65, 5. & 91, 16. Sensus igitur horum verborum est: postqvàm Christus filius Dei per resurrectionem ex mortuis est declaratus Rom. 1, v. 4. & ad dextram Dei exaltatus, tum ipse filius hominis infinita gloria & bonis immensis erit ditatus, eaq; cum suis ex alto communicabit Actor. 2. Eph. 4, 7.

DEI ordo.

Unde discimus I. hunc esse ordinem a Deo institutum, ut ante honorem sit abjectio Prov. 15, 33. per angu-

sta ad

sta ad augusta Matth. 7. Luc. 24. Actor. 14. Israëlitas mare rubrum & Jordanem oportebat transire, per desertum vagari, anteqvam in terram sanctam intromitterentur: sic nos per mare calamitatum, ut Christus præivit.

Vita.

II. Vita qvid est? labor est, & habendi vana cupido,
Tristis ad extremum sollicitudo diem.

confer loca Eccl. 1,3.8. Esa. 2,22. Joh. 4,19. 20. & 14,1. 2,3. Psal. 103.14. Sap 5,9.10. Hoc enim prima maledictio importat Gen. 3,16. illam tamen in se propterea recepit Christus, ne in æternum noceret piis.

Christi animæ labor.

III. Sanctissima Christi anima qvando cum defatigatione nostra causa laborasse dicitur, infernales etiam dolores eam sustinuisse cum scriptura concludimus.

IV. Per passionem Christus pro nobis hujus lucis usura privabatur, per resurrectionem & ipse videt bona, & nos videre facit, qvi cum & in ipso resurgimus Joh. 14,19. Ps. 27, 13.

Vera satietas.

V. In hac vita ex omnibus creaturis conqviri-mus, unde satiemur, sed frustra: in altera Deus, ubi erit in omnibus omnia, in uno habebimus omnia, neq; præterea qvid desiderabimus. Ejus cum gustum aliqvem habebant Moises & Elias per 40. dies sine cibo & potu vivere poterant, & Petrus cum Johanne & Jacobo omnium rerum terrenarum obliti ibi saltem perdurare cupiebant.

Christi justitia partæ.

Porrò abundans justitia, qvam Christus sua passione & resurrectione nobis peperit, ita declaratur, ut & causa illius meritoria, & hujus effectus adjiciatur, nempe

nempe ita loqvitur Deus pater: *Servus meus* sup. vers. 1. *Justus* justitia naturarum propria, divinæ essentiali, & humanæ habituali, & personæ acqvisita, unus multos ex toto genere humano sibi meritum universale sup. v. 9. fide applicantes *justificabit* & à peccatis, qvod ad reatum condemnantem immunes faciet Rom. 8, v. 1. solâ fide seu *cognitione sui* בְּדַעְתּוֹ, ubi affixum vertendum esse passivè tota scriptura clamat Joh. 17, 3. Luc. 1, 17. 1. Johan. 4, 12. Jer. 9, 33. 1. Cor. 1, 30. 31. nec grammatica reclamat, siqvidem, ut in Hos. 13, 14. scribit Kimchi, affixa cadunt in agentem & patientem, seu, ut nos loqvimur, pro diversitate subjectæ materiæ modo activè, modo passivè significant, sic Esa. 56, v. 7. domus תְּפִלָּתִי orationis meæ, Psalm. 5, v. 8. בְּיִרְאָתְךָ in timore tui. Vide alia exempla Gen. 16, v. 5. Psalm. 35, 4. Thren. 3, 59. Esa. 26, 12. ut sanè falsa sit expositio Bellarmini libro 2. de justific. c. 3. p. 132. scientia sua, id est, doctrina. Hæc enim ex parte Dei est organon justificationis non ex parte nostra immediatè, & non omnes salvantur, qvi cognoscunt verbum Dei, Luc. 12, 47. Cum toto autem hoc loco confer Rom. 3, 24. 25. 26. & habebis luculentum horum verborum commentarium.

Affixum passivè vertitur.

Multi Dei servi.

L. C. I. Cum Deus multos alios servos habuit, Lothum, Abrahamum, Mosen, Davidem, promptos qvidem & fideles: justus tamen nullus per omnia inventus, præter hunc Messiam. Lothus incestum committit, Abraham simulat, Moses dubitat, David occidit Uriam &c. hic vero nihil mali fecit sup. v. 12. atq; ita hic servus Dei primo Adamo in justo opponitur Rom. 5, 16.

unus justus.

II. Per qvam rem coram Deo justificemur, hic satis

tis expresse docemur, nempe cognitione Christi. Cognoscere autem phrasi hebræa (ubi nomina notitiæ & affectuum notant consequenter effectum) est scire, amare, colere, adhærere, ut ita notitia assensus ac fiducia unica hac voce includatur. Qvisqvis igitur non amat Jesum Christum, est ἀνάθεμα μαραναθά, 1. Cor. 16. 22. & caritas Christi est omni notitia supereminentior, qvod Lutherus valde emphaticè, Christum lieb haben ist besser denn alles wissen/Eph. 3, v. 19. Dum autem illa cognitio tantum ex sacris literis hauritur, simul hic docetur, eas diligenter esse scrutandas & audiendas Joh. 5, 39. *Cognoscere Christum*

III. Christus pro omnibus omnino mortuus est, omnesq; ad vitam æternam redemit sup. v. 9. 11, 12. sed non omnes inde vivere incipiunt, qvia media ordinata negligunt, atq; ita multi ex omnibus justificantur, non ex aliqvo absoluto Dei decreto, sed ordinato, de qvo hinc inde Joh. 3, 16. 1. Tim. 2, 4. Joh. 1, 8. Actor. 17, v. 30. fidem enim qvia non omnes habent (qvem tamen habere, si vellent, ex serio verbi auditu aut meditatione poterant) condemnantur Marc. 16, 16. Joh 1, 12. & 3, 18. *Christus omnes redemit, multos justificat,*

IV. Causa justificationis nostræ meritoria unica est Christi innocens passio, ut supra aliqvoties declaratum. Confer typum hirci emissarii Levit. 16. Et particula ipse h. l. est exclusiva, qvod ipse Christus solus sit Salvator Act. 4, 12. Es. 63, 3. *suo merito.*

Unde vero hoc, qvod Christus fide apprehensus possit justificare? Seqvitur, *eò qvod ipse iniqvitates eorum bajulat* (de qvorum verborum ἐμφάσει sup. v. 7. 8.) qvas expiavit sua morte & passione ac justitiam resurgens reduxit 2. Cor. 5, v. 21. ubi cum Luthero malumus ita

ita vertere, qvàm cum Junio iterum, ni fallor, aliqvod Calvinianum dogma hîc occultante, qvorum iniqvitates ipse bajulavit.

Vers. 15.) In hoc versu habetur epilogus ac læta totius historiæ hactenus per prophetam descriptæ catastrophe, ubi breviter repetitur & qvid Christus fecerit, & qvid nobis profecerit, sed ὕστερον πρότερον, dum primò salutaris effectus explicatur, deinde verò causa subjicitur, qvæ anteqvam declaretur, notandum, qvod bis hic versus in N. T. allegatus & Christo applicatus sit, Marc. 15, 28. Luc 22, 37. ut non sit dubitandum de eo hic agi. De illo autem in hunc modum porrò Deus pater loqvitur. *Idcirco* nempe qvia pro mundi peccatis satisfecit sufficienter, & morte devictâ resurrexit, victoremqve se declaravit potenter, dabo partem vel *dispertiar ei in multos*, meritò ille tot tantaqve bona promeruit, ac à me DEO patre pro hominibus, & qvæ in illos conferat jure optimo accepit, ut in multos illa sufficiant, imò omnibus omnino satis essent, si modo ipsi non renuerant accipere, qvæ ut rectius intelligantur, conferenda sunt duo loca in primis Psalm. 68, 19. Ephes. 4, 8. qvibus etiam Lutheri versio non est contraria, dum ita effert: Darumb wil ich Jhm große Menge zur Beute geben/ nam in qvos conferuntur hæc dona, illi vicissim se Christo dicant & consecrant, imò ipsi à patre dantur, ut aliqvoties in Johanne loqvitur cap. 17. Sensus verò iste verborum hebræorum אַחֲלֵק לוֹ בָרַבִּים est omnium simplicissimus, ut ב pro ל, in pro ad vel inter, super, qvemadmodum ב pro ל, Psalm. 18, 50. Levit 16, 22. Hos. 12, 6. Gen. 11, 4. Ita vero ipse hæc dona accipiet & distribuet hominibus, postqvam exspo-

Effectus passionis.

ב *pro* ל

exſpoliata imperia ac poteſtates traduxit palam Col.2,15. qvemadmodū de hoc triumpho glorioſiſsimo apud Eſaiam ſeqvitur, & *robuſtos ipſe diſpertietur* prædam, diabolum, mortem, infernum, peccatum 1.Cor.15,24.25.26.54. Hoſce robuſtos generis humani hoſtes hic hominum Salvator devincet, & qvos captivos detinebant, eripiet & ſpolia dividet Hoſ.13,14. Heb.2,14.15. qvemadmodum Chriſtus in parabola qvadam explicat Luc.11,v.21.22. & qvia hoc loco fit mentio ſpoliorum diſtributionis, qvæ ſolet poſt prælia à ducibus rectè geſta inſtitui, id intelligimus, Chriſtum cum illis omnibus noſtris inimicis pugnam geſsiſſe cruentam & acerrimam, & qvemadmodum à victoris qvi ſtant partibus, læti ovant poſt victoriam, ita nos qvoq; poſſe in Chriſto triumphare ac gloriari. Confer cum hac re hiſtoriam, qvæ deſcripta eſt 2.Chron.c.20, 20. cum Jehoſchaphato Chriſtum, cum Moabitis, Hammonitis generis humani hoſtes, cum cantoribus præcedentibus exercitum apoſtolos & verbi miniſtros, cum præda ſpolia nobis à Chriſto reportata, compares. Et ex vi verbi חָלַק hic bis repetiti adjice, qvod jure hæreditatis & portionis perpetuò manſura nobis illa dentur.

Chriſtus hoſtes generis humani devicit.

ergo triumphemus. 2.Chron.20, 20.

L. C. I. Filio hominis à Deo patre data ſunt dona non tantùm infinita, qvæ ſibi ſoli reſervat, ſed etiam multa alia finita, qvæ hominibus & fratribus ſuis velut Xenia, diſtribuat Eph.4,8. de qvibus 1. Cor.12 ut ita ex ejus plenitudine omnes accipiant Johan. 1. per filium ad patrem accedant Joh. 14. & pater per filium bonorum diribitorem glorificetur. Ibid. Hic enim ſolus eſt filius dilectus Matth.3, v.17. per qvem nos reddimur dilecti Epheſ.1. &, cum nudi ſumus, veſtimur, Eſa.61. cum pau-

Chriſtus accepit dona pro nobis.

peres sumus, ditamur 2. Cor. 8. qvi venit, ut in ipso habeamus qvod satis est, Joh. 10, 10.

à qvo habemus omnia.

II. Omnia, qvibus per Dei benignitatem fruimur, habemus ex filii Dei patientis, morientis ac resurgentis liberalitate, qvi cum eramus servi servorum, nos fecit iterum dominos, & in nobis collapsam Dei imaginem restaurat, qva de re dictum est in Tit. 1, 15.

Christi omnipotentia.

III. Nihil tam potens fuit, qvod non potuerit vincere Christi omnipotentia, ideoq; qvid jam deinceps nobis nocere aut nos vi ex ejus manu rapere potest? Roman. 8. Josua devictorum regum colla ut conculcaret populus Israeliticus volebat, ut ita paratior ad bellum evaderet. Josuæ 10, 24. Sic Christus hostes à se devictos & nobis subjicit & nobis donat suam victoriam 1. Corinth. 15, 57. 58.

Ex passione omnia bona

Hæc verò ampliſsima dona unde nobis obveniunt? breviter, qvia Christus pro nobis mortuus, & excitatus est. Propheta vero, ut tantò melius memoriæ inhæreat tantum beneficium, qvatuor distinctis phrasibus id explicat, inter qvas prima, *eò qvod profudit in mortem animam suam*, se ipsum ad mortem obtulit, & patri obediens fuit ad mortem crucis Philippens. 2. c. Qvod causſa tanti boni sint seqventia, causſalis particula dilucida אֲשֶׁר תַּחַת indicat: qvod verò mortuus sit, emphasis phraseos declarat, cum dicitur nudasse se sua anima, id est, privasse se vitâ, ut ne guttula qvidem vitæ remaneat, ut Lutherus explicat. עָרָה enim est nudare, evacuare, deplendo effundere. Secunda, *& cum defectoribus annumeratus*, iisqve similis reputatus est, & qvidem cum illis, qvi ob flagitia maxima, & qvod pacem pu-

עָרָה

Christus defectoribus annumeratus.

publicam turbaverunt, in crucem agebantur, & coram Deo ac hominibus erant maledicti. Deut. 21. Galat. 3. Tertia, *Et qvia ipse peccatum* pœnamqve peccati *multorum* seu omnium (confer v. 9.) *pertulit*, non ob sua, sed aliena peccata talia passus est, supra vers. 7. 8. 12. ubi etiam ipsa hebræa phrasis explicata. Qvarta, *& qvod pro defectoribus interces sit* ac intercedit deinceps, postqvam ipse semel ex mortis violentia ereptus est supra vers. 11. & non amplius cum defectoribus annumeratur, sed sanctissimus ad dexteram Dei considet pro nobis orans Rom. 8. Hebr. 7, 1. Johan. 2. Ex qvibus omnibus qvid sit discendum, qvia suprà aliqvoties fuit explicatum, hìc tantum repetimus brevissimè 1. qvod Christus verè mortuus sit. 2. qvod factus sit peccatum, ut nos fieremus justitia. 3. qvod ipse unicus sit noster advocatus & non sancti, qvippe qvi pro nobis non sunt mortui. Qvod restat, ex epistola ad Hebræos concludimus c. 13. v. 20. 21. Deus pacis, qvi magnum illum ovium, per sanguinem pacti æterni, pastorem, Dominum nostrum Jesum, ex mortuis reduxit, compingat nos ad omne opus bonum ad præstandam ipsius voluntatem, efficiens in nobis qvod gratum sit in conspectu suo per JESUM CHRISTUM: cui sit gloria in secula seculorum. Amen.

I. INDEX.

Locorum scripturæ, qvi in hoc Commentario illustrantur.

Gen. 6, v. 3. 358
14, 14. 373
v. 18. 358
22, 12. 242
49, 9. 172
Judicum 7, 17. 373
1. Samuel. 11. 410. 411
2. Samuel. 15, 23. 86. 87.
1 Reg. 19, 11. 12. 125
Psalm. 35, 9. 71
51, 6. 319
68, 24. 136
71, 6. 120
Proverb. 4, 14. 290
15, 33. 372
31, 6. 276
Eccles. 5, 3. 164
Esaiæ 24, 18. 287
45, 22. 178
46, 3. 354
51, 6. 394
55, 3. 77
v. 23. 122
Dan. 9, 26. 456
Sap. 11, 17. 120
Matth. 8, 18. 433. 439
11, 12. 350
16, 23. 274
21, 6. 1. 6. 20
22, 42. 346
27, 35. 150
Marc. 15, 34. 98
Johan. 2, 17. 266
11, 42. 102
12, 34. 341. 357
v. 37. 424
13, 18. 222. 238. 239
15, 25. 261
17, 12. 319. 320
19, 28. 29. 251. &c.
Actor. 1, 15. 320
v. 16. 316
v. 18. 318
v. 20. 307
8, 32. 449. &c.
13, 35. 43

Ro-

Roman. 11,9.10. 285. 286
15,3. 267
1.Cor. 15, 25. 341. &c.
v. 27. 1. 6. 20
Eph. 1, 11. 65
Phil. 2, 7. 414. &c
Colos. 1, 12. 65
2. Thes. 3, 2. 424
Hebr. 2, 6. 7. 8, 1. 6. 7. 10.
v. 12. 86. 161
10, 5. 6. 7. 189. 204
11, 5. 76
13, 6. 384
1. Petr. 2, 19. 441
v. 24. 440

II. INDEX.

Autorum, qvi allegantur.

Aben Esra 371
Æpinus 47. 48. 49. 51. 54. 57. 68. 69. 75.
Albo 4
Amama 385. 386
Aqvila 46. 98. 137. 230. 257
Aretius 153
Aristoteles 158. 446
Arnobius 2. 33
Avenarius 142. 143
Augustinus 12. 103. 106. 153. 253. 259. 262. 263. 271. 287. 291
Basilius 12. 141
Bellarminus 2. 19. 35. 42. 44. 47. 52. 54. 56. 58. 63. 72. 95. 104. 107. 139. 140. 184. 192. 203. 205. 223. 227. 237. 23. 258. 259. 261. 262. 267. 268. 274. 275. 289. 301. 310. 312. 321. 324. 325 327. 328 331. 335. 342. 347 350. 368. 371. 380. 386. 388 390. 391. 401. 427. 472.
Beza 15. 73. 268. 316.
Brentius 17. 20. 24. 35. 51. 53. 54. 68. 89. 92. 99. 111. 190. 221. 223. 224. 239. 240. 241 425 458.
Buchananus 154. 259. 270. 272. 313
Bugenhagius 2. 39. 47. 99. 203. 257. 261. 273. 294. 335. 356. 358. 362. 367. 389. 390. 401. 406.
Burgensis 48
Buxtorfius 21. 23. 54. 63. 124. 139. 142 145. 151. 158. 192. 195. 262. 271. 285. 311. 319. 328. 430. 461.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746337035/phys_0487
DFG

Calvinus 43.68.92.140.189.253 343.
Cevallerius 142
Chaldæus 3.47.50.52.95.138. 145.259.359.371.
Chemnitius 30.37.103.162.358. 413.437.440.
Chevallerius 145
Chrysostomus 368.414
Cicero 166
Cyprianus 106
Damascenus 121
Drusius 24.29.44.50.51.58.67. 70 71.75 77.93.96.257 373.
Elias 58.109.139.140
Erasmus 414
Euthymius 253
Forsterus 142
Frantzius 17.97.356.446
Fullerus 77
Galatinus 139
Gerhardus 109.144.152
Gesnerus 2.44.50.61.64.96.101. 126.136.139.144.152. 153.178.182.184.237. 240.247 256.259.261. 265.293.301.326.354 395.400.401.
Gisanius 141
Glassius 144
Helvicus 332
Heshusius 2952.71
Hieronymus 46.50.52.98 272. 309.312.369.
Hoffmannus 94.107.152
Homerus 311.386
Horatius 152. 241 290
Hunnius 121.136.139.320.332
Jarchi 46.378
Isaac 139
Junius 8.43.94.95.107.140.142. 153.184.187.189.205. 214.262.266.268.274 316.321.322.323.348. 387.452.470.
Kimchi 70.195.472
Lucretius 155
Lutherus 3.48.50.51.54 55.56.57. 58.64.65.66.67.69 70. 72.73.79.84 99.101.104 105.107.108.112.117. 119.126.129.132.134.143. 148.151.153.154.156.158. 165.170.174 178.182 185 187.202.214.215.218. 219.220.221.230.231. 232.234.239.242.248. 259.262.266.270.272. 276.285.286.288.289. 311.317.321.323.328.329. 334 337 347.354.380.385 386.387.389.390.392.394. 401.403.443.444.448. 454.457.460.462.463. 468 470.473.474.
Lyra 47
Matthesius 392
Mentzerus 364
Mollerus 44.222.230.231.235 237

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746337035/phys_0488
DFG

237.253.256.265.268.
269.270.271.285.290.
293.317.321.342.348.
350.354 367.371. 372.
377.378.386.400.403.
405.
Musculus 93.123.189
Mylius 348
Nebrissensis 347
Ovidius 149.248 280.315
Pagninus 52.431
Piscator 15.44.48.51.53.55.61.
72.74.93.94.101.112.
119.146.159.190.214.
222.227.230.241.253.
267.285.229 336.348
352.367.371.387.401.483
Plinius 158.388
Rivetus 428.431.432.435.445.
452.454.
Rudingerus 343.372.377.403
Sa 58.70
Saadja 140
Savonarola 175
Schilterus 425.454
Schindlerus 52.142
Scultetus 44.53.68.74.77.93.110
160.188.189.222.224.
240.253.260.267.
Septuaginta 2.19 47.50.51.54.55.
56.65.70.95.103.104.105
107.119.124.125.126.
132.138.148.154.158.218
234.237.256.768 275.288.
310.323.325.338.359.327.
Simlerus 354
Socinus 436
Symmachus 46.52.230.233.234.
235.236.257.
Terentius 141.156.290
Theocritus 389
Theodotio 137.230 257
Theodoretus 253
Theognis 315
Tremellius 3.43.48.50.53.68.
72.76.139.149.170.205
213.218.222.230.253.
254.274.289.316.336.
348.367.368 370.371.
385.
Valentia 378.399.490.401
Vatablus 45.50.51.99.156.183.
187.209.350.356.370.
378.406.431.
Virgilius 125.141.142.337.349.
351.371.388.397.405.
409.
Vives 17
Vulgatus latinus interpres 19.58.
95.107.132.148.154.
168.185.186.187.200.
202.231.234.321.323.
325.370.389.404.
VValtherus 144
VVeberus 454

III. In-

III. INDEX.

Vocum Hebræarum, qvarum Etymologiæ, Emphases, propriæ significationes ac differentiæ hîc declarantur.

emphasis causa	א
143. insertum	
115.385.	אָדָם
338	אָדוֹן
54	אַדִּירִים
51. 346	אֲדֹנָי
234	אָוֶן
325	אַחֲלִית
124	אֵין
115.430	אִישׁ
115	אֱיָלוּת
94.95	אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר
432	אָכֵן
288 i. e.	אֶל־עַל
49.89	אֵל
29	אֱלֹהִים
321	אַלְמָנָה
27	אֱנוֹשׁ
20 eò qvod	אֲשֶׁר
463	אָשָׁם
461 i.e.	אֶת עִם
264 propter	ב
270	עַל
474	ל
385. cum plurali de uno	ב
151	בְּגָדִים
328. cum affixo	בּוֹא
110	בָּטַח
237	בְּלִיַּעַל
210	בִּשֵּׂר
416	גָּבַהּ
369	גְּוִיּוֹת
165	גּוּר
165	גֵּר
2.3.4.	גִּתִּית
134	דָּבַק
453	דּוֹר
353.428	הָדָר
433	הוּא
21	הוֹד עַל הַשָּׁמַיִם
358	הוֹצִיא
232	הָפַךְ
318	הִצְדִּיק
155	הִצִּיל
138	הִקִּיף
318	הִלְשִׁיעַ
415	הִסְכִּיל
227.415	הִשְׂכִּיל
319	הִשָּׁפְטוּ
423	הִתְבּוֹנֵן
235	הִתְלַחֵשׁ
253 ergò	ו
459 pro relativo	
343	וַאֲנִי
271	
204	זָבַח
112	זָעַק
445	חֲבוּלָה
443	חוּל
433	חֳלָיִים
64	חֵלֶק
429	חָמַד
461	חָמָס
74	חָסִיד
49	חָסָה
120. 462	חָפֵץ
468	חֵפֶץ
431	חָשַׁב
143 pro	י ו
	יָבֵשׁ

411	יָבֵשׁ	286	non, ne	112	נִמְלַט
324	יְגִיעַ	386		58	נָסַךְ
notam facio	יָדַע	123. 469.	post	324	נִקֵּשׁ
242		443.	propter	433	נִשָּׂא
14. 346	יְהוָה	169	מֵאִתְּךָ תְּהִלָּתִי	416	נָשָׂא
230	יוֹם רָעָה	10	מָה	324	נָשָׁה
427	יוֹנֵק	55	מָהַר	22	נָתַן
184	יוֹרְדֵי עָפָר	444	מוּסָר	cum infinitivo	
353	יַלְדוּת	368	מָחַץ	74	
33	יָם	46. 47	מִכְתָּם	125	סָבַב
16	יָסַד	359	מִנְחָה	434	סָבַל
434	כָּאַב	94	מְנַצֵּחַ	160	סִפֵּר
138. 139. &c	כַּאֲרִי	338	מְעִיל	422	סֻפַּר
357	כֹּהֵן	436	מְעֻנֶּה	137	עָדָה
24	כּוּן	209	מֵעַיִם	15	עוֹלְלִים
233. qvamvis	כִּי	384	מֵצַל	444	עָוֹן
156	כַּף	109	מָקוֹם	470	עָמָל
206	כָּרָה	420	מַרְאֶה	143. 301	עֲנָוִים
285	ל	314	מִרְמָה	452	עֹצֶר
73. pro	ב	324	מָשַׁךְ	271	עִת
220. 233	עַל	452	מִשְׁפָּט	447	פָּגַע
384. i. e. pro		342	נְאֻם	110	פָּלִיט
78. deest.		270	נְגִינוֹת	402	פִּנָּה
264	אֶת־	435	נָגַע	330	פְּעֻלָּה
192	לְדָוִד מִזְמוֹר	448	נָגַשׁ	129	פָּצָה
118	לָעַג	326	נֶגֶד	318	פָּקַד
452	לֻקַּח	456	נִגְזַר	443	פָּשַׁע
notat defectum	מ	275	נוּד	34	צְבָאוֹת
335		420	נָזָה	124	צָרָה
					קָדוֹשׁ

קָדוֹשׁ	74	שְׁאוֹל	285. 445	שָׁלוֹם	77
קָהָל	411	שָׁאוֹל	424	שָׁמוֹעַ	137
קָוָה	270	שׁוֹחַ	419.	שָׁמַם	193
רָאָה	256	שׁוֹשַׁנִּים	49	שָׁמַר	23
frui	75.76	שָׁחַת	319. 340	שָׁפַט	470
cum ב	18. 243	שָׂטָן	134	שָׁפַת	149.385.
רְאֵם	260	שָׂטַף	167	שָׁקַף	158
רוּם	121	שֵׁילֹה	420	תָּאַר	416
רְשָׁעִים	270	שֵׁכָר	115	תּוֹלַעַת	317

Et Græcarum.

Ἀγαπητός	83	Βοηθέω	124	Καλαρτίζειν	16
Ἀγγαρεύειν	448	Βοηθός	384	ἐν Κεφαλίδι	207
Ἀδης	74	Ἐκφέρειν	359	Κενόω	38
Ἀναφέρειν	440	Ἐχθρός	18. 243	Λαλεῖν	15
Ἀρλια	16	Θύω	204	Σαλαμᾶς	18
Βασάζω	434	Καὶ i. e. ergò	153	Συσιτ	238

IV. INDEX.
Rerum & Verborum memorabilium.

Abrahæ filii	306	Amicorum perfidia	280
Abscondere faciem	431	Analysis Psalm. 18.	8. 9
Abstractum pro concreto	312	16	45. 46
Ab utero, à vulva	355	22	88.89
Adam secundus	229	40	191. 91
Affectus qvidam boni	12	41	224.225
Affixum passivè vertitur	472	69	253.254

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746337035/phys_0492
DFG

109 308. 309
110 344. 345
118 378 379
Animam ſuam non vivificat, qvid? 183
Animus Chriſti qvomodo fractus 274
Anomala in bibliis hebræis 142
Apes vindictæ cupidæ. 388
Aqvæ i.e. calamitates 259
perveniunt ad animam 277
ut Aqva 131
Argumentum Pſalmi 8 7
16. 44. 45
22. 88
40. 190
41 223
69. 252
109 307
110. 343
118. 378
Cap. 53. Eſa. 412. 413
Audentior contrà ito 396
Aulici qvidam mali 235. 236. 248
Auxilii divini diverſitas 120. 121
humani vanitas 200
Benignitas Dei perpetua 382
Bibere i.e. mala pati 3
Biblia hebræa non ſunt corrupta 140
Bona impiis cedunt in malum 295
Bonum ex malo elicit Deus 407
Brachium Domini 425
Brutis qvidam homines pejores 305
Calamitas 185
Caligo noſtra 159
Calviniani 290
Canes 137
Canticum novum 198
Cantus piorum 397
Caro crucifigenda 81
ut Cera 133
Cerva matutina Chriſtus 96
Chriſtiani contemti 428
fratres 163
habent Chriſti ingenium 365. 392
qvinam? 186
Chriſti afflictio 135. 262. 278
benignitas 130
caritas 97
clamor 260
conſtantia 157
copiæ 351
cruciatus 147
dolor 439
Jejunium 268
miſeria 157
mors 135. 250
nuditas 151
παῤῥησία 157
patientia 131
pietas 120
preces 103. 240
regnum 180
reſurrectio 250
ſanguis 132
Chriſto homini data eſt divina majeſtas 34. 40. 41
Chriſtus afflictus cur? 262. 279

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746337035/phys_0493
DFG

agit gratias Deo 299
ἁμαρτία 463
David 87
Deus 361
derelictus 101. 346
descendit ad inferos 81
deficit 132
Dominus 31.346
effusus ut aqva 131
fert mala 149
filius hominis 28.37
gerit nostram personam 100
homo 36.82.111
innocens 243.263.465
lapis angularis 401
leo 102
liqvefit 133
magnus 41
mersus 277
omnipotens 42
pauper 216.299
peccator 214.233.263
perspergit 419
sacerdos 64
sanctus 60
venit 206
vermis 114
vincit 365
vix homo 116
ut Umbra 338
Climax 329
Cœli bona 84
enarrant gloriam Dei 35
opus digitorum Dei 23
Cognosco i.e. nosse facio 242
Cognoscere Christum 473
Columba spiritualis 114
Concionatorum παρρησία 126
Concionum scopus 166
Consilium à Deo 80
Conversio opus Dei 36
Cornua 158
Credens 60
Damnati 330
Dat Deus Christo homini supercœlestem decorem 19.20 21
David Christi typus 86
propheta 345
Debitum duplex 450
Dei auxilium 111.197
clementia 155
cura 125
digitus 26
dilectio 61. 113. 169
directio 135
gratia 121. 338
in manu sors nostra 79
λύτρον. 278
magnificentia 13
majestas 162
manus 336
nomen 10. 161
ordo 202
patris verba 361
potentia 100. 155. 169
præsentia 108

pro-

providentia 120
veritas 97 108
viæ 228
Deleri de libro vitæ 292
Deo fidendum 185. 395
nil prosunt nostra 60
Deprecatio Christi 90
Descendentes in pulverem 182
Deus adest cum aliqvo 334

à dextra 69. 31. 340
benedictus 243
eruit 244. 245. 250. 394
exaudit 167
facit 188
laudandus 251. 313
laudis 309
non est offendendus 81
non silet 313
qvomodo qværendus 175
sanctus 107
servat 244
spernit nullum 168
suos mirè ducit 201
vult homines salvari 179

ad Dexteram insistere 31
Dextera Dei 362
Diabolus Ecclesiæ hostis 17
mendax 19
Dignitas Psalmi 110. 342
Dies Jehovæ 403
Diligentia Judæorum incredibilis 140
Distributio terræ per funes 65
Divites boni 464
mali 184
possunt
Doctores stellæ 26
Doeg 316
Domini sumus in Christo 39. 61
Dominus vocatur Christus 346
Dotare idolum 55
Donec 348

Ecce, qvid notet 413
Ecclesia 161
confertur Lunæ 25
hostibus cincta 395
Ecclesiæ amœnitas 80
N. T. collectio 302
propagatio 186
salus 379
Effectus passionis Christi 474
Episcopatus accipiatur 331
Επινίκιον 389
Επιχαιρεκακία 297
Εθελοθρησκεία 62
Evangelium fuit in V. T. 422
in toto mundo prædicatum 13
olim in Judæa 422
Εὐδοκία Dei Patris 119
Eventus non semper est, ubi est conatus 274
Exaltatio Christi 38
triplex 416. 417
Exemplum præbet Christus 440

Exinanitio Christi 38.420
Expectemus 279
Explicationes miræ 207
Exultant etiam inanimata 71

Fel 283
Felicitas à Deo est 407
Fides 59.81.105.154.162
infirma 124
Fidelis est Deus 398
Fratres Christi 161.266
diligamus 280
Funiculi 65

Gaudium verum 82
Gentium Ecclesia 163. 170
Germen Christus 427
Gloria i.e. lingua 70
Gloria infinita Christo homini data 250.417.419
Græcæ versionis autores errare potuerunt 99
Gratiæ Dei qvinam participes. 174
Gratiæ Deo agendæ 80.382
publicè 164.171.172
Gratiarum actio Christi 299
Christianorum 300. 304
Gratitudo nostra 340. 408

Hæreditas nostra 80
Hebræa lingua imitatur naturam 144. 145
Hebrææ linguæ necessitas 358
Hilaritas 98
Historia in titulis Psalmorum 4
Historiæ notandæ 111
in Homine non confidendum 386
Homines mirantur Christum 417. 419
Hominum cœcitas 199
infirmitas 394
judicia perversa 429
malitia major brutorum 305
πονηρία 126
Honorare Deum 165
Hostes Christi 129.261. 278
velut apes
spinæ 397
Hostes Ecclesiæ 17.18
pereunt 241
pudefiunt 116
secundum Humanam naturam Christus sedet ad dextram patris 364
Hymnus tempore paschatos canendus 382

Idcirco notat consequentiam 372
Idololatrarum infelicitas 61
Idolorum nomina delenda 62
Jehovæ dextera 390
nomen 33
Illudentium gestus 117
Immeritò 314.315
Immisericordia 327.332.333
Impietas 120

Impiorum bonis rectè utendum 11
Imprecari an liceat? 293.294
Improbi 247
bonis insidiantur 313. 314
Inclinare aures 194
Incredulitas 425
Indignitas nostra 37
Infantum fides 35.123
gemitus 34
Insistere ad dexteram 317
Intercessio Christi 245
Interrogatio Rhetorica 423
Intueri Christum est duplex 150
Ira Dei 438
duplex 296
Irregularia in bonis autoribus 141
Israel Dei 383
Judas Christi proditor 316
electus apostolus 240
Judæi an suscipiendi? 332
canes 146
Πτιχαιρέκακοι 149
Judæorum illusiones 116
judicium de Christi passione qvale? 44 42
pœnæ 284
Judices mali 281
Justitia Christi parta 471
Jurat Deus 356.357.366

Kidron 87
Lacus tumultus 195
Læta post tristia 280
Lapis angularis Ecclesiæ 402
Lati 200
Latum 384
Laudandus semper Deus 313
Laudis materia 171
Laus Dei 82.109.340
semper canenda 227
398.406
pii 166
Libamina idolis facta 57
Liber Dei duplex 331
vitæ 292. 298
Liberi qvi ferant peccata parentum 326. 332
Lilia sacra 257.276. 277
Limbus patrum 399. 453
Luna spiritualis 36

Macies 338
Magnates curent religionem 228
ne credant calumniis 247
Magnificatur Deus 220
Mala docent orare 393
Mala gratia relata 249
Mali messis pro beneficiis 315
Mali ruunt in pejus 290
se perdunt 333
Malevolentia qvorundam 118
Malorum cantus 281
concordia 147
Manus i.e. potentia 155
Manus Christi in cruce perfossæ 138
Dei 339

Ma-

Masora 139.140.185
Matres debent lactare 123
Melchizedek 357
confertur Christo 359.360
Mel spirituale 177
Membrorum abusus 118
Memoria improborum 326
Mensa à Deo parata 284
Merces laborum 333
Meritum Christi 473
Messias verus Christus 438
Metas ponit Deus 245
Milites Christi 352
Militum qvorundam inhumanitas 151
Ministri verbi 34
ubiq; laudent Deum 383
Ministris justitiæ meta ponenda 152
Miraculum maximum 203
Mirum certamen 312
Miseria gloria 114
non Moriar, sed vivam 392
Mors, id est, calamitas omnis 461
Mortes Christi 460
Mundi judicium 119
Mutæ creaturæ laudant Deum 302
Nomen Dei est instar armorum 395. 396
Notitiæ verba 67
Obdere os 421
Occœcatio malorum 296
Odium 246
Officia Christianorum 179
Omnia à Deo 121
Onus gravissimum 438
Oppugnant impii pios 314
Opus bonum 166
Orationis excellentia 106
perseverantia 105
Oratio & gratiarum actio 89
Orantis ardor 168
Ordines tres hominum Christo datorum 322
Ordo Dei 470
Os id est testimonium 15
improbi & doli 310
311
Ostium cœli 406
Ovi confertur Christus 449.450
ut Ovis erravimus 446
Parabola 269
Paradisum aperit Christus 406
Parvuli Deum laudant 16.17
Passio Christi 426
Passionis fructus 467
meditatio 59.228.229
utilitas 439
Passus Christus pro nobis 283
437
qvomodo? 208
veré 47
Pastores populorum 394
mali qvidam 294
Pater dedit Christo majestatem divinam 30
consilium 66

Patiamur propter Deum 279
Patientia 110.450
Patrum consensus 355
Pauperes possunt salvari 184
Pauperum cura habenda 226
229
Pax 444
Peccata sunt causa malorum 246
debita 453
expiata à Christo 437
453
Peccati causa non est Deus 291
Pecussus Dei 435
Perspergit Christus suo sanguine 419.421
Phœbus post nubila 198
Phrases V. T 405
Pii beatitudo 244
fiducia 100.154.394
Pii sustentantur à Deo 397
sunt semen Christi 468
Pingues terræ 181
Piorum sors 126
Pluralis pro singulari 26.269
458
Politici mali 246
Pontificiorum glossa 32
Populus Christi spontaneus 351
Porta 270
Portæ justitiæ qvæ? 399
Præsidia mala qvæ? 396
Precatio Christi 90
Preces fidelium Deo gratæ 383
sine fide 330
Precum reqvisita 113
in Principibus non confidendum 378
Pro nobis Christus mortuus 458
Prolepsis 28
Prophetiarum veritas 147
Propter peccata nostra Christus est mortuus 459
Psalmus 8. de qvo 4. 5. 6.
16. 43.44
22. 92. 93
40. 189
41. 222
69. 253
109. 307
110. 343
118. 378
Puncta hebræa an recens inventa 145
Pupilli malorum 331
Qværere animam 216
Qværendus est Deus 305
Recipere se ad Deum 49
Recipiamus nos ad Deum 282
Redemptio duplex 273
Reges malos frangit Christus 368. 375.
Regnum Christi 467
Regum conversio 422
Remedium mali 282
Renes 67.68
Rependit Christus qvod non rapuit 262

Repetuntur qvædam in scriptura 217. 261
Res indignissima 130
Resurrectio Christi 167 303. 455
Resurrectionis Christi effectus 78
Rex, id est, Imperator Romanus 369
Ros juventæ Christi 353
spiritualis 366

Sacerdos æternus Christus 367
Sacrificia sine fide 61
V. Test. 63.
Deo ingrata, qvomodo? 204
Salvator non habet salutem 101
petit salutem 277
Salutis origo 159
Sancti 54. 60
Sanctitatis ornatus 352
Sanguis Christi non computruit 136
Satiari 470
Satietas vera 471
Scabellum pedum 148
Christi, Christianorum 364
Sceptrum Christi 365
Scipio Christi 350. 365
Scriptura Dei vox 35
Sedere 347
Sedere ad dexteram 363
Sedentes in porta 270
Sedulitas 97
Semita vitæ 83
Sepultus cur Christus? 464
Seqvamur Christum 379
Servus Dei Christus 424
solus justus 472
Sion salvatur à Deo 305
Sione exit Lex 365
Sitis Christi 283
Solatium Christianorum 176
Solus 156
Sortes qvomodo tractandæ? 152. 153
Sortitio 65
Spes 59. 111. 122
Spinarum ignis 388. 389
Spiritualis cibus 173
Stare 317
Status exaltationis 30
exinanitionis 29
Structores qvidam destruunt 407
Stultitia qvæ summa sapientia 263. 264. 265
Συμπάθεια 283

Talionis pœna 284
Tautologia an in bibliis? 217 261
Tendicula 285
Terra viventium 456
Tollere calcem adversus aliqvem 238
Torrens iræ Dei 375
rerum humanarum 375

Tradere ſatanæ 297.298
Traditi diabolo 330
Triduum 374.375
Trinitatis myſterium 389.391
Turtur ſpiritualis 304

Vaſtitas unde? 297
Veſtes 281
Veterum pietas 97
Vexillum crucis Chriſti 411
Videre i.e. ſentire 75
Viduæ malorum 331
Vincti Dei 301.302
Virgultum contemtum Chriſtus 426
Vir pacis 388
Viſitatio Dei duplex 37
Vita æterna 83
Vita hæc via 376
Vitæ brevitas mala 331
labor 471
Vivere 173
Ultor ſui 19
ſicut Umbra 335
Unius loci unus ſenſus 455
Vocatio in N. T. 178
Vota ſunt ſolvenda 164.304
Uſuræ 332
Uſus Pſalmi 8. 8
41. 223
109. 307
100. 343.361
Uſus Pſalmorum paſsionalium 304
Uterus Eccleſiæ 353

Zelus 280

Hebr. 5, v. 8.

Εμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθεν.

LECTOR BENEVOLE.

Menda typographica emendare per temporis anguſtiam non licebat: & pleraq; talia eſſe ſperamus, qvæ tuo marte, facilè poſsis corrigere, id qvod rogamus.

LECTOR AMICE ET CANDIDE.

UNum est, qvum suprà id commodè exponere non licuit, qvod te volo, ne sis nescius, nimirum, *Cur hos ego præ aliis de passione Salvatoris qvi videntur agere, vel revera agunt, Psalmos elegerim explicandos.* Et primùm qvidem non ignoro, esse nonnullos in hac sententiâ, Qvinqve esse Psalmos maximè perspicuos & illustres de Christi passione, nempe 22. 35. 55. 69. 109. ubi Hugo dicit, hunc qvinarium numerum convenire cum qvinqve temporibus, qvibus Christus fudit sanguinem 1. in circumcisione. 2. in horto. 3. cùm flagellaretur. 4. cùm cruci affigeretur. 5. cùm latus aperiretur &c. Sed pace horum qvod dixerim, non omnes hos Psalmos loqvi de Christi passione literaliter, & alios plures esse illustriores, qvàm sint secundus & tertius inter illos qvinqve, verè assevero. Nam prius qvod spectat, neqve trigesimus qvintus, neqve qvinqvagesimus qvintus Psalmus Christi passionem literaliter describunt, neqve causa illa, ob qvam id multi asserunt, ullâ ratione potest militare, videlicet qvod in Nov. Test. ille Johan. 15, 25. hic Johan. 13, 18. de Christo allegetur, qvum illud ex Psalmo 69, 5. hoc ex Psalmo 41, v. 10. citetur, ut suprà suis locis est videre. Posterius qvod attinet, jam in singulorum, qvos hîc vides explanatos, Psalmorum initio planum, ut arbitror, feci, esse in his illustriores de passione Christi prædictiones, & verè in N.T.

N. Test. in hanc sententiam allegari, ac cum vaticinio rectissimè conferri eventum. Qvin etiam plures posse reperiri Psalmos, qvi rectiùs huc qvadrent, qvàm illi duo 35. & 55. nullus dubito, inter qvos numero trigesimum primum, non item tertium, decimum octavum, vigesimum qvintum & horum similes. Et de tertio qvidem Psalmo paucis ut agam, unde de reliqvis similibus Lector facilè conjecturam capiet & judicium faciet, sciendum est, propterea multos concludere, eum esse de Christi passione & resurrectione prophetiam, qvod in illo qvi verba facit, de se usurpet הקיצותי qvod verbum actionem tantùm reflexam notare contendunt, Excitabo meipsum à profundo illo mortis somno, id qvod soli Christo competit, Joh. 2, 19. & 10, 18. sed falsò, non qvidem in posteriori hoc, qvod omninò certum, Christum scilicet solum habuisse potestatem ponendi & sumendi suam animam, sed in priori, qvod nimirum הקיצותי non nisi de eo usurpetur, qvi se ipse ex mortis somno excitat, qvum de multis naturaliter & sponte sua evigilantibus, non autem violenter ex somno excitatis, vel de aliis non suâ virtute ex morte resurgentibus hinc inde adhibitum legatur, unde etiam Lutherus noster hoc loco vertit, und erwache / non verò, und ich erwecke mich vom Tode. Conferantur & expendantur hæc loca biblica 1. Sam. 26, 7. 1. Reg. 18, 27. 2. Reg. 4, 31. Job. 14, 18. Psalm. 4, 9. & 17, 15. & 73, 20. & 139, 18. Prov. 6, 22. & 23, 35. Esa. 26, 19. & 29, 8. Jer. 31, v. 26. & 51, 39. 57. Dan. 12, 2. Joel. 1, 5. Habac. 2, v. 19. qvod si factum fuerit, nullus dubito, qvin hæc feratur sententia: Ex puris particularibus, imò incertis conjecturis hoc argumentum procedit, & principium etiam petit, tum qvia aliis qvàm Christo

illud vocabulum tribuitur, tum qvia in conjugatione Hiphil alia qvoqve occurrit qvàm reflexa tantùm actio, tum qvia sit alius qvàm mortis somnus profundus, tum deniqve, qvia hoc est in Qvæstione, an hic Psalmus tertius agat literaliter de Christo? Ubi necesse fuerit, ulterius de hoc & reliqvis Psalmis duobus aliisqve similibus idem probabo, ita tamen ut non eam inficias, multa ex omnibus rectissimè Christo capiti nostro posse accommodari, qvum & ille nobis per omnia similis excepto peccato, & nos illius oporteat fieri conformes imagini. De illo axiomate, *Christum esse ubiqve qværendum in Vet. Test.* dixi in præfatione secunda in Exerc. bibl. edit. 3. à pag. 8. & seqq. Sed revera nil aliud mihi fuit propositum cùm in his, tum in aliis, qvàm ut Christum in omnibus, sed ita, ut ibidem est propositus, invenirem, eaqve causa est, qvod nossem Psalmos plerosqve de Christo, licet diversimodè, loqvi, qvod voluerim denuò in Psalmis potiùs qvàm alio libro biblico hanc meam occupari operam, in qvo certè mihi calcar addidit Lutherus noster præfatione in suum pulchrum *confitemini*, ubi inter alia graviter ita conqveritur: Es ist leider der weinig / auch unter denen / die es billig für andern thun solten / die zur heiligen Schrifft oder zu einigem Psalm ihr lebenlang einmal von Hertzen sprechen: Du bist mein liebes Buch / Du solt mein eigen Psälmlein seyn. Vnd ist freylich der grösseſten Plagen eine auff Erden / daß die heilige Schrifft so verachtet ist / auch bey denen / die dazu gestifft sind. Alle ander Sachen / Kunst / Bücher treibt und übet man Tag und Nacht / und ist des arbeitens und mühens kein Ende / Allein die heilige Schrifft läst man liegen / als dürffte man ihr nicht. Vnd die ihr so viel Ehre thun / daß sie sie einmal lesen / die können es flugs

alles

alles / und ist nie kein Kunst noch Buch auff Erden kommen / das iedermann so bald außgelernet hat / als die heilige Schrift / und es sind doch ja nicht Lesewort / wie sie meinen / sondern eitel Lebewort drinnen / die nicht zum speculiren / und hoch zu tichten / sondern zum Leben und Thun dargesetzt sind. Aber es hilfft unser Klagen nicht / Sie achtens doch nicht. Christus unser lieber HERR helff uns durch seinen Geist sein heiliges Wort mit Ernst lieben und ehren / Amen. Hæc ille Megalander, qvi si in qvosdam dicit inclementiùs, jure cum ipso experiantur, si qvi sibi factam esse injuriam arbitrantur. Eum ego profeciſſe multum credo, qvi ita sentit:

Sint aliis aliæ, mihi Biblia sola voluptas:

qvæ ut porrò possimus ad ipsius mandatum scrutari in pace, faxit pacis autor JESUS CHRISTUS, cui te, Lector Benevole, fideliter commendo, & ut me, sicubi in his errare videris, in viam comiter reducas, maximo te opere volo rogatum. Vale.

ΑΔΗΛΟΝ.

SEmper in adversis tibi sit patientia CHRISTUS,
Cujus ab exemplo tristia disce pati.
Ecce DEus cœli, cunctorum conditor, ultro
Probra tulit, colaphos, sputa, flagella, necem.
Tu qvoq; qvicqvid erit, patiens sufferre memento,
Pro Christo patiens denig; victor eris.
Ne dubites, spera qvem tu prostratus adoras,
In lætum tenebras vetere posse diem.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746337035/phys_0505
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746337035/phys_0508
DFG

r. De tertio nota sunt dicta Joh. 5, 39. 46.
7. 44. Rom. 10, 4.
Dixerat Salvator, se venire ex cœlo in
verò? nimirum qvia omnes homines in
ortui, ut vivificarentur, oportuit hanc
ori, & legem complere, atq; ita satisfa-
faciendo, venio, inqvit, *ad faciendum vo-*
lacitum tuum, *ô DEus m*: Joh. 4, 34. & 6,
n coactè, ut servus refractarius aut rebel-
sponte ac magna cum lubentia, facere
vis, *delector* חפצתי ut ita meo qvoqve
io delecteris, qvi Vet. Test. typis & um-
aris amplius sup. v. 7. & qvæcunq; ago
simulata ac ficta opera, vel inania ver-
is est serius affectus, qvia *lex tua est in*
rum, in ipso animo ac corde eam colo,
ùm gesto, non ore tantùm profero eam,
ritæ Matth. 15, v. 8. ubi notante Vata-
le occurrit, idq; propterea in isto nu-
rod duo sint viscera supra diaphragma,
liqvis visceribus jecore, liene, ventri-
arata, eaq; hic nominentur, ut psalmi-
cqvid in tota vita speret ac spiret Salva-
ne ad voluntatem Patris expediendam
de enim est vita, & pulmonum benefi-

מעים

Usus.

tur Christi satisfactio.
impletio ab ipso solo præstita.